EXERCITATIONES
THEOLOGICÆ
DE DEO
EJUSQUE ATTRIBUTIS

JUXTA VERIORA

DOCTORIS SUBTILIS PRINCIPIA

Scholastica methodo ad usum studiosæ Juventutis accommodatæ, variisque Dissertationibus tum ad Dogma, tum ad Historiam spectantibus illustratæ.

AUCTORE R. P. AC M.

F. JOANNE JACOBO AYMAR

PROV. AQUIT. ANTIQ. MIN. OBSERVANTE,

Lectore Jubilato, Sacræ Facultatis Parmensis Doctore Collegiato, Regiique Hispaniarum Infantis Parmæ Ducis Theologo.







V E N E T I I S

M D C C L X V.


TYPIS ANTONII ZATTA

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



EXERCITATIONES THEOLOGICÆ IN UNIVERSAM THEOLOGIAM

ANTELOQUIUM.



Upientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophylatium Domini mittere (magistri sententiarum Petri Lombardi Regiæ Galliarum civitatis antistitis, cunctorum Theologorum principis verbis liceat uti) præcipuas scientiæ illius, per quam, dicente Sancto Augustino de Trinitate lib. 14. cap. 1. fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, quæstiones suscipimus pertractandas, nihil de viribus nostris præsumentes, sed totam spem nostram projicientes in Deum qui oculos nostros revelabit, quibus mirabilia ejus consideremus, ut dum studiosæ juventutis utilitati consulimus, & bonis opitulemur, & contra impios veritatem efficaciter defendamus. Nec a proposito nos deterrebit operis amplitudo, qui dierum nostrorum numerum ignorantes, residuum annorum Religionis defensioni penitus consecramus; ab incæpto labore, quando ei fuerit complacitum, cui per omnia placere intendimus summo rerum moderatori, solummodo cessaturi. & quid revera magis religiosum hominem decet, quam circa res a Deo revelatas occupari, certas conclusiones ex principiis fidei vario discursu, urgentique ratiocinio inferendo?

Hujus Scientiæ, quam Theologiam, seu de Deo sermonem, placuit hominibus appellare, dignitatem aut excellentiam hic commendare quid necesse? Objectum illius totale, adæquatum & attributionis dicere Deum, eaque omnia quæ ad ipsum ordinem habent, nonne est illam prædicare satis, nisi habitus ab objectis specificari alicui foret ignotum? quæcumque autem Theologia contemplatur, ad Deum referri, vel ut proprietates & attributa illius; vel ut effectus ab illo profectos, cujusmodi sunt Creaturæ omnes; vel ut media ad ipsum conducentia, qualia sunt Sacramenta, præcepta legis, virtutes exercendæ, mala vitanda, ipsaque gratia ad ea omnia necessaria; & tandem circa ipsum Deum illam primitus occupari, vel ut unus est, vel ut trinus in personis, vel ut in forma hominis nobis datus est in mysterio Incarnationis, cui non est compertum?

De unitate, necessitate, ac certitudine Theologiæ.

ETsi una specifice scientia sit Theologia, sive ex duabus propositionibus revelatis, sive ex una propositione de fide, & altera propositione lumine naturali cognita eruantur illius conclusiones, quæ in revelatione fundantur, etiamsi una ex præmissis ad fidem non pertineret, sub diverso tamen respectu potest considerari, habita ratione rerum & modi quo tractantur, variamque sortiri denominationem. Etenim si in rerum divinarum contemplatione quiescat nihil hominum moribus præstans, speculativa vocatur. Si vero circa regulas morum versetur, & de iis quæ homines bonos efficere possunt occupetur, moralis Theologia appellabitur. quod si Dialecticæ legibus, & syllogisticæ artis regulis juxta modum disputandi utraque sese diligentius accommodet, scholastica merito nuncupatur. Si controversias quæ fideles inter & Etherodoxos versantur, suscipiat dirimendas, catholicum dogma validis argumentis ex Scripturis Sacris, Patrum, Conciliorum testimoniis ac definitionibus depromptis, adversus hæreticorum cavillationes defendendo, Dogmatica dicetur, & Polemica. Si autem fidei dogmata, prout ordinem ad historiam dicunt consideraverit, quid circa ea actum sit variis in locis aut temporibus diversis, accuratius perpendens, vel quorumdam ex Sanctis Patribus mentem circa aliquod fidei caput ex illorum scriptis curiosius investigaverit prudentis critices lumine adjuta, illam positivam vocare quid vetat? verum quoquo modo circa has omnes quæstiones sese exerceat Theologus, illasque sub quoquo respectu ut libuerit attingat, unius semper ejusdemque Scientiæ studio vacabit.

Ad ordinem multiplices illas & fere innumeras quæstiones tractandi quod spectat, magistro Sententiarum, cujus methodum secuta est maxima Theologorum pars, præivisse videntur inter Græcos Sanctus Joannes Damascenus sæculo octavo, inter latinos sæculo undecimo desinente Sanctus Anselmus, quæstiones vel potius res Theologicas ad certa quædam capita revocantes. præcipuas ex Patrum ecclesiæ ac Sanctorum Doctorum, qui prioribus sæculis floruerant, decretis sive sententiis, quatuor libris sententiarum dictis complexus est sæculo duodecimo jam memoratus Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, eam ob rationem magistri sententiarum cognomento donatus. Quæ ad Deum ut unum, & ad Sanctissimæ Trinitatis mysterium attinent priori libro absolvuntur: in secundo agitur de Angelis, de hominis Creatione ejusque lapsu: in tertio de humani generis reparatione res est: circa novæ legis Sacramenta versatur quartus. Eamdem veluti methodum tenentes recentiores Theologi a majoribus in pluribus recessere, a nonnullis, quæ minus necessariæ illis visæ sunt, aut nihil aliud præter verba habere, quæstionibus abstinentes, prioribus quamplures addendo, per quas Theologia præsentis ævi maxime illustratur, ingeniosis eruditorum hominum dissertationibus valde locupletata.

Theologiam, si quoad substantiam consideretur, in quantum videlicet ex principiis fidei suas elicit conclusiones, quavis ratione id assequatur, ecclesiæ Christi simpliciter necessariam ille solus negare posset, qui Scripturarum & Sanctorum

ctorum Patrum lectioni parum deditus ignoraret, per illam fidem saluberrimam, ut mox dicebamus ex Augustino, quæ ad beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi, roborari. Hinc est quod dicat Apostolus ad Ephesios scribens, Deum ecclesiæ suæ dedisse Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut fideles non sint velut parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento Doctrinæ. & de Episcoporum officiis loquens ad Titum scribendo illum moneat, Episcopi esse ut amplectatur eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Id autem quomodo assequeretur Episcopus, nisi rerum divinarum scientia quæ Theologia est, polleret? ideo in suadenda divinarum scripturarum lectione iis qui aliis præsunt, toti fuere quolibet tempore Sancti Patres, utque scientiæ ecclesiasticæ, Canonum antiquorum, Patrumque studio vocarent sæpissime monuere Concilia, ut spiritualibus armis muniti, errorem revincere, impietatem conterere, hæreticos comprimere, infirmos confirmare possint. neque enim diversa ratione veritatis depositum custodiri valet. & quicumque in Ecclesia Dei constituti ad fidelium instructionem, cœlesti sapientia, vel Theologica scientia ditari contemnunt vel negligunt, & fideles proinde ipsorum curæ commissos, ut postulat officii ratio, docere non valent, Deum aliquando sunt audituri illis dicentem quod olim apud Osee prophetam dixerat, quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi:

Non tamen inde concludendum, omnibus singulisque Christi fidelibus scientiam illam quam Theologiam dicimus, simpliciter necessariam esse. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes prophetæ? Numquid omnes Doctores? inquit Paulus Corinthios alloquens. & licet omnium sit simplex fidei & mysteriorum intelligentia secundum uniuscujusque intellectus sphæram, ut de ea quæ in eis est spe rationem queant reddere, non omnium est de rebus fidei Christianæque religionis arcanis disserere. quapropter iis qui in Theologicis disputationibus minime versati sunt, non licet cum illis qui sunt ex adverso, id est hæreticis, contendere ne leviter nimis armati subversionis periculo exponantur.

Si de Theologia ratione modi sive methodi quæ pluribus ab hinc sæculis in scholis traditur, sermonem faciamus, illam non esse simpliciter toti Ecclesiæ necessariam certum est, cum absque illa diu fuerit, & florentissima Christi Ecclesia, quod asserti veritatem omnimode demonstrat. illam autem utilissimam esse, tum ad mysteriorum expositionem & intelligentiam, tum ad refellendos Novatorum errores, nemo sensatus negabit. quantum ex illa contra quorumcumque sæculorum hæreticos Ecclesiæ advenerit utilitatis norunt quotquot in rebus historicis sunt versati; & præter illos ii omnes qui advertunt per illam genuinas vocum notiones quibuslibet in controversiis exhiberi, verumque cujusvis controversiæ statum præcise aperiri, propositionis firmandæ fundamenta declarari, adversariorum argumenta & cavillationes confutari: quæ omnia cum ex Scholastica Theologia nos habere sit indubitatum, nisi ipsi evidentiæ aliquis refragari velit, in iis longius immorari foret superfluum. verum ut in doctrina Sanctorum Patrum fundatum dignoscatur quod asserimus, audiatur Sanctus Hilarius lib. 12.

de

de Trin. fidem, *inquit*, non nudam Apoſtolus, atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis potiſſima ſit ad ſalutem, tamen niſi per doctrinam inſtruatur, habebit quidem inter adverſa tutum refugiendi receſſum, non autem retinebit conſtantem obtinendi ſecuritatem: eritque ut infirmioribus ſint poſt fugam caſtra, non etiam ut arma habentibus adſit interita fortitudo. *audiatur & S. Auguſtinus lib. 2. de doctrinæ Chriſtianæ cap. 31. hæc habens.* Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris Sacris ſunt, penetranda & diſſolvenda plurimum valet. tantum ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium.

Hinc irridendi Lutherani & Calviniſtæ, aliique hujus furfuris homines non pauci, qui in Theologiam temere debacchantes, quaſi Scholaſtica diſciplina ſophiſmatibus ſolummodo foret occupata, quæſtiones vacuas & inanes movens, illam velut religioni noxiam, fideique alienam procul amandandam temere affirmarunt. verum hac in cauſa ipſis non ſine gravi fundamento diceretur, ſibi mentitam eſſe iniquitatem, ex eo quod ea, quam audacter nimis carpunt, ſcholaſtica Theologia utantur ad ſuos errores defendendos, & ad veritatem catholico-romanam impugnandam; in eam parcius inſurrecturi, ſi in ipſos valide ſimul & invicte ex illa non argumentarentur catholicæ Communionis Theologi, quod in iſtos ex parte Hæreticorum eſt majoris odii Seminarium. Nec intereſt quod inutiles, & etiam futiles quæſtiones non paucas quandoque tractent multi inter Scholaſticos, ex quarum enucleatione nihil incrementi religioni, nec Societati advenit: id enim Scholaſticis, non Scholaſticæ Theologiæ vitio vertendum eſt, cum ii re ex ſe bona & utili, vane, & male utantur. quapropter illa utiliter retenta, abuſus erant reſecandi. in illam ergo vehementius exardeſcant Etherodoxi falſa jactantes: vaneſcent illorum vociferationes, ex quibus nihil quod utilitati Theologiæ adverſetur legitime colligi poterit.

Verum non ideo probandi priorum temporum Hæretici, præſertim Ariani, oppoſitam tenentes viam, ſicut & recentis ævi Sociniani, qui rationem humanam totius religionis regulam unicam ſtatuentes, omnia fidei noſtræ capita juxta philoſophicum lumen metienda exiſtimarunt. Sunt enim hæc duo plane diverſa; in rebus fidei rationibus deſumptis ex Catholicæ veritatis principiis argumentari, ex propoſitionibus vel præmiſſis revelatis, vel ex revelatione mediate ſaltem cognitis; & de rebus fidei ex ſolo naturalis luminis dictamine, ſecluſa aut neglecta revelatione diſſerere, ac de illis juxta humani intellectus ſibi ipſi relicti Captum judicare. primum eſt religioſi hominis, philoſophiam & rationem fidei ſubjicientis, ſuum auctoritati & præcipuum, ſuum & rationi locum tribuentis: alterum impietatis eſt, auctoritati, quæ rationi, ut loquitur Auguſtinus, præparat hominem, ſervire renuentis. Non ergo fidei dominari debet humana ratio, nec juxta ipſam penſanda ſunt Chriſtianæ religionis myſteria, ſed unicuique jus ſuum eſt conſervandum, ut ſibi invicem ancillentur. quam regulam ſi prudenter tenerent Sociniani intellectum in captivitatem redigentes, adverſus ſcientiam Dei impie non ſe extollerent: tuncque excellens illud ingenium quo jactanter gloriantur, legitime exercentes, fidem & rationem inter ſe minime pugnare,

gnare, neque fide esse contra; sed supra aut præter rationem agnoscerent. quoties igitur in fidem insurgit humana ratio, eamque prosternere petulanter existimat, non veram, non sanam, sed falsam & vitiatam illam quilibet sapiens pronunciabit. quod ut Marcellinum non lateret, sic illum alloquebatur Augustinus epist. 143. Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit; & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod in eis, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit. *Verum de iis multa differere non juvat, circa quæ Consuli poterunt Petavius, aliique Theologi qui de Prolegomenis Theologiæ fuse tractarunt. Hos si adirent litterati non pauci de Religione parum solliciti, etsi inter Catholicos annumerandi, & non immerito, Theologicas Exercitationes, seu quæstiones per quas fides catholica magis ac magis elucidatur, nocivas & proscribendas non leviter adeo pronunciarent. Hujus tam salutaris scientiæ cognitio, & exercitatio semper certe maximum ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere, & sane intelligendas, & interpretandas; sive ad patres securius, & utilius perlegendos; sive ad varios errores & hæreses detegendas, & refellendas; inquiebat Sixtus V. Sanctum Episcopum & Cardinalem nostrum Bonaventuram eximiis ecclesiæ Doctoribus connumerans. & exinde concludebat, tanto magis decere Summos Pontifices hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem majorum conservare & tueri, quanto magis Hæretici hanc munitissimam scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare, & evertere conentur.*

Quantum habeat certitudinis Theologia facile intelligit quisquis novit conclusiones illius cœlesti revelatione, ipsaque Dei veritate & auctoritate fulciri. conclusionem enim Theologicam dicimus illam, quæ ex quodam fidei decreto, in quo velut in principio implicite dumtaxat & ex consequenti quasi delitescebat, ratiocinando extrahitur. ex quo sequitur Theologicam propositionem non debere esse per se & immediate revelatam; quæ enim est revelata, etsi ratione deduci possit ex aliis fidei capitibus, & ejusdem fidei caput. paris cum cæteris dogmatibus auctoritatis, non autem proprie loquendo Theologica assertio. unde fieri potest propositionem aliquam esse eodem tempore revelatam & fidei caput, nec non theologicam conclusionem; ut cum asseritur duplicem esse in Christo voluntatem. hæc propositio in quantum colligitur ex dogmate statuente duas esse in Christo naturas, divinam scilicet & humanam, est conclusio theologica, ex præmissis revelatis per ratiocinium illata. Sed pro ut est propositio revelata immediate a Deo, est verum dogma, quod negantes Monothelitæ hæretici reputati sunt. advertendum est quod theologica conclusio certa debet esse & evidens: si enim probabilis dumtaxat foret, nec ad fidem tunc, nec ad scientiam Theologicam pertineret. duo supponit dogma fidei, nempe quod sit a Deo revelatum, & quod ab Ecclesia nobis proponatur ut aliquid divinitus revelatum; est enim solius Ecclesiæ determinare quænam sint vere revelata: motivum fidei nostræ, seu ratio assensus quem dogmati præbemus est revelatio: medium vero quo de reve-

revelatione nobis constat, est Ecclesiæ definitio; & hæc duo in conclusione theologica non reperiuntur. Huic cum assentimur, motivum assensus est illius cum revelatione connexio; medium vero est ipsa ratio. quæ duo sunt accurate observanda, ne aliquando ut propositio de fide defendatur, illa quæ dumtaxat connectitur cum propositionibus revelatis, & ex illis per discursum infertur.

Ad gradum certitudinis Theologicarum conclusionum quod spectat, sint ne certiores conclusionibus aliarum disciplinarum quæ ratione aut evidentia fulciuntur, in eo difficultas nulla potest reperiri: inter certum enim & certum non reperitur magis & minus, nisi ad motivi dignitatem attenderetur. certitudo conclusionum Theologicarum sicut aliarum disciplinarum conclusionum certitudo, eodem nititur fundamento proximo & remoto: in ipsa siquidem Dei summa veracitate, summaque ejus bonitate utraque fundatur; & rationis universalis, seu evidentiæ generalis, non minus est auctor Deus bonus & verax, quam revelationis. unde inter utriusque ordinis conclusiones quantum ad certitudinem, gradatis comparatio gratis & otiose statueretur. quæcumque certitudo, modo sit vera, est interior animi affectio, qua rei propositæ absque ulla hæsitatione assentimur. ubi ergo nulla est hæsitatio, sive in revelatione, sive in evidentia immediate fundetur ille assensus, eumdem reperiri certitudinis gradum videtur indubitatum. omnibus scientiis naturalibus digniorem esse Theologiam fatebitur omnis qui in memoriam revocabit disciplinarum dignitatem desumi ex earum objecto & fine. Theologiæ objectum est Deus cognoscendus mediante lumine fidei: Deus possidendus in æterna felicitate est illius finis. alias ergo scientias dignitate superat Theologica disciplina.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Loci Theologici qui sunt veluti armamentaria, e quibus eruuntur momenta quibus ad conclusionum suarum probationem & confirmationem utitur Theologia, decem vulgo numerantur. de iis erudita methodo late scripsit ante omnes alios Melchior Canus e Dominicanorum familia, insignis Theologus, Canariæ Episcopus. sunt autem illi, auctoritas Sacræ Scripturæ, Traditionis, Ecclesiæ, Conciliorum, Apostolicæ Sedis, Romanorumque Pontificum, Sanctorum Patrum, Theologorum, Rationis, Philosophorum, Historicorum. generalem de illis notionem hic subministrare satis erit; quæ si brevior quibusdam videatur, opus eximium de locis Theologicis memorati præsulis adeant.

DE SACRA SCRIPTURA.

Cuicumque authoritati in rebus Theologicis praire Sacram Scripturam solus non Christianus negabit. est autem Scriptura Sacra verbum Dei revelatum ab hominibus inspiratis, in libris quos Canonicos vocamus scriptum. de illa loquens Apostolus epist. 2. ad Timoth. cap. 3. dicit quod omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, *&c. & epist. 2. divi Petri cap. 1. habetur,* Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. *Libri autem*

tem illi ideo dicantur canonici, tum quia fidei nostræ continent regulam, tum quia in pluribus Ecclesiæ canonibus illorum series continetur. canon enim vox Græca est regulam significans: unde fides nostra, nostrique mores dirigi debent juxta Sacrorum Canonum Sanctiones & Decreta, a quibus si devient, nec fides erit recta, nec mores sancti dicentur.

Sacram Scripturam dividi in Vetus Testamentum ante adventum Christi Scriptum, & Novum Testamentum post ipsius mortem ac resurrectionem eodem sæculo conscriptum, omnibus notum est. illi omnes libri quos Scripturarum Canon complectitur sunt vel legales, vel historici, vel sapientiales, vel prophetales. legales sunt in testamento veteri, quinque libri Moysis, qui uno græco nomine Pentatheucus dicuntur, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; in novo quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Historici in Veteri Testamento sunt libri Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Job, & duo Machabæorum; in novo testamento Acta Apostolorum. Sapientiales in testamento veteri sunt Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; in novo quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos; duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos. Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; & Judæ Apostoli una. Libri tandem prophetales sunt in veteri Testamento quatuor prophetæ majores, videlicet Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim minores scilicet, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; in novo autem Apocalypsis Joannis Apostoli.

Duplex est Sacræ Scripturæ sensus, litteralis, qui vocibus ipsis prout sonant exprimitur; Mysticus, qui non ipsis verbis, sed rebus per verba significatis indicatur. Sensus litteralis, alius est proprius, alius est metaphoricus. sensus proprius est ille quem verba simpliciter accepta præseferunt: metaphoricus vero est ille quem ex verbis improprie usurpatis, seu a re propria ad rem non propriam translatis habemus. Sensus Mysticus est, vel Allegoricus, vel Tropologicus, vel Anagogicus. per allegoriam quæ sub lege veteri sunt gesta, adumbrant ea quæ futura erant sub novo Testamento. ad morum informationem pertinet Tropologia. quæ de temporali veteris populi statu scripta sunt, per Anagogiam de alterius vitæ felicitate & Ecclesia triumphanti intelliguntur. quæ gesta sunt indicat sensus litteralis: quæ sunt credenda docet allegoricus: quæ nobis sint agenda testatur moralis: quo tandem pergere debeamus ostendit anagogicus.

Ex solo sensu litterali certa argumenta ducet Theologus, utque de hujusmodi sensu inter sanctos Patres & Doctores non controvertatur opus est. Si enim ambiguus sit Scripturæ locus, & ab illis diversimode intelligatur, ex illo probabile dumtaxat, non vero certum desumetur argumentum. mysticus sensus cum juxta uniuscujusque ingenium aut pietatem cudatur, sufficiens non est argumenti fundamentum, nisi ab Ecclesia ille sensus proponeretur, vel ejusdem Scriptu-

ræ authoritate fulciretur, vel ex ipsa textus serie necessario colligeretur, vel de ipso per traditionem constaret, ad veritatis confirmationem valet sensus mysticus qui est necessarius, minime vero dum sensus ille est mere arbitrarius.

Brevissimam hic Sacræ Scripturæ atteximus notionem, quæcumque ad illam spectant ex professo aliquando tractaturi. interea consulantur authores non pauci, qui in prolegomenis Theologiæ diutius immorantes, copiosius de Scripturis Sacris egerunt. magna cum nos maneat dicendorum seges, in ipso Theologiæ limine diu sistere gradum non juvat, satis pro nunc egisse arbitrantes, si candidatos monuerimus, ut Sacrarum Scripturarum lectionem summo & præcipuo loco semper habeant.

DE TRADITIONE.

Traditio divina ex qua Theologia argumentatur suas probando Conclusiones, est Dei verbum a Sacris Auctoribus non scriptum, sed vivæ vocis oraculo ad nos transmissum, ejusdem cum Verbo Dei scripto authoritatis. scriptum enim sit Dei Verbum vel non sit scriptum, modo constet illud esse Dei Verbum, eamdem ex parte hominum postulat reverentiam, & non dissimili pollet authoritate. de illo loquebatur Apostolus epist.2. ad Thessal. cap.2. dicens, state & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. *præter traditiones divinas quæ nihil aliud sunt quam ipsa Dei jussa tum Patriarchis, tum Prophetis, tum Apostolis a Deo & a Christo credita, scriptis non consignata, aliæ sunt Apostolicæ traditiones, aliæ ecclesiasticæ. Apostolicæ sunt quædam leges quas edidisse creduntur Apostoli, & si inter ea quæ in scriptis reliquerunt non reperiantur. ad illas attendens S. Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 3. sic loquebatur regulam ab omnibus servandam statuens:* quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. *Ecclesiasticæ sunt consuetudines quædam a primis Ecclesiæ pastoribus, vel ab ipsis fidelibus inductæ, quæ licet non scriptæ, vim tamen legis obtinent. Harum omnium traditionum testes sunt Sancti Patres qui singulis ætatibus floruerunt, unusquisque enim eorum refert quid suo tempore sentiret, quid observaret Ecclesia. illarum præterea extant vestigia, vel certa argumenta in Conciliis, in libris liturgicis, aliisque ejusmodi antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis. Hinc divina providentia quæ religioni præsertim invigilat cautum est ne interire aut depravari potuerint illæ traditiones, quarum vim ac necessitatem perpetuo agnovere Patres & Concilia, imo & ipsi Hæretici qui illas parvipendere se profitentur, & multa credunt, multa observant, quæ nonnisi traditione tenemus.*

Quamplura eorum quæ a Christo Domino tum ante mortem, tum post resurrectionem per dies quadraginta qui ipsius in cœlum Ascensionem præcessere, edocti sunt Apostoli ad Ecclesiæ Christianæ regimen, minime ab ipsis conscripta, ad nostra usque tempora traditione pervenere. Hæc ab Apostolis acceperunt qui per civitates sunt ab ipsis Episcopi constituti: illi rursus docuerunt alios sibi successuros, a quibus alii docti similiter sunt & ordinati: sicque custoditum huc usque

que est in Ecclesia verbi Dei depositum, ad finem usque temporum in illa, & ab illa custodiendum. unde lib. 2. contra Julianum cap. 10. Num. 34. dicebat Augustinus Patres quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia, *inquit S. Epiphanius, adversus Apostolicos Num. 6.* idcirco alia scripto, traditione alia Sanctissimi Apostoli reliquerunt: quod ipsum ita Paulus affirmat: quemadmodum tradidi vobis. *ad traditionis vim & usum attendens S. Hieronymus adversus Luciferianos sic loquebatur.* etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis... consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi Scriptæ legis usurpaverunt. *quot & quanta sint consuetudines ab Ecclesia receptæ ad dogmata & ad mores ordinem dicentes, quæ scripto proditæ non sunt, & in sola traditione fundantur, recenset ex parte lib. de Spiritu Sancto cap. 27. S. Basilius, addens quod deficeret ipsum dies, si Ecclesiæ Mysteria citra scriptum tradita pergeret recensere: quod ad traditionem commendandam satis est.*

Ad ipsam Scripturarum Sanctarum intelligentiam traditione utitur Ecclesia: tum ut intelligatur qui sint libri vere Canonici, tum ut habeatur legitimus Scripturarum sensus. Neque enim libros alios recipit ecclesia in Canonicarum Scripturarum numerum, quam quos ab Apostolis manasse certa traditione novit. Nec illas sacras explicat Scripturas, nisi juxta eum sensum quem constanter tenuit Ecclesia. quanto ergo cum studio majores debet interrogare Theologus ut noverit quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, ut id tenens universitatem, antiquitatem, consensionem sequatur, quis non videt? de Theologi nomine falso gloriaretur, qui etsi multa volumina pervolvens quæ traditionis sunt, sollicite non investigaret. Huic merito hæc Apostoli verba Hæbr. cap. 5. adscriberentur: cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa Exordii Sermonum Dei.

DE ECCLESIA.

Ecclesiam Christianam esse Societatem fidelium, qui coadunantur unius fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, ejusdem spei vinculo, sub auctoritate legitimorum Pastorum, quorum Caput visibile est Summus Pontifex Romanus Episcopus, Petri Apostoli successor, Christi in terris Vicarius, solus Hæreticus inficiaretur. Hæc autem cum sit columna & firmamentum veritatis, falli nescia ut a Spiritu Sancto perpetuo edocta & directa, supremam habet in dirimendis fidei controversiis auctoritatem, illiusque judicium utpote infallibile, ejusve tribunal ex eo quod legitimum sit, nequit declinare quicumque Catholicus, dum de rebus fidei, aut morum regulis agitur. omnis enim qui Ecclesiam non audit, sicut Ethnicus & Publicanus nobis esse debet, ex ipso Christi verbo. ex eo ergo quod Ecclesia aliquid in fidei dogma definiendo & suscipiendo nullatenus possit errare, neque proinde errando deficere, ut sæpe sæpius a primis Religionis Christianæ temporibus adversus Hæreticos ostensum est cau-

ſam agentibus ſanctis Patribus & controverſiſtis, utque, ubi de Chriſti Eccleſia ex profeſſo, abunde probamus contra recentiores avi etherodoxos, ſequitur Eccleſiæ decretis, velut Dei oraculis nobis eſſe acquieſcendum. quod dixiſſe ſatis eſt ut dignoſcatur, quam grave argumentum ex Eccleſiæ definitionibus deſumat Theologus in iis omnibus quæ ad fidem vel ad mores pertinent, pro ſuis aſſertionibus ſtabiliendis & defendendis.

DE CONCILIIS.

UT fidei depoſitum cuſtodiatur, & profanæ vitentur vocum novitates Epiſcopi invigilantes, cum inſurgentes controverſias in rebus fidei dirimere ſuo judicio non potuere ſoli, ob nimiam contradicentium multitudinem vel factionem, atque etiam ob controverſiarum gravitatem, totiuſque Eccleſiæ exigentiam, in unum convenerunt, modo generalibus in comitiis, modo in particularibus congreſſibus, tum nationalibus, tum provincialibus, prout Chriſtianæ Reipublicæ bonum expoſcebat. illis in Spiritu Sancto congregatis, per ſe vel per ſuos Legatos præſidente Summo Pontifice, ad quem de jure ſpectat Conciliorum tum convocatio, tum approbatio, quidquid ab Epiſcopis ab eodem Spiritu Sancto poſitis regere Eccleſiam Dei, quibuſve ſolis de jure iis in conventibus ſedere ut judicium ferant datum eſt, in cauſis fidei & morum ut dogma; vel dogmati neceſſario connexum, fuit definitum, ut ipſius divinitatis oraculum a quibuslibet Chriſtianis ubique gentium acceptum eſt, ac tanquam infallibile & irrefragabile Eccleſiæ judicium vel decretum ab omni non hæretico obſervatum. quod de Conciliis Oecumenicis & Generalibus, univerſam Eccleſiam repræſentantibus, ſimpliciter verum eſt: & de Conciliis particularibus, dum ipſis accedit Eccleſiæ totius conſenſus, cui, ſive ſit per orbem diffuſa, ſive ſit legitime congregata, infallibilitatis privilegium numquam de futuræ divinitus conceſſum eſt, ſimiliter eſt intelligendum.

Conciliorum quæ huc uſque in Eccleſia habita ſunt, vel ad finem uſque ſunt habenda, norma extitit Concilium quod Jeroſolymis habuerunt Apoſtoli, ut dirimerent ſubortas quæſtiones graves inter converſos ex Judæis, vel ex gentibus fideles, de quo Actorum cap. 15. etſi abſolute neceſſaria non ſint Concilia, cum Eccleſia diſperſa non minus ſit infallibilis quam Congregata, & multæ hæreſes, e gravioribus etiam, abſque Conciliorum convocatione fuerint proſcriptæ, ut jam ſua ætate obſervabat magnum Eccleſiæ Africanæ lumen Auguſtinus, neceſſaria interdum eſſe poſſunt, ob maximam quæ in Eccleſiam univerſam redundat utilitatem, ut norunt qui in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Lectione verſati ſunt: eſtque Concilium medium ordinarium definiendis fidei controverſiis accommodatum, potiſſimum ut diſſidentium querimoniis obvietur; illoque congruo medio non uti eſſet aliquando periculoſum, quo uſi ſunt Apoſtoli, controverſiam de legalibus Antiochiæ exortam abſque Concilio definire nolentes. Nullibi melius fides univerſalis Eccleſiæ ſolet apertius explicari, vel ſplendidius eminere, aut ſecurius prædicari, quam in compendio univerſalis Eccleſiæ, quæ Conciliis generalibus repræſentatur, ajebat ſæculo proxime elapſo Petrus de Marca, inter celebres Eccle-

Ecclesiæ Gallicanæ Episcopos non ultimus. cætera quæ ad Concilia spectant suo loco, suoque tempore dicentur.

DE SUMMO PONTIFICE.

M*Aximam quocumque tempore extitisse Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiæ Romanæ, Summique Pontificis auctoritatem pro dirimendis fidei controversiis, litibusve inter ipsos diversarum Ecclesiarum Episcopos exortis, nulla pars orbis ignorat. idque primæ Sedis dignitati debebatur honoris, ob Divi Petri Episcopatum, qui petra est æternum duratura, super quam Ecclesiam suam Christus ædificavit, ut majores causæ ad illam referrentur, ac illius fides & traditio cæteris Ecclesiis tamquam forma atque regula proponeretur. Hinc factum est quod primis Christianitatis diebus, sicut & in temporum decursu, sanctiores, nec non doctiores Episcopi Romam mitterent, de gravissimis circa Religionem negotiis ad Summum Pontificem scribentes, nihil in magni momenti disceptationibus definire volentes Romana Sede inconsulta. & merito quidem, cum Romanus Antistes in ea sit collocatus cathedra,* quæ non solum unitatis centrum est, sed ad quam in rebus dubiis velut ad veritatis oraculum qui non vult errare, confugere debeat, *ut in Epistola ad Alexandrum VII. loquebatur doctissimus Godeus inter ejusdem Galliæ præsules nulli secundus.* Nam ut verbis Cæsarii Arelatensis utar, *inquiebat idem Episcopus Summum Pontificem velut alloquens,* sicut a persona Beati Petri Episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid agere debeant, evidenter ostendat. *Hac ducti ratione, veraque erga Petri Cathedram & Ecclesiam principalem unde unitas Sacerdotalis exorta est, moti reverentia Africani præsules, tam Carthaginensis Provinciæ quam Numidiæ, damnata ab ipsis Pelagii ac Cœlestii doctrina, acta illorum Conciliorum ad Innocentium Papam miserunt, ut ipsorum judicium Sedis Apostolicæ auctoritate firmaretur; utque comparata Ecclesiarum Africæ traditione cum Romanæ Ecclesiæ traditione, a Summo Pontifice probatum haberent, utrum rivulus ille Africanus, licet exiguus, ex eodem quo etiam illius abundans emanaret capite fluentorum. Erat autem prioribus sæculis solemnis adeo, usitatusque recursus ad summum Pontificem & Sedem Apostolicam, ut ipsi Hæretici & Schismatici ad eam confugerent, schismatis vel hæresis ignominiam vitaturi si cum Ecclesia Romana consentirent. unde contra Novatianorum aliorumque hujusmodi insidias præmunire volens Sanctum Cornelium Papam Sanctus Cyprianus; ipsum Ep. 55. vel 59. sic alloquebatur:* Navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis & prophanis litteras ferre. *His positis, facile intelligitur Romanum Pontificem supremæ præ reliquis sigillatim in universa Ecclesia esse auctoritatis: atque adeo Sanctæ Sedis Decreta summo ab omnibus honore esse excipienda; nec ulli contra ea quæ semel pronunciavit Summus Pontifex sentire licitum esse, multove minus ejus determinationis contrarium dogmatizare, ut loquitur Gerson Academiæ Parisiensis Cancellarius, nisi manifesta appareret ratio repugnandi,*

di, quibus vero in casibus illud evenire possit, præsentis instituti non est investigare. pro nunc advertisse sufficit maximam in universa Ecclesia præ cæteris auctoritatem habere summorum Pontificum Constitutiones, utpote quæ emittantur ab ea Sede quæ aliarum mater est & caput: unde ex illis non leve infert argumentum Theologia, etsi non omnino certum ac necessarium a quampluribus reputetur.

DE SANCTIS PATRIBUS.

EX Sanctis Patribus in aliquo asserendo quod ad fidem vel ad morum regulas spectet inter se convenientibus infallibilis & irrefragabilis authoritatis argumentum elici quis non fatetur? tunc enim ad locum traditionis cujus testes illi sunt reducitur, proindeque non verum esse non potest dogma quod defendunt, aut tenent in cunctis Christiani Orbis regionibus hæc Ecclesiæ lumina, quæ ut suos Patres, suosque Doctores habere illa gloriatur. verum hi seorsim si sumantur, magna licet ipsis debeatur reverentia, ejusdem non sunt auctoritatis, & ex eorum verbis & scriptis non nisi probabiliter argumentatur Theologus, cujus majoris vel minoris probabilitatis argumentum efficitur juxta gradum quem ii respective in Ecclesia obtinent. Sunt enim nonnulli inter Sanctos Doctores, primas in quibusdam materiis habentes, ut Athanasius & Hilarius circa Trinitatem, Leo circa incarnationis mysterium, Hieronymus circa expositionem Scripturarum, Augustinus pro arcanis Divinæ gratiæ ac prædestinationis, qui harum veritatum intelligentia singulari videntur illustrati; unde iis in quæstionibus sunt aliis Doctoribus anteponendi, nisi cæteri omnes, vel etiam major eorum pars illorum sententiæ adversarentur. ad ea autem quæ fidei non sunt, sed ad humanas pertinent disciplinas, eadem non gaudent authoritate Sancti Doctores, etsi concordes inter se inveniantur, cum hujusmodi quæstiones ordinem ad revelationem non dicant, sicque circa eas traditio divina minime versetur. non tamen etiam in iis rebus non est parvi faciendus illorum consensus, quos scientiarum humanarum peritos fuisse horum scripta vel dicta testantur. Si autem aliquis eorum videretur in quibusdam a veritate deflectere, aut duriora essent illius verba quam ut possint in bonam partem explicari, ab ejus sententia ut par est recedendo, debitus illi honor servandus tamen est, ac de illo semper est modeste loquendum. Neque enim sol ex eo quod quasdam patiatur eclipses, desinit esse luminare majus quod est.

DE THEOLOGIS SCHOLASTICIS.

CUm juxta vulgare effatum unicuique sit de propria arte credendum, quis temeritatis non damnaretur concordem Doctorum Scholasticorum sententiam respuens? a Scholasticis Doctoribus instruitur ac defenditur Christi Ecclesia, quæ quinque aut sex abhinc sæculis illos habet, cæteris paribus, loco Sanctorum Patrum: unde merito huic accommodari possunt hæc Psalmistæ verba, pro patribus tuis nati sunt tibi filii. *Nec aliud in Ecclesia docent hodierni Theologi, si in globo*

globo & simul considerentur, præter id quod ab ipsis priorum sæculorum Patribus ac Magistris edocti sunt: quare si illi omnes errarent, ipsa Ecclesia in errorem laberetur, quod prorsus est impossibile. validum ergo elicietur argumentum in rebus fidei & morum ex communi Theologorum consensu. Si vero non sint inter se concordes, & majori illorum numero aliqui non mediocris notæ contradicant, utramque opinionem probabili donari fundamento id signum erit, proindeque nihil certi circa propositam quæstionem posse determinari. tuncque ad vim rationum quibus utriusque partis Theologi fulciuntur erit attendendum, & standum iis qui Sanctorum Patrum dictis propius adhærebunt. Neque enim authoritatem facere graves Theologos aliquis arbitrabitur, nisi ex valida ratione ipsi loquantur: atque etiam Doctor inter alios celebratissimus secluso argumentorum pondere parum audiet, aliis, etiam minus celebratis, ob gravia momenta oppositum defendentibus. quæ omnia sunt metienda juxta ea quæ olim diximus dum de opinionum probabilitate extrinseca ageremus.

DE RATIONE NATURALI.

IN rebus quæ sunt Religionis & fidei humanæ ductu rationis agi, modo prudentiæ regulis consulatur, nemo illicitum esse prædicabit. iis in circumstantiis rationi naturali valedicere, vel illam solummodo seclusa auctoritate audire, non minoris videtur esse periculi. in quæstionibus ad fidem spectantibus servanda sunt rationi sua jura. non eo sensu quod rationi humanæ subjaceat fides, de qua judicium ferre præsumat, ut contendunt Sociniani, quidquid rationi aut testimonio sensuum minus consentaneum videtur a religione procul amandantes, sed in quantum per eam explicantur & elucidantur ea fidei capita, quæ nonnisi per ratiocinium ex primævis revelationis fontibus hauriuntur. etiam dum de religione tractatur, homines agere debent ut homines sunt; nihil quod rectæ rationi vere adversetur, ut de fide tenendum ipsis proponi pro certo habentes. quot modis, quot in casibus rationis naturalis usum adhibuerint in difficilioribus explicandis fidei mysteriis Sancti Patres, atque etiam Auctores Sacri, notum est adeo, ut de iis longius differere sit penitus superfluum.

DE PHILOSOPHIS.

PHilosophorum authoritatem inter locos Theologicos non difficulter annumerabit quisquis attendet iis aliquando usos fuisse Sacros Scriptores, ipsosque sæpe sæpius a Sanctis Patribus in testimonium fuisse vocatos. quot enim sunt quæstiones, quot Theologica dogmata quæ philosophicis quæstionibus connectuntur, ut Dei providentia, atque etiam ejus existentia, animæ rationalis immortalitas, aliaque non pauca, quæ ex communi consensu philosophorum non levem gradum certitudinis habent? ex illorum sententiis igitur probabiliter argumentabitur Theologus, dum hujusmodi placitis plus æquo non tribuens, in iis rebus in quibus a veritate non deflectunt, eorum rationibus utetur juxta rerum exigentiam. quis enim vanum, aut imprudens reputaret illos audire, illos sequi

qui

qui intimam naturæ vim explicarunt, ipsamque rationis humanæ vocem altius sunt rimati, & in multis rebus viam fidei præparasse prædicari possunt? ex eorum tamen argumentis nulla exurget certitudo, quæ certitudini fidei valeat æquari.

DE HISTORICIS.

MUltum in rebus Theologicis Historicos juvare, quandoque etiam esse humanas historias absolute necessarias, potissimum in iis quæ ad Chronologiam spectant, certum ita est ut nihil magis. quod ut manifestum fiat satis erit si dicamus, ipsos sacrorum Librorum authores sæpe ad historiam remittere, & in ipsis non pauca reperiri quæ sine perfecta historiæ notitia nequeunt intelligi, ut sæpe sæpius experti sunt qui rationes temporum accuratius sunt perscrutati. non solum Ecclesiastica historia Theologo est necessaria ut Hæreticis sese opponat: sed etiam multis in casibus historia profana, ne ex ipsius ignorantia multa falsa & sibi adversantia tuenda suscipiat. ex historiis autem humanis eo fortius elicietur argumentum, quo illæ majoris erunt authoritatis. ejusmodi autem esse reputabuntur juxta authorum gravitatem & sinceritatem, præsertim si ea scripserint quorum testes fuerunt, vel quæ scripserunt acceperint ab hominibus fide dignis, qui ea narraverint quæ ipsi viderunt vel audierunt, & in quibus ab aliis vel a se ipsis decipi minime potuerunt.

De auctoritate Sancti Augustini in rebus Prædestinationis & Gratiæ.

SAnctum Augustinum Ecclesiæ Hipponensis Antistitem inter cæteros Catholicæ Christi Ecclesiæ Patres & Doctores velut fulgidissimum Solem inter Stellas splendescentem, secretiora divinæ gratiæ mysteria, occultioraque Prædestinationis arcana, aliis Doctoribus altius fuisse rimatum, nemo nisi omnimode indoctus ignorat. perdifficiles & intricatas hujusmodi quæstiones adversus hæreticorum, Pelagianorum potissimum, versutias & cavillationes subtiliter adeo ac feliciter ab ipso pertractatas, ut Augustini doctrinam circa easdem, suam fecerit Sancta Romana Ecclesia, veram ac perpetuam suam fidem in ejusdem scriptis recognoscens, cui veritatis, amico compertum non est? Hunc pro gratia Christi validissime contra pervicaces illius hostes dimicantem demiratus Sanctus Hieronymus, epist. 195. ad ipsum Augustinum, his alloquebatur verbis: Macte virtute: in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque suspiciunt, & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. *in dirimendis ergo quibuscumque controversiis, quæ circa gratiæ necessitatem, gratuitatem, efficaciam, & naturam, inter Theologos sæpissime moventur, summa gaudere auctoritate Hipponensem, eumque præ cæteris Doctoribus esse audiendum; nec non ubi de hominum prædestinatione ac reprobatione, aliisve ad illam ordinem habentibus quæstionibus, adeo ut quæ ipse de iis revera dixerit, sint ab omnibus, tamquam certissimum quid, indubitanter suscipienda, consensus in eo est omnium.*

Et

Et merito quidem, cum contra inimicos gratiæ Dei catholica acies istius viri ductu pugnaverit semper & vicerit, eosdem, quotiescumque adversus illos dimicaverit, Augustino pro illa & cum illa incessanter pugnante, haud dubie superatura. Non igitur mirum, quod præstantissimum hunc Doctorem summis laudibus celebraverint Summi Pontifices, ipsius doctrinam ita approbantes, ut in explicandis præcipuis catholicæ fidei capitibus, potissimum si de gratia Christi aliquantulum agatur, nullus sit qui suum non velit esse Augustinum; quique adeo non formidet ab ipso discordare, ut etiam si ab illius recedat sententia, eloquium nihilominus & orationem ab illo velit mutuari. Hunc pro merito extollens Cœlestinus Papa in epistola ad Gallos, eum dicit pro magistro optimo a Romana Ecclesia semper fuisse habitum, nec umquam sinistræ suspicionis saltem rumore aspersum; eosque coercendos esse vult, qui Augustino obtrectantes, ipsius de prædestinatione doctrinam reprehendebant, illum in dicendo modum excessisse calumniantes: talisque dicentibus resistendum pronuntiat.

Sanctus Leo, nondum conquiescente Gallorum factione, quædam capitula de gratia & libero arbitrio, ex libris Augustini verbatim decerpta, misit ad Concilium Arausicanum, ab Episcopis illis recipienda & subscribenda, ut etiam factum est. Et Papa Gelasius in Concilio Septuaginta Episcoporum, nedum probavit omnia scripta Sancti Augustini, ut optime observat Bellarminus, sed etiam ipsi adversos Joannis Cassiani & Fausti Rhegiensis libellos damnavit. Hinc Clemens Octavus totam disputationem in Congregationibus de Auxiliis ad normam doctrinæ Sancti Augustini adstringendam judicavit. non enim æquum ipsi videbatur, ut quum in Ecclesia prædecessores ejus non pauci, quasi hæreditario jure voluerant relinqui doctrinam, pateretur illam hac quasi hæreditate privari. & reapse fere omnes Summi Pontifices religioni duxisse videntur quod illæsa semper Augustini doctrina remaneret. unde dicebat apud Morinum Innocentius X. ubi est Sanctus Augustinus, ibi est Ecclesia. *quanti fecerint Augustinum Sancti Doctores qui ab ipsius diebus ad nos usque vixere, nec non sacrosancta Ecclesiæ Concilia, recensere esset superfluum, cum neminem possit latere. illius ergo doctrinæ quod incessanter in iis quæ conscripturi sumus adhæreamus, præsertim de scientia & voluntate Dei, de Prædestinatione aut reprobatione, de gratia Christi, hominisque libertate tractaturi, ab omnibus in veritate ambulantibus probabitur. Summa cum reverentia cunctos Ecclesiæ Patres, Sanctosque Doctores perpetuo excipiemus: at Augustinum magistrum diligentius in omnibus habebimus, ab ejus mente, vel in minoris momenti quæstionibus, aliquando recedere nefas arbitrantes. Hunc enim, Martino V. docente, tantæ fuisse scientiæ novimus, ut nihil pene ex Scripturis Sacris possit, nisi eo duce intelligi; nihil nisi eo interprete explicari: & unus postremo omnium Patrum sapientumque ingenia, ac studia exhibeat. utinam quem in discendo ductorem læti suscipimus, nobis in agendo ita sit exemplo, ut apud Deum, verum & efficacem hunc habeamus intercessorem!*

INDEX

SECTIONUM AC QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

quæ-

Aſſer-

As-



Fr.

Fr. Petrus Joannetius de Molina Sacræ Theologiæ Lector, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu Matritensi pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Ordinis S.P.N. Francisci iterato Minister Generalis, Visitator, ac Reformator Apostolicus, in Domino Servus.

Vigore præsentium licentiam damus R.P. Joanni Jacobo Aymar Lectori Jubilato, Doctori Theologo, Nostræ Observantis Provinciæ Aquitaniæ antiquioris alumno Typis mandandi opus ab ipso compositum, cui titulus: Exercitationes Theologicæ, *de Deo, ejusque attributis* &c. juxta verioris Doctoris Subtilis principia &c. modo a duobus Lectoribus Jubilatis a nobis ad hoc designatis publica luce dignæ videantur, servatis de cætero servandis.

Datum Romæ ex Aracæli die 31. Julii anno 1762.

(*Fr. Petrus Joannes de Molina Minister Generalis.*

Loco Sigilli

Registratæ

De Mandato Reverendiss. in Christo
F. Petrus Jacobus de Lojano Secret. Generalis Ordinis.

Theo-


THeologicum opus, cui titulus. Exercitationes Theologicæ, *de Deo*, *ejusque attributis &c.* juxta veriora Doctoris Subtilis principia &c. ab egregio, præclarissimoque Admodum R. P. Joanne Jacobo Aymar Sacræ facultatis apud Minoristas Lectore, ac Doctore ingeniose compositum, jubente Reverendiss. Nostro Patre Ministro Generali Petro Joannetio de Molina summa cum voluptate perlegimus, in eoque mirati summus doctrinæ profunditatem, claritatem in rebus difficillimis explicandis, felicitatem denique in detegenda veritate, eaque firmissime tuenda. Quare æquum censemus, ut typis mandari possit, dum iis, ad quos spectat, sic videatur.

Dat. Parmæ in Conventu Sanctissimæ Annuntiationis die 29. Junii 1763.

(*Fr. Claudius de Mirandula L. Jubilat. & Exprov.*

(*Fr. Melchior de Buxeto Lect. Jubil. Minister Prov.*

EXER-



EXERCITATIONES THEOLOGICÆ

De Deo uno ejusque Divinis attributis.



Agnus es, Domine, & laudabilis valde, magna virtus tua, & Sapientiæ tuæ non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio Creaturæ tuæ, cum Augustino Deum alloquente lib. 1. confess. cap. 1. exclamabit quisquis suæ non immemor creationis, hoc primum esse ac unum hominis officium attendet, magnificum ac sapientem suum continuo laudare Creatorem. Hunc quem prædicat quidquid existit in rerum natura, pro modulo nostro celebrare aggredimur. Etenim de eo loqui, de eo disserere, de iis, quæ ad incomprehensibilem ejus naturam spectant, religiose tractare, ipsum laudare est; de illius bonitate confisi, quod ipse adjuvabit infirmitatem nostram, ut quæ nostri sunt muneris adimplentes, de eo, si digne minus, digna tamen loqui possimus. Nobis altiora non quærere, nec fortiora nobis scrutari prudenter satagemus, ne propius quam decet ad Deum accedentes, audaciores majestatis scrutatores effecti, opprimamur a gloria. Hoc unum vos monitos velim quotquot ista conscripturi estis aut lecturi Theologiæ Candidati: ob vanam gloriam, aut vitiosam curiositatem, aut turpem quæstum, paganorum more, supernaturalibus cognitionibus animum ne imbuatis, qui dumtaxat ut meliores efficiamini, propriamque sic aut aliorum ad ædificationem, studio vacare debetis; utque, Superno donante Numine, cognitis Christianæ Religio-

nis arcanis, vitam degatis sanctiorem. Ante mentis vestræ oculos illud Sapientis indesinenter habeatis; *Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente iniquitate.*

Quidquid circa Deum, divinaque illius attributa suscipimus investigandum, sex curabimus comprehendere sectionibus. Supremi ac unici illius Numinis existentiam & essentiam prima ostendet. Quænam inter attributa tum inter se, tum comparate ad essentiam Divinam distinctio sit admittenda, statuet secunda. De variis Dei attributis tertia tractabit. Circa illius visibilitatem occupabitur quarta. Quænam Deo insit scientia quinta resolvet. Quæ ad illius spectant voluntatem sexta tandem complectetur.

SECTIO PRIMA.

De existentia Dei ejusque essentia.

CUm juxta Augustinum de libero arbitrio lib. 1. cap. 2. optime de Deo existimare verissimum sit pietatis exordium, ab ipsius existentia simulque ac essentia initium sumere debere quæ circa illum sumus indagaturi admonet ratio. Id autem cum methodo ut assequamur, singula diversis attingemus quæstionibus, ne ex dicendorum multitudine confusio oriatur.

QUÆSTIO PRIMA.

An propositio Deum existentem prædicans sit per se nota.

PRopositionem per se notam cum Doctore subtili in 1. dist. 2. quæst. 2. dicimus eam, quæ ex intellectis terminis evidenter innotescit. Distinctionem quam statuunt aliqui inter propositionem per se notam quoad se, cujus prædicatum in idea subjecti includitur, & per se notam quoad nos, quam veram demonstrat ipsa terminorum enunciatio, inadmissibilem cum Scoto judicamus. *Nulla est* inquit Num. 3. *distinctio de per se nota in se, & in nobis, quia quæcumque est in se, & per se nota cuicumque intellectui est per se nota, licet non actu cognita, tamen quantum est ex terminis est evidenter nota, si termini concipiantur.* propositio nulla potest nota vocari, nisi respective ad intellectum cognoscentem. Unde verus præsentis controversiæ sensus est, utrum per se nobis manifesta sit Dei existentia: quod minime in dubium revocabit quisquis confitebitur existentiam ita Deo essentialiter competere, ut nequeat ullo modo concipi Deus, quin existens concipiatur. Aliunde Thomistas inter & Scotistas de nomine tota lis esse videtur, omnibus consentientibus propositionem istam, Deus existit, notam esse per se quoad se: quo admisso intentum habent quicumque Doctori subtili adhærent, volentes alicuam propositionem notam denominari non posse nisi quatenus intellectam,

ASSER-

ASSERTIO UNICA.

Propositio Deum affirmans existentem est per se nobis nota.

HAnc assertionem, quam expresse tenet Scotus loco citato num. 4. sic loquens, *propositio illa Deus est, est per se nota, quæ conjungit ista extrema, esse & essentiam Divinam, sive Deum & esse sibi proprium:* probare non erit difficile, etenim illa propositio est per se nota nobis, cujus prædicatum ita essentiale est subjecto, ut quicumque claram habet utriusque ideam, prædicati scilicet & subjecti, concipere non possit subjectum absque prædicato, adeo ut sublato prædicato, subjectum non remaneat, neque intellectus ullo modo valeat considerare tale subjectum præscindendo a prædicato, ex eo quod idea unius necessario & absolute importet ideam alterius. Res autem sic se habet in propositione affirmante Deum existere. Ut primum enim aliquis serio reflectit ad illud quod significatur per illam vocem Deus, & eodem instanti attendit ad id quod existere significat, necessario compertum habet subjectum nec esse nec concipi posse absque tali prædicato, quod includitur essentialiter & necessario in subjecti idea. Quod ita verum est, ut quantumvis ingenio laboret homo, supposita semel in illo idea illius quod declarat hæc vox *Deus*, nusquam poterit, nec per abstractionem metaphysicam, separare existentiam ab illo, utpote quæ sit de primario illius conceptu & inseparabiliter. Et major non requiritur intelligentiæ vis ad dignoscendam inter utrumque connexionem necessariam, vel prædictæ propositionis veritatem, quam ad intelligendum principium istud, totum est majus sua parte, vel illud, quæ sunt eadem cum uno tertio sunt eadem inter se: cujus duplicis axiomatis evidentia, licet utrumque sit per se notum, exigit quod prædicati & subjecti clara & distincta habeatur idea: quæ in hominibus rudibus & ingenio tardis facilior non est, quam idea Dei, quæ ideam existentiæ secum importat.

Et ita convincens videri debet hoc ratiocinium, ut illud Doctor Angelicus ex parte habeat ut principium indubitatum, dum quæst. 10. de veritate, art. 12. in corp. ait, *ad hoc quod aliquid sit per se notum, nihil aliud requiritur, nisi ut prædicatum sit de ratione subjecti; tunc enim subjectum cogitari non potest sine hoc quod prædicatum sibi inesse appareat*. Ex qua propositione facilis est inductio pro minori, relative ad quæstionem propositam, ex qua sequatur necessario nostræ veritas assertionis. Hinc est quod 1. parte quæst. 2. sic concludat: *Dico ergo quod hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum ejus est idem cum subjecto, Deus enim est suum esse.* Nec talem veritatem ullatenus valent evertere quæ subjungit, quominus hæc propositio nota per se, non sit nota nobis: *Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scilicet per effectus*. Neque enim ut nobis per se innotescat Deum existere, opus est quod sciamus quid sit præcise illius constitutivum; sed satis est quod intelligamus, illud quod

vocatur Deus, cujus Idea nequit esse nisi juxta mensuram nostræ mentis, imperfecta nempe & valde limitata, necessario cognoscatur existere, & in illius primaria idea inseparabiliter, ut dictum est, includatur existentia. Quod revera accidit quoties attendentes ad ea quæ existunt, naturaliter concludimus illorum quemdam esse authorem a quo existentiam participent, qui rerum omnium author, existentiam a nullo alio participare debet, sed illam habere a se ipso & aliunde ut per effectus nobis Dei existentia demonstretur opus est, quod sit nobis per se notum illos quos vocamus effectus, non posse esse ex se ipsis: Et illud facilius non est intellectu, quam facile est intelligere esse aliquod primum ens per se existens, a quocumque alio independens, a quo cætera cuncta dependeant.

Et ideo præcise quia per se nobis notum est Deum existere, nullus esse homo potest, quantumvis rudis supponatur, modo, sit cujusdam ratiocinii capax, qui Deum possit invincibiliter ignorare, ut alias ostendimus. Illud que ex hoc principio colligere videntur Sancti Patres, atque etiam gentiles Philosophi. *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem:* inquit Tertullianus lib. de Spectac. cap. 2. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut Creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, & penitus possit abscondi*: ait Augustinus Tract. 106. in Joan. *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferea, quæ non, etiamsi ignorat, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat*, dicebat Tullius in 1. de legibus. Unde est quod non nullis placeat nusquam veros fuisse Athæos. Si enim tales aliqui voluerunt haberi, id in eis fuit ex ridicula quadam singularitate magis quam ex vera quadam opinione in qua extiterint, quod nullum esset Supremum numen æternum, increatum, a se existens, & a quo suum esse haberent quæcumque sunt. Si quidem absque testimonio de se loquente, in hominis cujuslibet mente Deus semetipsum deserere non potest. Quod revera experti sunt ipsi insipientes qui aliquando sine Deo fuerant, quando ad cor suum & ad primitivum rationis lumen rediere, quod innumeris exemplis haud difficile ostendi posset si opus esset; & ut videri potest apud illos qui falsitatem vel non existentiam Atheismi demonstrarunt.

Quod autem etsi nobis sit per se nota Dei existentia, non tamen sit pariter nobis per se notum quid sit Deus, ita ut non nisi vario discursu multiplicique ratiocinio quamplures intelligant Deum esse ens necessarium, id quod optimum est, id quo majus aut melius excogitari non potest, ens denique perfectissimum, id satis libenter concederem. Licet enim id sequatur ex plenitudine entis quæ in Deo est, vel melius quæ Deus est, & necessitatem a se ipso existendi comitetur, cum ad hujusmodi cognitionem deveniri non possit nisi gradatim, & ex comparatione quam plurium idearum inter se, quæ licet philosophis, & hominibus acutie mentis præditis haud difficulter insit, hominum tamen vulgo inesse nequit nisi magno rationum anfractu, secundum majorem vel minorem intellectus tarditatem, id saltem respectu illorum non videtur dici posse ipsis per se notum: alioquin quam multa dici pariter possent per se nota nobis, quia ad illorum cognitionem non raro devenimus

mus leviori discursu; sic nihil haberet præ illis necessaria Dei Existentia, quod nullus nisi audacter & temere proferret. Et fortasse hæc fuit Angelici Doctoris mens dum dixit, hanc propositionem, Deus est, non esse nobis per se notum, quia nos non scimus de Deo quid est, quod etiam per varios discursus nisi modo imperfectissimo, quandiu peregrinamur a Domino, videntes per speculum & in enigmate, scire non valemus; id etiam qui Deum vident facie ad faciem, perfecte non intelligentibus, cum non nisi a se ipso Deus comprehendi possit. Quo posito ut revera est, controversia Thomistas inter & Scotistas tota erit de nomine, cum juxta hunc sensum proposita quæstione, diversimode alii præ aliis sentire non possint.

Et juxta mox allatam expositionem videtur intelligendus Sanctus Anselmus in Prosologio, cap. 2. cum dixerit existentiam illius quo majus nihil cogitari potest, non esse in solo intellectu id cogitantis, sed & in re, sic loquitur cap. 4. *Nullus intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licet hæc verba dicat in corde, aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo majus cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.* Certe quidem, ut primum bene intelligitur Deum esse id, quo majus nequit excogitari, ipsum existere & necessario, & independenter a quolibet alio, cunctaque ab illo originem habere eo ipso per se nobis notum est, quia terminis intellectis pro ut significant, existentia talis includitur in idea illius quo majus cogitari non potest? Sed major hominum pars in præsenti naturæ status ad illorum terminorum intelligentiam non venit, nisi discurrendo & ratiocinando, ideas cum ideis comparando. Unde Dei existentia sub hoc respectu illius scilicet quo majus cogitari non potest, non poterit relative ad illo dici nota per se, ut pote quæ pro ipsis non levi egeat expositione: licet aliunde verum sit, hac facta expositione ex qua oritur terminorum intelligentia: existentiam illius, quo majus excogitari nequit, Dei scilicet, esse illis per se notam. Verumtamen quoquo modo sumatur, exinde evidenter colligendum erit, Deum a nullo mentis compote posse invincibiliter ignorari.

Non deerunt qui opponunt, si propositio affirmans Deum existere, esset nobis per se nota, non fuissent homines qui illius negassent existentiam: Deus absconditus dici non posset: itaque propositio nulla indigeret ratiocinatione ad sui manifestationem. Id autem omne sic esse in dubium nequit revocari. Magnum fortasse aliquid fari existimabunt talia objicientes, cum tamen nihil in iis sit difficultatis. 1. Falsum absolute dico fuisse homines ratione utentes, qui Deum penitus ignoraverint, vel ipsum non esse serio crediderint. Multos fuisse Atheos practice, qui ita vixerint ut si judicassent Deum non esse, & cupiditatibus dediti ipsum non existere, ut illis facilius ac pacatius indulgerent desiderantes, multosque adhuc reperiri illis similes quis ignorat? Illud in humanitatis dedecus, etsi inviti, confitemur, & in hoc sensu quæcumque loca Sacræ Scripturæ, in quibus impii & insipientes Deum negasse aut nescisse narrantur, intelligenda esse dicimus cum Sanctis Patribus, aliisque Ecclesiæ Doctoribus. 2. Deum existere per se nobis notum est,

est, ut ostendimus: attamen illum esse absconditum non minus certum est. Absconditus ergo est quantum ad existentiam, ita ut dubitari possit an existat? minime. De illius natura, ejusque modo existendi illud dicitur, & circa utrumque nobis est ex aliqua parte, sed non ex omni absconditus: plura enim de illo scienda habemus, quam sint ea quæ in hac vita de eo intelligere ac prædicare valemus. Vel potius, ut Scripturæ sensum attingamus, sic Deus absconditus dicitur respective ad suæ sapientiæ leges, suæque providentiæ regulas, juxta quas omnia quæ in mundo sunt & fiunt, regit & moderatur, ita ut illa quæ ab ordine providentiæ divinæ recedere videntur, huic tamen subjaceant ordini, ipsive inserviant: atque etiam absconditus nobis est Deus, si ad ejus attendamus judicia quæ sunt occultissima, viasque ejus inspiciamus, de quibus loquens Paulus Rom. cap. 11. sic exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Sed hæc omnia non sunt ad nostrum propositum, cum de existentia Dei agatur, quæ sensatum neminem latere potest juxta mox exposita.

Nec infirmatur nostra veritas assertionis per id, quod tertio loco additur, nempe quod si propositio affirmans Deum existere, esset nobis per se nota, nulla indigeret ratiocinatione ad sui manifestationem; illud enim gratis opponitur, nihilque veritatis habet hujusmodi inductio; quod ex principiis, vel prima rerum notione fit manifestum; propositio per se nota ea est, quæ ex terminis simpliciter apprehensis nata est causare sui evidentiam in intellectu. Nec obstat quod ad terminorum notionem veram comparandam multiplici aliquando opus sit discursu. Tunc enim necessaria illa ratiocinatio non est ad propositionis manifestationem, sed ad statuendum quid per subjectum & prædicatum illius significetur, & ad ostendendum quomodo, vel saltem quod unum sit idem cum alio; vel ad efficiendum quod termini ex quibus coalescit propositio nota per se, concipiantur, ut inquit Scotus. Quibus terminis intellectis, propositio nota per se (quod habet independenter a quolibet intellectu, & a relatione essentiali subjectum inter & prædicatum, ita, ut illud necessario includatur in idea illius, a quo neque per mentem, ut supra diximus, possit separari) eo instanti fit per se nota nobis. Unde sophisma potius quam directa argumentatio dici potest iste sillogismus: illud non est notum per se quoad nos, quod omnibus & singulis statum & sine discursu non innotescit. Sed Dei existentia statim & sine discursu non innotescit omnibus & singulis: etenim a multis ratiocinantibus rejicitur, cum a multis Philosophis, Epicureis nempe, aliisque Atheis rejiciatur. Ergo existentia Dei non est per se nota quoad nos. Propositio major, quæ est universalis, expositione indiget, & in minori nequit sumi secundum suam universalitatem. Sciendum enim est, an supponat ut aliquid sit nobis per se notum, quod & ipsi termini propositionis statim & sine discursu omnibus & singulis innotescunt: hoc in casu, falsa est major propositio, quæ in minori propositione fit particularis, & non minus de terminis propositionis, quam de ipsa propositione potest intelligi; & vera esse potest respectu terminorum, qui prima fronte

non

non nullis, tum ex mentis tarditate, tum ex variis præjudiciis, possunt non esse manifesti; falsa tamen est respectu propositionis, terminis illius semel intellectis; & istud sic ostendo. Hæc propositio, Deus existit, est nota per se. Detur aliquis ignorans significationem duplicis hujus vocis, quod certe occurrere potest, si aliquis reperiatur, qui ex infantia sibi ipsi relictus, & ab omnium consortio segregatus ad provectam ætatem usque, de iis neminem loquentem audierit, etsi aliunde per intimum sensum, & perpetuam experientiam de propria existentia certus, quam proinde ob vocum non usum nullo termino poterit significare: huic homini cum aliis deinde degenti manifestetur quid per existentiam intelligatur, quid nomine Dei significetur, quod fortasse non intelliget nisi multiplici ratiocinatione, varioque discursu, terminis ab illo tunc intellectis, nulla alia adhibita ratiocinatione, existentia Dei illi homini statim innotescet, & propositio illa, Deus est, quæ per se nota erat, etiam illo non intelligente, fiet per se nota ipsi intelligenti. Recens cognitio veritatis istius propositionis in nomine illo nihil mutat naturæ talis propositionis: hæc erat jam nota per se, ut supponitur, & est, fit illi hominis, ex recenti terminorum intelligentia, nota: erit igitur per se tunc nota homini illi.

Et miror quod nobis hac ex parte oppositus Nicolaus Iherminier, sacræ facultatis Parisiensis Doctor insignis, hoc sillogismo tanquam fundatissimo nitatur nulla adhibita expositione, huncque per se deficiente, hac propositione confirmet; propositio per se nota quoad nos ea dicitur, quæ ita clara, ita perspicua est omnibus, ut nulla ratiocinatione opus sit ad illam manifestandam, cujusmodi sunt illæ propositiones primæ: *impossibile est idem simul esse & non esse: totum est majus sua parte;* quæ a nemine revocantur in dubium. Quomodo non advertit vir doctissimus, perspicuitatem vel evidentiam propositionum non repeti ex eo quod absque ulla ratiocinatione manifestentur; hoc enim falsissimum est, cum ipsa evidentia oriatur in rem cognoscente, ex explicita vel implicita ratiocinatione, quam absolute præsupponit, cum ad præbendum assensum cuicumque propositioni, quantumvis evidenti, non moveatur intellectus nisi per ratiocinationem. Assensus propositioni evidenti etsi necessarius, est verum judicium duas ideas uniens vel separans, & judicium illud prærequirit ratiocinationem eo majorem vel minorem, quo facilius vel difficilius termini quibus exprimuntur illæ ideæ concipiuntur. Evidentia propositionis oritur ex impressione quam in mente producit judicium illud duas conjungens ideas ab invicem inseparabiles, quarum una est essentiale prædicatum alterius & necessario; vel separans duas ideas incompossibiles absolute, quarum una in nullo sensu de altera est prædicabilis. Quod ita verum est, ut propositio quædam possit non esse evidens cuidam terminos illius non concipienti, quæ majori hominum numero, cui noti sunt termini, sit evidens, eo quod in istis facillimum sit de his ideis judicium, quod circa illas est in aliis difficilius. Unde tali supposito judicio, intellectus huic unioni vel separationi harum idearum non potest non assentiri, ex eo quod tale judicium per se pariat evidentiam. Et aliunde propositio non est per se nota aut evidens

evidens quia a nemine revocatur in dubium, sed potius a nemine revocatur in dubium, quia judicium quod circa illam ex conceptis terminis fertur, evidentiam necessario parit. Hinc est quod S. Thomas lib. 1. contra gentes cap. 11. pro ut refertur ab illo Celebri Doctore, postquam dixit quod, *quia hoc ipsum quod Deus est mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos*, sic pergit: *Sicut omne totum sua parte majus esse per se notum est simpliciter: ei autem qui rationem totius mente non conciperet, oporteret esse ignotum*. Quæ ultima verba illationi hujusce Sorbonistæ ex omni parte colendissimi, evidentissime adversantur.

Hac non superflua digressione, cum juxta illam metiri debeamus, utrum veri fuerint Athei vel non, qua nituntur partem affirmantem tenentes, sic proposita, ad quæstionem principalem redeamus, si tamen veram rei notionem, ne ludatur in terminis, distincte indagare, fuit ab illa recedere. Ratiocinatio quæ aliquando prærequiritur ut ex propositione per se nota ac evidenti exurgât in mente quorumdam hæc impressio evidentiæ, quam præ se fert ex intelligentia terminorum si concipiantur, est ipsi propositioni accidentalis, nihil ab ipsa tollens virium, quas habet ad pariendam ex se evidentiam, sed tota hujus ratiocinationis necessitas se tenet ex parte hominis terminos propositionis non sat intelligentis, qui expositione indigent, ut ex eorum intelligentia, propositionis evidentia dignoscatur. Quapropter tam Div. Thomas, quam Scotus, aliique Doctores communiter exigunt ad propositionis evidentiam, ut quid prærequisitum sine quo nihil, quod termini concipiantur. Sicque fieri potest quod propositio quæ modo mihi per se nota non est, cras sit per se mihi nota, quod non est ex vitio propositionis, ita ut magis per se nota sit uno tempore, quam aliis temporibus, quod nec cogitari potest; sed ex vitio mentis meæ, modo non intelligentis vim terminorum, quos cras perfecte capiet. Unde ex necessitate ratiocinationis illius nihil adversus assertionem recte concluditur.

Igitur, ut rem summatim definiamus: „ propositio per se nota, inquit Doctor, ea dicitur quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet veritatem evidentem; & non propter aliquid aliud quod sit extra terminos proprios, habent evidentiam, sed ex se tantum, ut omne totum est majus sua parte: quæ propositio ex his terminis sic conceptis, ut sunt ejus termini, nata est habere evidentem veritatem complexionis. Ex quo patet ait idem Scotus, quod distinguere non est inter propositionem esse per se notam & per se noscibilem, quia idem sunt. Nam propositio per se nota non dicitur, eo quod ab aliquo intellectu cognoscatur per se; tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota; sed dicitur per se nota, quia quantum est de natura terminorum nata est habere evidentem veritatem contentam in terminis, etiam in quocumque intellectu concipiente terminos, quos si aliquis intellectus non concipiat, & ita non concipiat propositionem, non minus est per se nota, quantum est de se. Sicut patet de Syllogismo perfecto, qui nullius indiget, ut appareat necessarius. " Hæc ille. Ex quibus non improbabiliter concluderetur,

tur, utrumque Doctorem Angelicum nempe, & Subtilem, quantum ad substantiam rei satis inter se convenire, licet in quibusdam differant quantum ad principiorum usum aut applicationem unde; ut aliquid evidens assertum est, propositione affirmantem quod Deus existat, esse per se nobis notam, quod fere ab omnibus Theologis ut indubitatum habetur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An impressam a natura existentiæ Dei ideam aut cognitionem in nobis ipsis ab ortu feramus.

„ QUisnam ne est hominum qui non cum istius principii notione diem „ primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non affixum, „ imo ipsi pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse „ Regem ac Dominum, cunctorum quæcumque sunt moderatorem? " ajebant Arnobius Lib. I contra gentes: & quis ei non assentitur? verum lumen illud quod signatum est super nos, ex quo Dei unius omnium rerum creatoris ac rectoris existentia nos latere non potest, sit ne Idea quædam illius innata, ut post Carthesium multis placet Theologis, sit ne quædam nobis insita ratiocinandi vis, qua facili discursu ex iis quæ sunt, & ex nobis ipsis colligamus necessario unum omnium conditorem ac moderatorem existere, non nisi difficile potest determinari. Neque enim omnes de iis ideis quæ dictæ sunt innatæ, quod sint & quid sint, compertum habent; quin potius juxta veriora philosophiæ principia, non nullis placuerit omnes nostras ideas, cunctasque ex iis exortas rerum cognitiones, tam in spiritualibus quam in materialibus, a sensationibus originem ducere, ita ut exacte loquendo, verissimum sit illud bene intellectum axioma, *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu;* quod ingeniose nuper a philosopho non mediocris notæ, simul & invicte fuit demonstratum, illæsa hac in unoquoque nostrum a natura impressa supremi unius numinis moderantis quæcumque ab ipso sunt, indelebili cognitione, & ab ipso, si directe procedant, recedere nequeunt quotquot volentes hanc propositionem, existit Deus, non esse per se notam quoad nos, tenent non aliter quam per discursum facilem quidem, quem fere semper præcedunt parentum aut magistrorum colloquia & præcepta, nobis inesse unius Dei existentiæ cognitionem: Hæcque videtur vera Divi Thomæ doctrina dum lib. I. contra gentes cap. 12. dicit quod *nostra cognitionis origo in sensu est, etiam de his quæ sensum excedunt.*

Et nihil interest quod argumentum desumptum ex idea innata Dei multum virtutis habeat adversus Atheos, quod incumberet probandum, & absolute negatur ab iis, quibus non arrident ideæ innatæ; ex falso supposito desumpta ratiocinatio, cum fictitio aut labili fundamento ruat necesse est. Id, inquam, non interest, cum aliunde quam plura sint ac validissima argumenta, vel potius demonstrationes ad Atheos convellendos. Est autem verus præsentis quæstionis sensus, utrum in nobis a natura quoddam lumen habeamus

ſive dicatur idea ingenita, ſive dicatur cognitio quam neceſſario parit facilis diſcurſus ex rebus aſpectabilibus ad earum authorem conducens, ratione cujus neminem lateat Dei exiſtentia, ita ut ex illo lumine naturaliter Deum oſtendente, cuicumque ad ſe ipſum attendenti vocemque illam naturæ audienti, demonſtrari queat exiſtentia Dei, adverſus eos qui eam vellent partem affirmantem amplectemur, de iis qui contrariam tenent parum ſolliciti, modo contra libertinos & impios intentum habeamus.

ASSERTIO UNICA.

Extat in omnibus nobis lumen aliquod a natura, cujus ductu exiſtere Deum rerum omnium creatorem ac gubernatorem ita invicte cognoſcimus, ut ex illo vere demonſtretur Dei exiſtentia.

EVidens adeo eſt hujus veritas aſſertionis, ut & gentiles philoſophos, quos, dum rationi conſentiebant, fugere non poterat, illius fuiſſe defenſores omnibus ſit compertum: " unum quiddam, idemque numero eſſe ſimul ubi„ que totum, communis indicat mentis humanæ conceptio; quando omnes „ naturali quodam inſtinctu clamant, in unoquoque noſtrum eſſe Deum: „ adeo ut unus in omnibus idemque ſit Deus „ inquit lib. 5. Enneadum Plotinus e ſchola Platonis " quæ gens, aut quod genus hominum, quod „ non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Deorum, id eſt ante„ ceptam animo quamdam informationem? dicebat Tullius lib. 1. de nat. „ Deorum. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt, „ inquit, quo cunctarum nationum Deos ratione cognoſcentium comperto conſenſu, ſic veluti concludendo loquebatur lib. 1. Tuſcul quæſt. " „ Nulla eſt gens tam barbara, quæ non fateatur eſſe aliquem Deum: adeo „ quidem ut homines falſum Deum habere malint, quam nullum omnino " quæ ethnicorum verba oſtendunt, quanta ſit vis luminis illius in omnibus hominibus a natura impreſſi, ad ſupremi numinis eorum quæ ſunt creatoris ac moderatoris, exiſtentiam invicte manifeſtandam.

Et revera cœlum & terra fortiter adeo in hominum mente de Deo loquuntur, ut ab ipſa ratione deviare dicendi ſint etiam ipſi ſapientes *in quibus*, ut dicitur Sapi. cap. 13. *non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex*. Quare autem inſipientes & vani? niſi quia rerum ſenſibilium ſpecie delectati, ſpecioſiorem eorum dominatorem neſcierunt, vocique naturæ minime obtemperantes, ſpeciei generatorem hæc omnia conſtituiſſe non ſunt recordati: & in hoc omnimode culpandi; *a magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri... Si enim tantum potuerunt ſcire ut poſſent æſtimare ſæculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* & invictum adeo contra impios eſt argumentum vox illa naturæ in cordibus hominum perpetuo de Deo loquentis, ut impietatem gentilium, & illorum etiam qui inter ipſos ſapientes dicebantur, ex eo increpaverit Apoſtolus Rom. cap.

cap. 1. quoniam veritatem Dei in injuſtitia detinuerunt, illum palam non adorantes, aut aliis non prædicantes, quem naturali lumine non potuerunt non cognoſcere: *quia quod notum est Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Cujus vis argumenti neminem fugit, qui ad cor ſuum rediens, omnia quæ in mundo ſunt & videntur, authorem ſuum ac moderatorem, tacito ſed potentiſſimo ſermone ſibi prædicare in ſemetipſo experitur.

Apoſtoli Pauli argumento utentes fere omnes priorum ſæculorum patres, inexcuſabiles dixerunt gentiles, quod Deum omnium creatorem & rectorem cum natura docente intellexiſſent, ipſi gloriam & honorem non attulerunt: non nullos ex illis pro omnibus aliis audiamus, omnibus nota ſunt iſta Juſtini martyris verba Apologia 2. *Dei appellatio nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis, naturæ omnium inſita opinio*. Quid expreſſius iis quæ in admonitione ad gentes ſcribit Clemens Alexandrinus ſic loquens: *omnibus ſimpliciter hominibus, maxime autem iis, qui verſantur in doctrina & litteris, inſtillatus eſt quidam divinus influxus, qua de cauſa, vel inviti quidem, fatentur unum eſſe Deum ab interitu alienum & ingenitum*. Egregia ſane ſunt quæ dicit Tertullianus, Apologetici cap. 17. *quod colimus Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum corporum, ſpirituum, verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ... inviſibilis eſt, etſi videatur: incomprehenſibilis, etſi per gratiam repræſentetur: inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur; ideo verus & tantus eſt... Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt. Vultis ex operibus ipſius tot ac talibus quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur? vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus pravis circumſcripta, licet libidinibus ac concupiſcentiis evigorata, licet falſis Deis exancillata, cum tamen reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam potitur, Deum nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit omnium vox eſt; judicem quoque conteſtamur illum: Deus videt, Deo commendo, Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, ſed ad Cœlum reſpicit. Novit enim ſedem Dei vivi, ab illo & inde deſcendit*. Quid evidentius dici poſſit unde evincatur cunctis hominibus ineſſe lumen aliquod a natura, cujus ductu invicte cognoſcere valeant, & de facto dum hunc ſequuntur vere cognoſcant exiſtere Deum, non qualemcumque, ſed Deum verum, de quo quæſtio movetur, qui vere ſit mundi hujus, & Cunctorum quæ extant creator & rector; dicant qui illum Deum & Dominum vellent ignorare, ſed in corde, inviti licet, ore quamvis contraria fari non verecundentur, coguntur confiteri.

Non directe minus ex Euſebio Cæſarienſi eadem veritas comprobatur. Ipſi lib. 2. præparat. Evang. Cap. 9. ſic loquenti aures attentas præbeamus. *Eximium illud ac ſalutare in primis, quod Dei nomen eſſentiamque ſignificat, ipſius*

naturæ ductu, impreſſiſque animo per ſeſe notionibus, vel divinitus potius inſpiratis nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis ſenſu percepere, cum id omni animo, ratione & intelligentia prædito, idem hujus univerſitatis artifex naturalibus quibuſdam cogitationibus inſeruerit. Audiatur tandem Auguſtinus, ut de cæteris taceamus, quorum omnium una eademque vox eſt. *Quod Deus dicitur univerſæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequam in Chriſtum crederent, non omni modo eſſe potuit hoc nomen ignotum. Hæc eſt enim vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus poſſit abſcondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata eſt, univerſum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Si ergo ſint aliqui qui Dei exiſtentiam negantes, huncque eorum quæ ſunt conditorem non agnoſcentes, hi ex Auguſtino annumerandi ſunt cum iis, qui ratione non utuntur, vel dicendi ſunt ex iis eſſe, in quibus nimium depravata natura de ſuo authore infeliciter conticeſcit, & ſuper quos, ut ait Paulus Rom. cap. 1. revelatur ira Dei de cœlo: quique evanuerunt in cogitationibus ſuis, & quorum inſipiens cor obſcuratum eſt, ſed ex illis nihil contra aſſertum concludi poteſt, contra ipſos ubique. Terrarum fortiter reclamante cunctarum nationum numeroſiſſimo cœtu.

His auditis tum ſcripturæ, tum patrum, atque etiam veterum philoſophorum teſtimoniis, ſic ad veritatis manifeſtationem arguere licet. Lumen illud cujus ductum ſequentes ſupremi numinis rerum omnium creatoris ac gubernatoris exiſtentiam ex nobis ipſis neceſſario cognoſcimus, omneſque cunctarum gentium, & cujuſque temporis homines pariter cognoſcunt, eſt in nobis impreſſum a natura, quod commune omnibus eſt iis qui naturam illam participant, quodque in omnibus idem eſt, licet in quibuſdam clarius fulgeat quam in aliis, & in nullius anima penitus deleri poteſt. Hæc enim univerſalitas quæ individuum quodcumque ratione uti valens complectitur ita naturam matrem, omnibus unam ſupponit, ut aliud ullo modo nequeat habere principium quid quid in ſingulis ejuſdem ſpeciei conſtante & ſecundum eamdem formam reperitur, cum in naturam refundatur, & ab illa ſola proficiſcatur ut ipſi proprium, illud quod omni ejus individuo convenit & ſemper, juxta receptiſſima metaphyſices principia. Extat autem in omnibus nobis, ut teſtantur ea quæ mox retulimus, lumen ex quo evidenter & invicte cognoſcimus exiſtere Deum rerum omnium Creatorem ac gubernatorem, quem ſupremum numen vocamus. Sit ergo a natura in nobis omnibus lumen illud neceſſe eſt. Ex illo autem lumine vere demonſtrari ſupremi illius numinis exiſtentiam oſtendemus quæſtione ſequenti.

Lumen hujuſmodi, vel melius dictamen naturæ, ratione cujus, de Deo naturaliter, & ſecundum ſe notum eſt ſi eſt, ut loquitur Doctor ſubtilis, non dicemus ideam innatam, cujus naturam explicare valde difficile eſt; ſi enim hæc idea vel cognitio in ipſa animæ creatione eſſet nobis adeo infuſa; quamcumque aliam ideam acquiſitam ſeu cognitionem in pueris, eo inſtanti quo cujuſdam cognitionis ſunt capaces, præcederet neceſſario vel infallibiliter Dei idea aut cognitio, cum illa in hac hypotheſi eſſet quid primum in anima noſtra; id

tamen

tamen verum non est, ut propria docemur experientia. Aliunde supponi posset hominem licet omni sensatione a nativitate carentem, habere Dei ideam, quod est absolute impossibile. Illud ergo naturæ dictamen in nobis omnibus alte de Deo loquens ex quo ratione utimur, recte dicemus occultam quamdam naturæ vocem, quæ nos facili discursu, ac non implicata ratiocinatione, ex nobis metipsis, aliisque rebus aspectabilibus, ad illarum & nostri creatorem ac moderatorem Deum verum & unicum gradatim sed necessario conducit. Idque eo libentius dicemus, quo verius sensum scripturæ sacræ & sanctorum patrum, hoc posito videmur attingere. Laudata enim ex illis testimonia, & alia quæcumque possent afferri, si sint vere ad propositum, indicant absque ambiguitate qualibet cognitionem Dei, seu ideam per discursum & illationem ex prævia nostri, aliarumve creaturarum idea & cognitione, ut attente cuilibet a præjudiciis libero rem perpendenti fiet prima fronte manifestum. *Ratio illa omnibus divinitus insita, ac primum in pectoribus nostris, condita, cunctisque mortalibus innixa, nos ab his rebus quæ oculis cernuntur, ad Deum subvexit*, inquit Gregorius Nazianzenus, orat. 2. de Theol. Cujus sancti Præsulis verba facilem nobis præberent aliorum sanctorum patrum intelligentiam, si quid ex eorum dictis posset difficultatis occurrere. Præterquamquod ipsi ideæ innatæ circa Dei existentiam defensores, illam dicant non actualem Dei cognitionem sed facultatem vel naturale lumen, quo ex sola terminorum apprehensione intelligimus Deum esse, eodem modo, quo statim ac sine prævio discursu, inquit Tournely, concipimus veritatem istarum propositionum, impossibile est idem simul esse & non esse: alteri ne feceris quod tibi fieri non vis. Atqueetiam fatentur ideam illam Dei, quam innatam volunt, in nobis excitari occasione rerum quæ in mundo cernimus, ut ait Witasse. Verum longius ipsis erat progrediendum, probando quomodo illud fiat absque discursu quocumque, quod ipsis erat impossibile, huncque prævium discursum necessario supponant ea quæ offerunt, illum impugnare volentes; cum aliqualem, etsi facilem, discursum requirat apprehensio terminorum, sine quo nec ipsi apprehenderentur termini. Ex quo fit ut ad nostram accedant sententiam, dum suam statuere sibi blandiuntur. Cæterum non minus premuntur Athei per dictamen illud naturæ in sensu exposito, imo facilius & efficacius perstringuntur, quam per ideam innatam, multis etiam Theologis invisam, qui vocem hanc naturæ nos facili discursu ex creaturis ad creatorem infallibiliter conducentis, omnium hominum mentis efficaciter loquentem, ut quid indubitatum admittunt.

Nec forte superfluum erit observare, ideæ illius innatæ de unius veri Dei existentia defensores, ut quid ad illam pertinens supponere quod non nisi per multiplicem discursum, alia cum aliis comparando dignosci potest. Volunt enim hanc innatam Dei ideam intime impressam animæ, absque discursu & ex se ipsa nobis repræsentare Deum ut ens perfectissimum, ut summum bonum universe, quod nec quidem excogitari potest. Hinc etenim sequeretur non minus esse per se notum quid Deus sit, quam quod sit, proindeque nos habere ideam innatam de essentia Dei sicut de ipsius existentia:

quod

quod saltem verum esset in sententia eorum qui voluere divinam essentiam constitui formaliter per cumulum seu congeriem omnium perfectionum actualium, quod idem sonat ac ens perfectissimum. Et verum esset etiam in aliorum sententia, cum fluat necessario a veri Dei essentia quod omni vera perfectione donetur, & quod sit summum bonum universe, in quocumque modo sumatur, sive in quantum quidquid boni habet aut accipit creatura, illud ab hoc summo bono quod est Deus, participat: sive in quantum ille est omne bonum transcendentaliter, qui proinde solus potest esse verum bonum creaturæ rationalis, cui longe ab illo summo bono omnia dura sint & amara, ut quodam loco loquitur Augustinus, necesse est. Quomodo ostendere possint id, quod tamen non est admittendum, non sequi ex innata idea Dei sub respectu entis perfectissimi aut summi boni, quem dicunt esse quid primum in idea existentiæ Dei, arduum nimis videtur. Idea igitur entis perfectissimi, idea summi boni in universum, est valde complexa, & in mente hominum efformari nequit nisi prævio discursu varias ideas supponente. Prius sciendum videtur quid perfectionis, quid imperfectionis nomine debeat intelligi, & præcipuarum saltem perfectionum grosso modo est habenda cognitio. Quid dici debeat bonum & summum bonum non facile adeo intelligitur; & quam plures sunt homines, qui ideas illas metaphysicas habere nequeunt nisi difficili ratiocinatione, quæ ex variarum idearum comparatione, & non aliter proficisci potest; quæ difficultas, qui labor cum supposita hac innata Dei cognitione, quæ facillima esse debet si vera est, conciliari minime possunt. Et mirum quod in illa sententia tot difficultates, quas leviter dumtaxat attingimus, & ex quibus aliæ quamplures oriuntur, non senserint qui eam, ut quid indubitatum & quasi evidens, defendunt. Iis omnibus obviatur, si vox illa naturæ in mentibus hominum efficaciter loquentis de Deo, modo a nobis exposito sumatur. Unde juxta hanc expositionem quæcumque occurrent dicenda quæ ad illum dicant ordinem, volumus intelligi. Et pauca sunt quæ hoc posito solvenda occurrant adversus assertionem; quibus tamen ut faciamus satis nos admonet veritatis amor.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

I. Objectio. Natura in omnibus hominibus uniformiter loquente, si ex ipsa in cunctis esset dictamen illud ex rebus aspectabilibus ad illarum factorem & moderatorem Deum facili discursu necessario nos conducens, nullus hominum esset, qui rerum omnium Creatorem Deum posset ignorare, vel negare, nullique proinde fuissent Athei. Contrarium tamen constat. Quot philosophi, quot impii quorum nomen ad nos usque pervenit, qui nihil de Deo crediderunt; & fortasse quot ad hunc extant, qui nullum supremum numen a quo ortum habuerint & regantur ea, quæ sunt, admittentes, de quibus dici potest quod sint sine Deo in hoc mundo; & adversus quos christiana pietas, si posset separari a charitate, quæ omnia suffert, omnia sperat, divinam invocaret justitiam, dicens cum psalte Regio, effun-

effunde Domine iram tuam in gentes quæ te non noverunt. Fictitium ergo sit oportet lumen illud naturale, & gratis omnino mentibus nostris impressum supponitur.

Resp. utinam homines omnes ad illud naturæ dictamen vellent attendere, nec aliquando reperirentur qui vim illius experientes inviti, scintillam illam extinguere conarentur! at proh dolor! eo amentiæ devenere nonnulli, ut plurimum cordis cupiditatibus fascinati, ut mentem ipsam, ita depravaverint, qui naturæ de Deo loquentis dictamen adeo obscurare misere potuerunt, ut Deum, quem scelerum suorum ultorem ferre nequibant, nullum esse desiderantes ut liberius & securius voluptati indulgerent, non existere sibi fere persuasum habuerint. Illum tamen penitus ignorare non valuerunt, frustra contra rationis dictamen pugnantes, hunc sibi ipsis intime præsentem sæpissime experiebantur, ut in se tandem reversi confessi sunt. Naturam igitur in omnibus hominibus de Dei universorum conditoris & rectoris existentia uniformiter loqui est indubitatum: illiusque vocem quoties audire volet homines quicumque sint, ejusque sequi dictamen, a creaturarum, suique ipsius consideratione ad creatorem infallibili tramite devenient, cum inter creatorem & creaturas sit relatio omnimode necessaria. Nullus est hominum qui facili discursu vim demonstrationis habente, sentiens se non esse a semetipso, & gradatim de omnibus quæ sunt aut fuerunt ex consequenti idem judicium ferens, ratione naturali non agnoscat, se, cunctasque creaturas alias, unum necessario habere authorem, qui ut omnia ab illo esse habeant, nullum debuit habuisse creatorem, sed esse a se ipso, alioquin daretur progressus in infinitum, quod absurdum esse, ratione dictante, ab omnibus tenetur. Hinc facile videtur quid sentiendum sit de iis qui Deum ignorasse dicuntur, & pro Atheis habentur quod multi fuerint omni ævo qui vixerint eodem modo ac si existimassent non existere Deum, eumque revera non esse in votis habuissent, id jam concessimus nimia id edocti experientia, eosque practice Atheos vocari non renuimus. Ergone fuere Athei speculative, interne, ac directe qui quodam judicio supra se reflexo omnem unius Dei omnium rerum auctoris sensum deposuerint? nequaquam. Idque de variis gentilitatis philosophis, aliquotve vulgo sapientibus dictis gratis asseritur: & si ut tales, etiam a nonnullis patribus habiti sunt, id in sensu generico & improprio est intelligendum: eorum maxima pars inter paganos, gentium ridiculam multitudinem, & multo magis eorum simulachra pro nihilo reputabat, ac de iis inconsiderate, & aliquando contemptibiliter loquebatur. Cum autem quid de uno Deo cunctarum rerum opifice, qui naturæ lumine, & ex rerum creatarum seria contemplatione illis non erat absconditus, sentiebant illi philosophi aut sapientes, populo quem satis non faciebant, cujusve profanam superstitionem, irridebant ob multiplices Deos illius eorumque idola, non aperirent, pro Atheis habiti sunt. Neque etiam inter eos defuere, qui ex stolida quadam ostentatione, vel ex singulari jactantia, ut aliis hominibus mentis acumine superiores viderentur, sicut etiam nostris accidit temporibus, de omnibus apparenter dubitantes, circa primam mundi originem, ipsiusque gubernationem siste-

ſiſtemata ſiſtematibus addentes, etiam ipſius Dei exiſtentiam coram multitudine, aut privatis colloquiis ore blaſphemo impugnaverint. Nihilominus illi omnes, niſi depravatis affectibus corde radicaliter vitiato mens ipſa, Deo illud permittente in ſcelerum pœnam, obtenebrata adeo fuerit, ut lumen naturale quaſi extinctum in ea videretur reſpectu Divinitatis, quod non impoſſibile judicarem, licet inde nihil in nos poſſet concludi: illi omnes, inquam, nihilominus de unius veri Dei rerum omnium opificis exiſtentia ancipites minime fuere; quin potius de illa eo certiores erant, quo magis in naturæ arcana penetraverant. Unde concedendo quod fuerint, & adhuc ſint Athei, qui practice aut externe tales poſſint reputari, nego abſolute quod veri ſint aut aliquando fuerint Athei ſpeculative, ſincere & interne, Deum verum mundi creatorem neceſſarium e medio tollentes, quidquid in contrarium dici poſſit, aut colligi ex hiſtoriis, quæ juxta ſenſum mox traditum explicari debent.

Nec minimum premunt quæ laudari poſſent ſacræ ſcripturæ loca, ut ſunt ea verba Davidis: *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*: *effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*, aliaque iis ſimilia quæ paſſim occurrunt. Obſervandum enim eſt talia non protuliſſe inſipientem in mente ſua, ſed in corde ſuo, ut oſtendatur ex pravis affectionibus, ex corruptione cordis oriri in impio hunc cogitandi modum, qui potius magiſque ſit in corde, quam in ore, cum illum puderet verbis deſideria cordis ſui manifeſtare, quæ rationi adeo adverſantur. Unde hunc locum pſalmi 13. exponens Auguſtinus ſic loquitur: *Nec ipſi enim ſacrilegi & deteſtandi quidam philoſophi, qui perverſa & falſa de Deo ſentient, auſi ſunt dicere, non eſt Deus. Ideo ergo dixit in corde ſuo, quia hoc nemo audet dicere, etiam ſi auſus fuerit cogitare. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in affectionibus ſuis: Id eſt, dum amant hoc ſæculum, & non amant Deum: ipſæ ſunt affectiones quæ corrumpunt animam, & ſic excæcant, ut poſſit etiam dicere imprudens in corde ſuo, non eſt Deus*. Quod dicit idem Pſalmiſta, effunde iram in gentes quæ te non noverunt, hoc eſt juxta Auguſtinum ut inſinuat textus, quæ te non invocaverunt. Eſt enim non noſſe Deum, ipſum non invocare, ipſum non laudare, ipſum non glorificare: & in eo, ut diximus ſuperius cum Apoſtolo, inexcuſabiles fuere ſapientes gentilitatis, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ei non reddentes hunc cultum qui ei debetur, quemque exigit ab omnibus hominibus eodemque ſenſu intelligendus eſt ipſe Apoſtolus, dum de iis qui recenter ex gentilitate ad fidem Evangelii converſi fuerant dicit, quod aliquando ſine Deo fuerant, cum illum ſcilicet non adorarent, falſos deos loco illius habentes.

Nec aliquid contra aſſertionem mihi videtur poſſe concludi ex idololatris, qui falſa Numina habentes, a nonnullis Athei reputantur, ſed immerito; quin potius, eorum cæcitas erga objectum legitimum cui ſupremus debetur cultus, quem diis fictitiis decernebant, argumentum eſt oſtendere aptiſſimum naturæ dictamen homines ex rebus ſenſibilibus ad illarum auctorem neceſſario ducens. Exiſtentiam ſupremi unius omnium moderatoris, qui omnia pro-

duxiſ-

duxisset, ut quid indubitatum agnoscebant; etenim iis qui inter eos sua utebantur ratione de primitiva rerum origine, continuaque gubernatione, impossibile videbatur non esse aliquod ens supremum independens, a quo omnia, quæ sunt, esse suum haberent. Sed variis decepti præjudiciis, fortasse ex prava educatione, aut ex suorum sacerdotum cupiditate, obscuratum habentes intellectum quantum ad naturam Dei illius, de cujus existentiæ necessitate ratio naturalis illos admonebat, pro illo quem ignorare non poterant, diis quos ignorabant servierunt. Sicque errantes, Deos falsos loco veri Dei omnium creatoris sibi fingendo, testimonium perhibebant voci naturæ de Deo omnibus hominibus loquentis, cum falsorum numinum idea absolute supponat anticipatam unius veri Dei ideam, ipsiusque necessariam existentiam, aut potius impossibilem non existentiam, si ita loqui fas sit: sicut falsæ variorum populorum religiones, unam religionem veram necessario præsupponant. Quapropter dici posset, idololatras errasse circa modum rei, non vero circa rem ipsam: quod satis est ad illos ab Atheismo vindicandos. Et quare impugnans innatam Dei ideam Nicolaus l'Herminier, voluerit augere adeo Atheorum numerum, qui, inter eos idolorum cultores recensendo, in immensum excrevisset, non invenio.

2. Objectio. Si in nobis omnibus extaret lumen illud a natura ad existentiam Dei homines necessario ducens, aliquid de Deo naturaliter cognosceremus, illius naturam, ejusve perfectiones tali lumine detegeremus. Nullus hominum tamen sola docente natura, scire potuit quid sit Deus, quænamve sint Divinitatis attributa etsi enim natura duce Deum ut ens perfectissimum, ut summum bonum, ut illud quo majus aut melius nihil excogitari potest sciremus, quod non conceditur, nihil tamen de illo pro ut est cognosceremus: gratis ergo in nobis dictamen illud naturæ supponitur.

Resp. Falsitatem istius inductionis ostendere quid necesse? Neque enim diximus luminis naturalis ductu nos devenire ad cognoscendum quid Deus sit, sed ad necessariam ideam sive cognitionem ipsius existentiæ. Duo sunt omnimode diversa, scire quod Deus sit, & scire quid Deus sit. Illud intellectus creati captum superat, quod per fidem solum, juvante gratia, in præsenti vita aliquo modo imperfectissimo detegere possumus, minus imperfecto in altera vita, mediante lumine gloriæ, detecturi. Alterum, nempe quod Deus sit, natura docemur, nullumque sensatum latere potest, rerum sensibilium, quæ per se intimo sensu cognoscimus esse non posse, contemplatione, invicte ad illarum authorem & conservatorem nos ducente, idea rei factæ ideam Factoris necessario excitante. Cum ergo ad cognoscendam existentiam Dei sub idea omnium creatoris & moderatoris insitum nobis sit a natura lumen illud, satis est quod de illa invicte loquatur: & aliud præter id ad quod nobis datum est operaretur, si manifestata nobis per ipsum unici illius eorum quæ sunt conditoris ac rectoris existentia, aliquid de Dei natura ejusve perfectionibus, vel etiam ex parte nobis aperiret. Unde verum est quod additur, nullum hominum, sola docente natura, quid sit Deus, quænamve sint Divinitatis attributa, saltem ut revera sunt, scire potuisse, quod ad fidem

ſpectat mediante revelatione, quamvis etiam Deum ut ſummum bonum, ut ens ſumme perfectum, ut illud quo melius aut majus nihil poteſt excogitari, natura duce ſciremus, nihil tamen de illo pro ut eſt cognoſceremus, id optime dicitur: cum in ſuo eſſe ſit Deus ineffabilis, ejuſque perfectiones nullus præter ipſum valeat comprehendere. Et aliunde ideam entis perfectiſſimi, quo nihil majus aut melius eſſe poteſt, ſe habuiſſe contendant Epicurus & Spinoſa, qui tamen recte minus de Deo ſentiebant, illumque, verbis ſaltem, negabant, perfectiones omnes mundo, quem æternum finxerunt, tribuentes, illumque pro unico Deo habentes; ſi tamen quæ loquebantur de æternitate materiæ, & de unico illo ente univerſaliſſimo, cujus omnia entia ſunt totidem partes, variæque modificationes ſucceſſivæ, quodve finem non eſt habiturum, ipſi vere intellexerunt, aut etiam intelligunt hodierni materialiſtæ, qui Deum omnium rerum creatorem ut videantur non agnoſcere, ſibi ipſis interius mentientes, incomprehenſibilia phantaſmata, ideaſque ſecum incompoſſibiles ſtatuere vel proponere coguntur. Verum illi pro nunc nihil ad propoſitum, quos contra propriam conſcientiam & adverſus illud univerſale naturæ dictamen, cum Dei omnium creatoris exiſtentiam impugnare volunt, ſentire, vel potius loqui exiſtimamus.

3. Objectio. Ut lumen illud naturale de Deo loquens, quod in nobis omnibus eſſe ſupponitur, invicte homini Deum exiſtentem oſtenderet, ex creaturis creatorem neceſſario colliges, oporteret ut connexio eſſet abſoluta & neceſſaria Deum inter & ea omnia quæ extant. Gratis autem talis ſupponeretur connexio: alioquin Deus eſſe non potuiſſet quin produceret creaturas, ſicque fuiſſet ab æterno creator & neceſſarie, quod tamen falſiſſimum eſt, fideique contrarium: & aliunde, in re tanti momenti præcipuum certitudinis noſtræ argumentum eſſet teſtimonium ſenſuum, quibus nimium tribuere periculoſiſſimum eſſe ipſa ratio dictat. Nullum ergo remanet aſſertum.

Reſp. Merum eſſe ſophiſma illud argumentum, contra logicæ regulas peccans, quis prima fronte non videt? Deus enim ſub vario reſpectu conſideratur, modo ut creator, modo ut non creator, vel conſequenter & relative ad creationem, & deinde præſcindendo a creatione. Ut autem legitime procedatur, conſiderandus eſt ſub eodem reſpectu. Hoc prænotato certum eſt Deum non produxiſſe neceſſario creaturas, & ab illis producendis poterat certiſſime abſtinere. In hac hipotheſi, ex hoc capite demonſtrari non poſſet Dei exiſtentia, cum nemo eſſet cui demonſtraretur. Sed poſito quod aliquid exiſtat extra Deum, illud cum a ſe ipſo produci nequeat, quod enim non eſt, eſſe ſibi dare non valet, id contradictionem importaret, neceſſario ſupponit ens ſuperius a quo producatur, & connexio tunc inter utrumque ſeu relatio, ita eſt neceſſaria, ut idea unius ab idea alterius non poſſit ſeparari, cum res producta vel creata, in quantum conſideratur ut producta & creata, ordinem dicat abſolutum ad producentem & creantem. Unde ad creaturas ut tales homo ſenſatus nequit attendere, quin in ipſius mente eodem inſtanti idea authoris illarum & creatoris exurgat: neque ab illis duabus ideis inevitabiliter connexis, una ſemel ſuppoſita, per intellectum modo quocumque

que

que præscindi potest. Unde inexpugnatum remanet in omnibus hominibus ratione utentibus dictamen naturæ invicte & necessario de Deo per creaturarum aspectum loquentis. De voce illa potenti & efficaci naturæ Deum per ea quæ facta sunt necessario ostendentis, hæc scribit S. Joannes Chrysostomus in hæc jam relata Apostoli verba, *quod notum est Dei manifestum est in illis: undenam manifesta erant? vocem e superis immisit illis Deus? nequaquam: Sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit, mundi creatione in medium proposita, ut possit, sapiens, rudis, scytha, Barbarus ex ipso aspectu eorum, quæ sunt oculis subjecta, pulchritudinem edoctus ad Deum conscendere.* Mundum ergo hunc aspectabilem intueatur quicumque sapiens aut impius, omnia, quæ in illo sunt, factorem suum prædicare necessario audiet.

Insulsum est, nihilque in oppositum concludens quod addunt dicentes, quod in re tanti momenti (agitur enim utrum existat Deus vel non) præcipuum certitudinis nostræ argumentum esset testimonium sensuum, quibus nimium tribuere periculosum ratio ipsa dictat: talia qui opponunt se longe a ratione distare non advertunt. Nullo modo nititur sensuum testimonio certitudo nostra de existentia Dei, quæ ratione invictissima simul & necessaria, fundata in essentiali & absoluta relatione creaturæ ad creatorem, nititur: illaque ratio unum ex alio facili ac evidenti discursu inferens, est ipsummet dictamen naturæ menti nostræ fortiter clamans, mediantibus iis quæ aspectui nostro objiciuntur, esse unum verum Deum omnia regentem, quæ non nisi ab ipso, qui est totius entis plenitudo, esse per creationem & productionem habere potuerunt. Huicque naturæ infallibili dictamini nimium tribuere cum de necessaria Dei existentia quæstio movetur, non nisi imprudenter timeremus, cum illud in anima sit divinitus impressum, ut naturaliter cognoscamus existere Deum, omnium quæ sunt conditorem ac moderatorem, utque ipsius existentiam ignorare nemo possit, nisi voluntarie huic naturæ valide de suo authore clamantis voci aures obturaverit. Si diceretur, nos testantibus sensibus certos fieri de existentia rerum sensibilium & creaturarum omnium quæ nos circumdant, sicuti per sensum intimum de propria nostra existentia reddimur certi, illud ultro concederemus. Sed dum relationi sensuum circa existentiam rerum creatarum in genere fidem nos omnes adhibemus, hac in re decipi non formidamus, cum judicium omnium hominum constans & perpetuum circa objectum aliquod in genere spectatum, sit infallibile certitudinis tam moralis quam physicæ argumentum: & aliunde unusquisque de sua existentia omnimodam habens certitudinem errare nequit, dum supra se ipsum reflectens, hanc a se ipso non habere firmissime tenet, & ad alium a quo illam accepit, Deum scilicet, ex sui cognitione & eorum omnium quæ existunt, gradatim conscendit, sic naturæ dictamini de quo agitur, & per quod a creaturis ad creatorem devenitur necessario, irrefragabile testimonium reddens.

QUÆSTIO TERTIA.

An possit demonstrari, & quibus argumentis demonstretur Dei existentia.

INdemonstrabilem dixerint Dei existentiam Athei, si quidam vere & sincere fuere ex animo, quod ut falsum & impossibile jam negavimus, mirum non esset, cum illud impietatis eorum esset inevitabile corollarium. Illorum nihilominus vesaniam, ut manifestemus, præcipua afferamus argumenta quibus convinci possent, supremi numinis mundi hujus creatoris ac moderatoris existentiam demonstrando, idque tali modo, ut quisquis ratione ducitur infieias ire nequeat. Ictu eodem convellentur ii, qui de Dei existentia licet non dubitent, illam tamen existimant demonstrativis argumentis non posse ostendi. Duplex datur genus demonstrationis: una a priori, in qua effectus probatur per causam sive proximam, sive remotam, vel in qua propositio quædam probatur per aliquid illam præcedens tamquam causa, vel tamquam antecedens. Alia a posteriori, in qua causa probatur per effectum, vel in qua veritas propositionis ostenditur per aliquid posterius, vel ut effectus, vel ut consequens. Et si possit in rigore logico dici demonstrationem a priori & directam eam esse, quæ educitur ex natura rei ipsius demonstrandæ; demonstrationem vero a posteriori & indirectam illam esse, quæ educitur ex aliquo ad naturam rei non pertinente essentialiter, sed dumtaxat ab illa fluente ut proprietate secundaria, ideoque ex natura entis summe perfecti & infiniti, ejusque attributorum consideratione, variisque argumentis ex natura ipsius subjecti, Dei scilicet desumptis, absolute posset dici a priori demonstrabilis Dei existentia, ut multis visum est, ne aliquid novi proferre in medium dicamur, tritam sequentes viam, Dei existentiam a posteriori, ex mundi creatione, vel per effectus ostendemus, varia afferendo argumenta quæ ex illa erui possunt, vim demonstrationis eo magis habentia, quo magis communi hominum intelligentiæ vel captui accommodantur. Ante conspectum nedum vulgi, sed & philosophorum, attenta minusculi animalis in ortu, progressu, propagatione & conservatione consideratio, de Deo fortius loquitur, quibuslibet metaphysicis argumentis: ac in mente sapientis, ipsum validius prædicant generales naturæ leges, mutationi minime obnoxiæ, fluentes ex ipsa forma, quam materiæ impressit supremus artifex, & juxta quas mechanismo uniformi, a quo numquam recedit, orbis universus subjacet, dependenti a primo illo motu quem illi in principio communicavit Omnipotens. Ex mundi creatione ac conservatione, cunctarumque rerum aspectu, Dei existentiam omnibus & singulis hominibus necessario colligentibus, moralis evincetur demonstratio, cui non obtemperare non poterit quisquis ratione ducitur. Nec deerunt metaphysicæ demonstrationes quibus impius reprimatur; quæ cum multiplices esse possint, quæ urgentiores & faciliores nobis videbuntur, illas afferemus.

AS-

ASSERTIO UNICA.


Multiplici argumentorum genere invicte demonstratur Dei Existentia.

INvalida ne sint & infirma, quibus tum Carthesius, tum alii ipso multo antiquiores, demonstrare Dei existentiam suscepere argumenta, quorum vis ex bene intellectis ipsorum principiis desumenda est, non investigantes, cum varii esse possint modi, quibus eadem veritas detegatur, quod nostrum est directe attingere conabimur. Scripturæ, patrumve testimoniis in præsenti materia parum consulemus, ipsorum authoritati: impio quocum rem habemus nihil dante, quem ratione, quam in omnibus sequi gloriatur licet sæpissime ab ipsa portentose recedat, ad illud, de quo jam egimus, naturæ dictamen in omnium hominum mente alte de Deo loquens, reducere, si fieri adhuc potest, intendimus.

Primum argumentum petitum ex ente necessario, ex quo, demonstrata Dei existentia, deducuntur essentialia ipsius attributa, in quantum ab humana ratione undequaque limitata possunt intelligi.

ARgumentum istud metaphysicum ex ente necessario petitum, & ad quod facile reducuntur argumenta alia petita ex primo movente immobili, ex prima rerum causa efficiente, pro ut a Divo Thoma proponitur, efficaciter minus Dei existentiam demonstrare contendit, & ostendere conatur Nicolaus l'Herminier, dicens illud supponere quod in quæstione est, nempe ens necessarium esse Deum, quod inquit, non probat Doctor Angelicus: ipsum vindicent Thomistæ si velint: nobis talis provincia non demandatur. Demonstrationem nostram ex necessaria unius entis, quod Deus sit, existentia, modo breviori quo poterimus, sic proponemus.

Ens aliquod ab æterno existentiam habuisse, per se evidens est: si enim quædam in tempore vel nunc existunt, ut nemo sensatus negabit, evidenter sequitur aliquid ab æterno extitisse: idque concedunt quos dicimus Atheos, qui mundum volunt æternum, & materiam ab æterno ac necessario extitisse supponunt, etsi hanc materiæ æternitatem minime valeant aut intelligere, aut probare. Ens aliquod ab omni alio independens & immutabile ab æterno extitisse est absque dubio: Etenim, si ens aliquod necessario fuit & extitit ab æterno, vel illud sit absolute independens & immutabile, vel detur infinita successio entium a se invicem pendentium & mutationi subjacentium, quorum alia sint ab aliis progressu ad infinitum, absque ulla primitiva ac efficiente illorum causa, necesse est. Absurdum autem est suppositum istud ultimum; impossibilis enim est, & evidenter contradictionem importat hæc in infinitum progressio. Ens illud immutabile, independens, existens ab æterno, existere a semetipso pariter certum est. Siquidem id omne quod existit, vel e nihilo prodiit a quacumque causa improductum; vel a causa quadam extrin-



trinseca factum est, vel per se existit, non datur medium. Repugnate autem & contradictionem involvit formalem quod aliquid e nihilo prodierit a quacumque causa improductum. Et aliunde impossibile est, ut mox ostendemus, omnia quæ sunt, a causis extrinsecis & externis prodiisse. Existat ergo a semetipso & necessario ens illud independens & immutabile oportet, nec aliter absolute res se habere potest. Unde sequitur 1. existentiam entis necessario existentis & a semetipso non posse absque contradictione negari, cum enim absoluta, essentialis sit & naturalis necessitas vi cujus existit, non magis negari potest illius existentia, quam rotunditas circuli, quam relatio æqualitatis duplicem hunc numerum inter, duo & duo faciunt quatuor, aliaque hujusmodi. Exinde sequitur 2. visibilem mundum istum & materialem esse non posse ens illud primitivum, increatum, a nullo dependens & per se æternum. Jam enim demonstravimus ens omne quod fuit ab æterno, ab omni alio independens, nullamque sui causam externam habens, per se necessario extitisse, atque necessario existere vi unius necessitatis absolutæ, essentialis, & naturalis. Hocque posito evidenter ex eo sequitur mundum materialem, independentem & æternum a se ipso esse non posse, nisi existat necessario, & adeo absoluta ac naturali necessitate, ut absque contradictione formali nequeat supponi non existens; secum enim contradictorie pugnant existendi necessitas absoluta, & possibilitas non existendi, ideoque mundum istum materialem non existere necessario evidenter patet, cum absque repugnantia qualibet concipiamus illum posse non existere, aut illum aliter esse posse quam nunc est. Sive ad formam & configurationem ipsius, dispositionemque ac motum partium diversarum attendamus, sive de materia qua constat cogitemus, pro arbitrio factum illum intelligimus. Sit quædam in existendo convenientiæ necessitas, sicut & inter variarum illius partium ordinationem esto: Nec minima in eo cernitur existendi necessitas illa essentialis & naturalis, quam ipsi attribuere volunt Athei & Materialistæ pro illa acriter pugnantes.

Ens per se existens infinitum sit & ubique præsens necesse est. Infinitatis seu immensitatis idea, nec non & æternitatis, ideæ entis existentis a se ipso ita connectitur, ut posita una, alia non possit non poni: esse enim a se ipso nihil aliud est, quam esse vi absolutæ, essentialis & naturalis necessitatis: quæ necessitas cum sit omnimode absoluta & a qualibet causa independens, ubique & semper ab omni variatione liberam illam esse evidens est. Sicque infinitum sit & æternum necesse est quidquid vi necessitatis in se ipsa absoluta existit. Quod finitum aliquid a se existat, evidenter implicat. Si ens quoddam concipere possum quin involvat contradictionem, absens ab uno loco determinato, eodem modo illud ab alio loco absens concipere licebit, & successive illud nullibi præsens potero judicare; ideoque quacumque existendi necessitate donatum supponatur, illam ab aliqua causa extrinseca participabit, illam ex intimo & ex suo non habet, & consequenter non existit ex se ipso. Ex hoc principio inexpugnabili concludendum, ens per se & a se existens nullam omnino habere ex proprietatibus ad materiam spectantibus, ut

sunt

sunt motus, configuratio, divisibilitas, aliaque hujusmodi, quæ ex se necessario ens finitum & limitatum designant.

Unicum pariter sit ens per se existens absolute est necessitatis. Ex necessitate existendi naturaliter sequitur entis supremi unitas; simplex enim & semper eadem est necessitas absoluta, diversitatem quamcumque nec varietatem admittens; diversitas quæcumque aut varietas in existendo oritur necessario ab extrinseca aliqua causa a qua pendet. Evidenter autem implicat plures supponere aut duas naturas diversas, per se existentes necessario & absque qualibet dependentia. Cum enim illarum quælibet ab altera non pendeat, quamlibet existere solitarie potest optime supponi, & nihil implicat quominus cogitemus alteram non existere; ideoque earum neutra existet necessario. Sola ergo entis per se existentis simplex & unica essentia existat necessario evidens est. Unicum illud ens a se & ab æterno existens sit intelligens pariter oportet, cujus intelligentiam probant, ut infra ostendemus, eorum quæ sunt creatio, conservatio & directio. Et cum sit rerum omnium origo, causa & archetypum, omnium entium quæ ab illo suam ducunt originem, perfectiones quascumque eminenter contineat necesse est: effectus enim aliqua donetur perfectione qua careat ipsius causa impossibile est. Ens illud intelligens quod necessario per se existit, esse ens liberum & agens libere, summe sapiens, verum, bonum, justum, potestatis infinitæ, omnique pollens perfectione in gradu eminentiori nemo negabit. Cum ea omnia sequantur necessario ex absoluta & naturali existendi necessitate.

Ex his omnibus propositionibus quæ sunt totidem principia per se evidentia sic intellectis breviter concludamus. Existit ab æterno & necessario aliquod ens, immutabile, independens, existens a se ipso, infinitum, immensum aut ubique præsens, simplex, intelligens, unicum, summe perfectum, rerum omnium principium, omnipotens: Ens autem hujusmodi est necessario Deus, & tale ens esse non potest quin sit Deus; id enim præcise Dei nomine nos omnes intelligimus, & aliunde orbis iste universus ab illo dependens, quem æternum & sine ullo principio nemo rationis compos prædicabit, non potest esse illud ens. Ergo existit Deus, quod erat demonstrandum.

Nec est quod reponunt Epicurei aut Spinosistæ, dari quidem ens aliquod necessarium ac æternum, videlicet materiam, seu atomos, quas increatas volunt, nullumque dari ens contingens ac productibile, cum substantiæ omnes quæ nullæ aliæ sunt præter materiam, producantur solummodo ratione extensionis: unde, inquiunt, ex illa necessitate existendi ab æterno minime sequitur existere ens illud supremum, intelligens, unicum, simplex, quale sit illud, quod Dei nomine volumus intelligendum. Nullius est momenti quod opponunt, omnique destituitur fundamento. Siquidem ipsis probandum incumberet, atomos & materiam existere necessario & per se, nullamque habere potuisse causam sui productivam, resque omnes seu substantias esse per perpetuas materiæ illius increatæ & improductæ modificationes, quod dum statuere volunt in varias incidunt absurditates, perpetuam entium successionem in infinitum usque, quin suæ existentiæ causam habeant primitivam, admittentes,

ea quæ in medium proferunt parum capientes, multoque minus ostendere valentes. Absurdum plane est fingere infinitam entium mutabilium ab invicem dependentium progressionem nulla data illorum causa efficiente, estque absolute impossibile, & contradictionem involvit. Erit ne infinita hæc progressio veluti series seu concatenatio æterna entium ab invicem dependentium, ut supponi debet inter atomos illas aut inter varias substantiæ materialis partes? est evidens congeriem illam entium causam extrinsecam suæ existentiæ habere non posse, ex eo quod quæcumque extant vel extitere in universo mundo, congeriem illam vel in parte vel in toto supponuntur constituere. Ex altera parte evidens est nec ullam posse habere causam intrinsecam suæ existentiæ, ex eo quod in hac infinita serie seu concatenatione entium nullum est quod non pendeat ab illo quod præcedit. Cum ergo necessario nulla illorum pars existat, nec totam illorum entium congeriem existere necessario manifestum est; neque enim est absoluta necessitas existendi quid extrinsecum seu externum, relativum & accidentale respectu entis necessario existentis. Absolute ergo quid impossibile dicit infinita hæc successio entium ab invicem dependentium nulla posita causa primitiva & independente. Nec aliquid in oppositum dicit, quando verum esset, substantias non produci nisi in quantum materia primitiva novas induit formas, varias successive patitur modificationes; quid enim interest, modo materia a principio, vel atomi a causa efficiente extrinseca, & ab æterno a se existente necessario, id est a Deo, creatæ admittantur, quod satis est ad illarum contingentiam, & ut non existant necessario. Quod enim detur materia de novo, vel non, hic non investigamus, philosophorum est: id solum partes nostras exequentes affirmamus, nec atomos Epicureorum, nec substantiam expansam seu materiam Spinosistarum, existere necessario aut a se, cum id ex omni parte repugnet. Sed existentiam illarum, quacumque in temporum decursu donentur configuratione, cuicumque subjaceant mutationi, necessario supponere existentiam entis a se & necessario existentis, a quo esse suum acceperint. Quod eo fortius manet demonstratum, quo majorem involvit oppositum contradictionem.

Secundum argumentum petitum ex temporanea simul ac mirabili mundi hujus structura, illiusque continua gubernatione.

Mirabilem hanc mundi hujus temporaneam structuram, supremi illius entis necessario existentis intelligentiam ac potentiam evidenter ostendentem, suumque unicum creatorem nobis alte prædicantem, magnifice describit Regius propheta per hæc verba, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Neque enim inter ea quæ extant, aut minimum reperire est ens, quod tacito sermone, valido tamen & efficaci, humanæ rationi non indesinenter dicat, *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos*. Deum ergo mirabiliter demonstrat supremum omnium conditorem mirus ordo partium orbis universi, miranda hæc structura illius: Causas enim ex effectibus pensare debemus, & ex operibus opificem. Nulla autem

autem est alia causa, in quam mundi istius creationem, conservationem, sicut & moderationem possimus refundere, præter Deum. Vel enim mundus iste æternus est, vel forte ex atomis præexistentibus, & ex fortuita partium materiæ configuratione ratione motus ipsi connaturalis, vel in tempore fuit a Deo creatus. In fortuitam atomorum connexionem, earumque accidentalem dispositionem, sicut & in casualem seu fortuitam partium materiæ modificationem ac configurationem, orbem istum numeris omnibus absolutum, nemine manum admovente, qui refunderet, non minus insaniret illo, qui magnificas inspiciens ædes, perfectum artificium, egregiam picturam, librum elegantem, aliaque hujusmodi, ea omnia casui adscriberet, summum pictorem artificem industrium, egregium architectum, luculentum scriptorem ex iis minime intelligens. Verum illæ atomi unde exortæ? unde, & quid ille casus hæcque fors & fortuna? si aliquid sunt præter inane nomen, unde illis virtus illa, ut ex accidentali earum connexione, opus adeo mirificum, sibi semper constans, a prima sui perfectione numquam recedens coaluerit? vicerit ergo oportet cœcus ille atomorum concursus cujuscumque intelligentiæ sapientiam, ut opus omnes creatas excedens vires ille condiderit casu. Perfectum nimis est tale artificium, ut non perfectissimum supponat, & omni ex parte demonstret artificem. Jamque Epicureos cum suis atomis mundum producentibus indignabunda irridet Ratio.

Verum ne opinionem illam licet insulsam, quæ antiquitus numerosam philosophorum sectam habuit patronam, levius attigisse videamur, universam rerum aspectabilium compaginem repentina atomorum incursione non evenisse, nec etiam evenire potuisse ostendamus. Casu nihil posse evenire quod sæpe sæpius multiplicatum secundum leges determinatas ac statuta tempora semper eodem modo necessario eveniat, nulla interveniente aliquando essentiali mutatione, etiam per accidens, ita ut illud quod supponitur fortuitum, & ut tale repræsentatur, summam artificis omnipotentis, a cujus nutu ipse etiam casus, si quis circa illius de quo agitur formationem posset admitti, videatur totaliter pendere, industriam ex sese redoleat, facile capit intellectus humanus, nec intricato opus est ratiocinio ut hujus innotescat veritas propositionis, quæ prima fronte evidentiam parit. Rem autem sic se habere respectu orbis universi, tam in cœlestibus, quam in terrestribus, pro ut a nobis cognoscuntur, & quotidiana confirmatur experientia, quis contradiceret? in formatione & constitutione mundi hujus, non minus quam in annosa illius conservatione, summam relucere industriam opificis, ipsi casui & sorti penitus superioris, qui negaret, nonne inter insipientes ipse esset annumerandus? Nunc autem respondeat Epicureus quis; leges illæ primitivæ secundum quas perpetua succedit, tum vegetantium, tum animalium cujuscumque speciei, generatio, propagatio, ac renovatio, quin ulla ab initio acciderit in essentialibus mutatio, vel sunt ipsi sorti, seu atomorum fortuito concursui essentiales, & ab intrinseco, ita ut res aliter absolute non posset evenire, vel sunt ab extrinseco, & ab agente superiore latæ, qui secundum suæ voluntatis ac sapientiæ consilium, & rerum quas producebat exigentiam, uni-

cuique modum inalterabilem constituerit. Si illud ultimum, habemus intentum; erit enim agens ille, quem authorem suum natura universa demonstrat, Deus, pro cujus existentia certamus. Si primum aliud, subsistere non potest, est enim quid contradictorium, & pro secundo illo invicte clamat: sorti ab intrinseco inesse leges primitivas & invariabiles, juxta quas cuncta quæ ab illa sunt diriguntur, repugnat; tunc enim transiret ab esse casuali illam conconstituente, ad esse necessarium juxta principia firma dirigibile, quod illi nullo modo valet competere, illamque in manus tradit supremi formatoris Dei, quod systema Epicureorum funditus prosternit. Præterea, si ex fortuito atomorum & partium materiæ concursu coagmentata sunt prima cujuscumque speciei animalia, ne extra sphœram rerum sensibilium nos veluti immediate ambientium vagemus, quare ex illo denuo non gignuntur? quare ex necessaria commixtione maris & feminæ ubique terrarum, nec alio modo ullibi gentium, procreantur? Numquid in primitiva rerum formatione vis illa sortis ita exhausta & extincta, ut amplius nequeat exerceri? Fictitius ergo fortuitus ille atomorum concursus primum rerum quæ extant principium.

Vanum simul & impossibilem illum existimantes veteres philosophi, Epicureis demptis, ad dogma usque creationis ratione sibi relicta exurgere impotente, materiam ab æterno extitisse excogitaverunt, huncque præsentem illius, quam cernimus partium configurationem, ab intelligenti prima quadam causa ipsi materiæ coeternis elaboratam, ac miro ordine dispositam esse voluerunt, nonnullis defendentibus mundum, neque etiam præsentem secundum ejus partium dispositionem, emporaneum esse, sed æternum, hancque æternæ materiæ coexistere partium dispositionem; unde concludebant res omnes semper fuisse prout sunt, sicque futuras in perpetuas æternitates. At non vanum minus ac commentitium illud sistema: repugnat enim quoquo sensu accipiatur æternitas mundi, cui esse necessario, aut per se existere, ut supra diximus, nullatenus convenit. Restat igitur illum fuisse in tempore a Deo creatum virtute infinita ex nulla præexistente materia, & fuisse ex nihilo omnipotentissima voluntate eductum, sicque mundi mirabilem structuram demonstrativum de Dei existentia nobis subministrare argumentum. Et aliunde homo ipse solus, aliis Creaturis deficientibus, satis esset ad demonstrandam illius existentiam. Excellens adeo opus juxta omnes suas partes ad proprium cuique munus apte dispositas aspectibus nostris exhibet homo, ut qui in ipso indelebile Divinitatis sigillum undequaque non intuetur, oculis & mente captus valeat reputari.

Non minori evidentia ex mundi conservatione & gubernatione, quam ex illius creatione evincitur supremi numinis existentia, cum non minor virtus requiratur ad rei alicujus conservationem & directionem, quam ad illius productionem. Nonne Divinum arguit rectorem perpetuus ille causarum secundarum fluxus & refluxus a tot sœculis in hoc universo constanter perseverans, quin ex tot mutationibus accidentalibus ad continuam generationum successionem necessariis, nulla totalitati vel minima evenerit mutatio? unde tanta elementorum concordia, quæ licet inter se ratione naturæ diffidentia, ad bonum

bonum tamen totius in suo ordine inviolabiliter perseverant? unde mirabiles illæ ac semper eædem astrorum revolutiones, quorum tum conjunctiones, tum oppositiones, tempestatum varietati accommodatæ, non minus humani corporis saluti serviunt, quam frugum terræ nutritioni & augmento? unde perfectum illud & nusquam interruptum æquilibrium tot globorum igneorum immensæ molis circa se ipsos motu velocissimo perpetuo girantium, nec non planetarum lumen suum ab illis mutuantium motu diurno & annuo proprium cursum peragentium juxta certiores astronomiæ leges, quin aliqua temporum revolutione aut periodo ab illis nec minimum recesserint; nonne hæc illorum omnium conservatio & directio, Deum omnipotentem rebus omnibus quæcumque sint, leges ponentem demonstrant, quem evidenter ostenderat illorum creatio? Nonne, ut de cæteris taceam, Deum rerum omnium conditorem ac rectorem demonstrative prædicat paterna hæc & indefessa vigilantiæ cura, quam omnibus providens, omnium hominum saluti invigilans, nec avibus cæli, nec bestiis terræ, nec piscibus maris deest; unde non immerito de illo cecinerit Propheta, *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam: qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum: qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum* (*psal.* 146.). Portentum ipse est in rerum natura, omnibus execrandum, cui nihil de Deo Cælum & terra loquuntur. Neque enim nisi sit mentis impos, ea omnia quæ commemoravimus mirabilia undequaque in hoc universo fulgentia intueri potest, & de Deo illorum authore non cogitare. Velit, nolit impius, necessaria est absolutaque relatio inter utrumque. Supremum artificem demonstrat opus, quod a se & ab æterno esse non potest; omnemque hominem per lumen unicuique a natura impressum non difficili discursu ex rerum visibilium contemplatione ad creatorem recto ac necessario tramite ratio ducit, illius existentiam invicte demonstrans, de Deo incessabili voce cunctis humanæ menti clamantibus: *ipse fecit nos, & non ipsi nos*. Ut quid stulte, de factore nostro dubitare potes, qui nos intieris nihil de nobis dubitas! Te ipsum nullum te habere authorem, finge si potes; quod si non potes, nostrum desine negare creatorem. Cum igitur nullus sit hominum, licet rudis supponatur, illius dictaminis naturæ in omnibus univoce loquentis incapax, quomodo antiquitus veri fuerint Athei, aut nunc esse possint, minime intelligitur.

Undenam ergo, inquiet aliquis, supposito dictamine illo naturæ de Deo in hominum mente, mediantibus rebus aspectabilibus alte loquentis, huncque invicte, saltem pro philosophis ac sapientibus, necessario demonstrantis, undenam factum est quod apud sapientiores gentilium æternitas mundi universaliter recepta fuerit, & quænam opinionis illius fuerit origo, ex qua Atheismo laborasse demonstratur majoris notæ philosophos, qui de existentia unius Dei omnium rerum conditoris nequidem cogitaverunt?

Resp. Maximam philosophorum ac sapientum partem mundum æternum antiquitus credidisse certissimum est: idque, si exinde colligeretur necessario illos atheismo laborasse, referendum esset ad profunda judicia Dei, qui in præteritis generationibus dimiserat omnes gentes ingredi vias suas, ut inquit

Apostolus act. cap. 14. illos tamen Dei unius existentiam agnovisse pariter certum est: plures enim illorum de Deo sermonem fecere, licet verum de ipso ideam non haberent. Neque existimabant cum æternitate mundi stare non posse Deum, cui mundum faciebant coæternum; quod ita verum est, ut nonnulli voluerint hunc fuisse ab æterno mundi formatorem ex præexistente materia sibi coæterna. Hæc autem duo quæ incompossibilia omnino sunt quomodo intelligerent frustra requireremus. Primitivam rerum omnium creationem ab omnipotenti & æterno Deo ignorantes (sola enim revelatione nobis fuit manifestata) æternitatem mundo tribuebant: isti, ex eo quod materiam quamdam creatam non intelligerent, ec caperent quomodo natura illa pure intellectualis illam pro arbitrio fingere potuisset; & ideo iners & otiosus erat Deus ille quem admittebant; illi vero, quia mundi productionem a Dei existentia necessario & inseparabiliter fluere, putabant, ut calor a Sole. Sic procedebant primi. Ex eo quod materia sit increata, illam Deus nequit movere, aut aliquid ex ea operari, cum illam movere aut sapienter disponere non possit nisi illam noverit, nec illam nosse valeat nisi produxerit eam: omnis enim ipsius scientia ab ipso est, nec illam ab extrinseco habere potest. Materiam ergo quæ extra ipsum est nosse non valet Deus, nec proinde in illam agere. Deinde qua arte quibusve mediis de illa, omnia quæ extant finxisset? Sic vero discurrebant alteri, qui licet mundi formationem quoad modum, Dei virtutem tribuerent, illum æternum nihilominus tenebant; impossibile est, inquiebant, Deum aliud quid facere præter id quod facit, immutabiliter enim vult, nec ulli variationi subjacere potest voluntas ipsius, proindeque nihil velle potest agere aliud nisi ipsum quod actu agit: etenim velle in Deo est ipsum operari, cum in eo nulla nova succedat voluntas: cum ergo ab æterno voluerit mundum condere, illum revera ab æterno condidit. Verum nemo est qui non sentiat hæc duo, non dicam argumenta, sed sophismata, ex eo procedere quod difficile quid sit ens spirituale, quidve æternitas intelligamus; & aliunde quare per tot sæcula quæ mundi creationem præcessere Deus nihil operans supponatur non videmus. Nec mirum, cum ea quæ intelligentiæ nostræ captum superant curiose nimis scrutantes, illa tamen juxta mensuram intellectus nostri pensare existimamus. De Deo humano more ut homines judicamus: de æternitate per se immensurabili loquimur ad normam eorum, quæ ut pote finita possunt mensurari, sicque alta nimis sapientes, scrutationes nostras scrutando deficimus. His victi ratiunculis gentiles philosophi, sicut & hodierni sapientes, vel potius impii, æternitatem mundi proposuere, ne illum fortuito atomorum concursui epicureorum adscriberent, non nisi hac duplici via philosophis incedendum arbitrantes. Error igitur illorum non in eo situs erat, quod non vellent existere ens supremum ab æterno, existentiam enim illius ut plurimum non impugnabant, sed potius ut quid indubitatum supponentes (de eo quæstio inter eos non movebatur) de illius natura recte minus judicabant, sicque sibi ipsis contrarii, de Deo quem ignorare non poterant, ipsi universa natura in eorum mente testimonium perhibente, quid vere sentirent exprimere

mere non valebant: quapropter de illo tacere maluerunt, quam absurda & contradictoria loqui de illo, quem mundi creatorem plenis faucibus prædicassent, si modum quo ens pure spirituale, cujus perfectiones illos latebant, potuerat materiam e nihilo educere, illamque modo mirabili elaborare, intelligere, aliisque intelligendum præbere potuissent. Et si quidam inter eos ut divinitatis irrisores habiti sunt, id non fuit quod revera divinitatem ipsam irriderent, sed quia ridiculam & absurdam, quam de ea gentes habebant ideam, parvi faciebant, veram de illa dare notionem etiam ipsi impotentes. Nec tot philosophos inter Atheos vellem annumerare, nisi atheismus in immensum exerevisse supponatur, quod nec verisimile crediderim; alioquin dicendum esset naturam per se alte adeo de Deo vociferantem, pro tot tantisque hominibus obmutuisse, vel potius in iis penitus fuisse extinctam, quod nullus probaret.

Tertium argumentum petitum ex omnium populorum circa Dei existentiam Consensu.

O*Mnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt te Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu: & faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Hæc narrando talia cecinisse psaltem Regium quis non videt, dum omnes populos cunctorum temporum in eo cernit consentire ut unum Deum confiteantur? rem autem sic se habere nemo sensatus negabit. Etenim ut cum doctissimo Huetio verba faciam, " consentientes habemus potissimum eas „ gentes, quæ aliquam ab ingenio & elegantiori cultu duxerunt commenda- „ tionem, Romanos, Græcos, Ægyptios, Assirios, Chaldæos, Persas; qui „ ignem & solem, non ut Deos, sed ut supremi Dei, rerum omnium prin- „ cipii & auctoris imaginem coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis, „ Sinenses, quæ orientis totius cultissima pars est: inter quos secta quædam „ summum mundi opificem Tao appellat, nomine, uti conjicio ab Ægyptio- „ rum Theuth deducto ". Et inter variorum temporum variarumque regionum populos Deum opificem mundi confessi sunt homines sapientiores, clarioresque philosophi: Thales, Xenophanes, Anaxagoras, Pythagoras, Plato cum platonicis cunctis, Aristoteles, Heraclides, Theophrastus, Simplicius, Socrates, Cynici cum Antisthene, Stoici cum Zenone, e quibus nonnulli perbelle de Deo locuti sunt, ut videre est apud Clementem Alexandrinum in libris stromatum, aliosque priorum sæculorum ecclesiæ patrum, qui illorum testimonia collegere: & iis addi possent poetæ celebriores cum eorum principe Homero, quorum scriptis Theologiam horum temporum docemur. Unde evidenter ostenditur constantem apud omnes homines fuisse supremi unius Numinis summique Dei existentiam. Omnium autem populorum consensus vocem naturæ indicat invicte: quod enim cunctis hominibus est commune, illud ipsis esse a natura, apud omnes receptissimum est. Falsum vero nequit esse & fictitium dictamen illud naturæ alte de Deo etiam apud rudiores loquentis. Existat ergo Deus necesse est. Dixi apud rudiores etiam: ipsis enim, modo ratio-

ratiocinari tantisper velint, omnia supremum prædicant Numen. Quoquo versum respiciant intra se vel extra, Deum ubicumque reperient. Homo quantumvis agrestis, sui esse principium se non esse intelligit: ut autem quomodo existentiam ipse participet capiat, ad omnipotentem, a quo fuerit e nihilo eductus, confugiat necesse est. Extra se ipsum vero, orbem habet universum, qui ipsi est ad instar tabellæ, in qua supremus artifex in suo opere se ipsum delineavit, sui imaginem in illo, in quantum possibile erat, describens, ita ut nec oculos aperire queat quin undequaque cunctipotentis intelligentiæ, & a qua omnia sunt, vestigia circumspiciat & notet. Unde, ut delirantes, sunt habendi, qui hominum vulgus, dum de certitudine existentiæ Dei agitur, in testimonium vocandum non esse contendunt, populorumque omnium consensum etsi unanimem, hac in parte pro nihilo esse reputandum asserere non verecundantur. Talia fari ipsis est facile: sed talia ratione quadam firmare hoc opus, hic labor.

Demonstrativum istud argumentum petitum ex populorum omnium consensu nuper a philosopho non minus impietate, quam eruditione noto fuit impugnatum, cujus impietatis virus eo periculosius & certius ab incautis cum ebibatur, quo illos decipit delectabilius, ipsius tela quod retundamus postulat religionis amor. I. inquit, de consensu isto omnium populorum quantum ad Dei existentiam non constat, Quot enim regiones adhuc incognitæ, quot gentes de quarum religione ac moribus nihil scimus, & quarum etiam existentia nos latebit quandiu immensa hæc terrarum australium pars ignota remanebit? Ut quid profertur suppositus ille hominum omnium consensus quandiu quid de Deo terrarum illarum incolæ senserint ignorabimus? etsi concederetur satis esse si quid senserint gentes cognitæ sciamus, nihil probatum remaneret, cum plures extitisse populos atheismo laborantes referat historia teste Strabone: atque adhuc esse tum in Africa, tum in America, referant qui recenter regiones illas peragrarunt. II. Vix discerni potest quid sit naturæ dictamini tribuendum, quid vero juventutis institutioni. Parvulos quibus nihil de Deo dictum fuisset, sibi ipsis relictos ad adultam ætatem usque, quidquam de Deo fore cogitaturos quis asseret? nondum loqui didicerunt, & multa jam de Deo audierunt, & laudabiliter quidem: sed quo magistra natura ducerentur, sic probari non potest. III. Omnium populorum consensus, etsi de eo hac in re constaret, veritatis exinde infallibile signum reputari non posset: tum quia veritatis tale signum an præse ferat naturæ dictamen plane incertum; tum quia hoc dato firmaretur polytheismus, quem fere omnium gentium fuisse religionem est indubitatum, unde esset unitas Dei abigenda. Quid ergo de Divinitate judicaverit hominum multitudo non interest, nullius ponderis cum sit illius in re tanti momenti judicium.

Hoc triplici momento demonstrationem de Dei existentia ex omnium gentium consensu petitam infirmare tentat Boylæus; sed frustra, cum talibus argumentis facillime respondeatur. Ac I. quidem ex gentibus terrarum incognitarum incolis, ac iis quarum nos latent mores & religio, nihil haud dubie

dubie concludere sibi blandietur impietas; neque etiam illas in testimonium advocandas censemus: & tali ictu dum impetitur ille de quo agitur populorum consensus, in ipsum sagitta recidit sagittarium. Nullas fuisse nationes quarum fuerit atheismus impietas communis evidenter adeo ostenderunt homines eruditi, qui antiquiores mundi annales summa diligentia, immensoque labore sunt perscrutati, ut historiæ hac in parte nulla fides a sapientibus jam adhibeatur. Eo instanti quo homines societatem secum inire queunt, Deum unum agnoscunt. Et dato, non concesso, quod atheismo ad tempus laborassent feræ quædam & immanes nationes, belluis potius quam hominibus assimilandæ, nihil inde sequeretur; materialis enim, non formalis esset illarum atheismus, ex rusticitate ortus, mentisque crassitudine adeo miseranda, ut in eis ipsa natura videretur extincta: unde parvulis rationis usum non habentibus similes sunt dicendæ, cum nihil nisi quod est generis animalis in eis inveniatur: Sicque licet homines aliquot sint adeo hebetes, ut omnia absque attentione ulla intueantur, & cujuscumque illationis ac discursus incapaces, exinde insulse colligeretur a magnitudine speciei creatorem agnoscere non esse homini a natura. Nullum ergo adversus nostram demonstrationem est primum, quo illam fortiter impugnare impietas, existimat argumentum. Propter quam quod levius quam par est, atheismi notam inuruntur nonnulli, qui hac impietate minime laborarunt. Neque enim hac labe inquinati reputandi sunt quicumque Deum ignorant, vel de illo digne minus sentientes quamdam ipsi adimunt perfectionem, aut aliquam attribuunt imperfectionem: isti illum verum Deum rerum omnium creatorem ac rectorem confitentur: alii nec bene nec male de illo cogitant, erga ipsum mere negative se habentes, de iis quæ extant eorumque principio parum solliciti, vix ad propriam sui ipsius existentiam attendentes. Ille habendus est Atheus, qui unius Dei orbis conditoris existentiam edoctus, re perpensa illum negat existere, aut mundi non esse factorem putat. Et istiusmodi Atheorum, quos Atheos speculativos vocamus, brevissimum numerum arbitramur. Et si aliquando repertus fuerit quis eorum impietatem suam disseminare aliisque communicare non formidans, hunc etiam inter gentiles pœna, quandoque supplicio fuisse mulctatum quis ignorat?

2. Non adeo difficile est discernere, ut supponitur, an vox sit naturæ quod Deum habeamus creatorem, & ab illo quæcumque sunt suum esse participent, vel utrum illud ab institutione nobis advenerit. Varium esse pro diversitate temporum ac locorum hominum civilem institutionem, nemo negabit: perpetuam rerum mutationem, frequentem populorum commixtionem, humanarum propensionum vicissitudines, propriam cujusque familiæ aut gentis utilitatem, aliæque id genus, juventutis institutioni multum conferre docet experientia: unde locorum, temporum, gentiumque genio illam accommodari, variisve mutationibus exinde exurgentibus subjacere necesse est. Hinc diversitas morum, praxis, usuumque disparitas; quod modo decet, brevi fiet indecorum: quod uni genti utilitatem affert, alteri nocet. At natura in omnibus hominibus cujuscumque ævi, cujuslibet regionis, una semper est

est ac eadem: in iis quæ vere sunt humanitatis, in omnibus & ubique uniformiter operatur: quod modo ipsi essentialiter congruit, ipsi nusquam fiet incongruum, & ideo præcise juxta leges necessarias & invariabiles dirigitur. Cum ergo Divinitatis notio, hæcque de Dei orbis istius creatoris existentia viguerit apud omnes homines idea, non obstantibus innumeris cunctorum sæculorum vicissitudinibus, ita ut ab illorum cordibus explosa nusquam fuerit, hinc evidenter sequitur non a morum informatione illam nobis inesse, sed ex vero ac necessario dictamine naturæ proficisci, ob inevitabilem connexionem quæ inter primam hanc veritatem de unius Dei existentia & mentem nostram reperitur. Unde invincibiliter colligendum illam non esse humanæ prudentiæ fructum; hæc enim variis hominum cupiditatibus serviens, nihil firmum & semper stabile operatur. Et falsum omnino est a civili populorum legislatore exordium sumpsisse Religionem, ipsique ut primitivo institutori referendum esse cultum quem creatori exhibet creatura, cum adeo certum sit ut nihil magis, quod quisquis gentem quamdam voluit legibus informare, apud eam, licet barbaram ac ferocem, quemdam religionis cultum vigere antea reperiit: idque ita verum est, ut legislatores omnes, gentes quas instituendas susceperant, per Deos, quibus illæ serviebant, adjurarent, velut ad eas ab earum numinibus missi fuissent. Fictitium ergo illud aliud impietatis momentum. Verum pro Divinitate certantes fortius insistamus. Si a natura hominibus non est hæc prima & universalis notio Divinitatis, ita ut mirabilis hæc mundi structura menti nostræ necessario de Deo non loquatur, sed ab educatoribus in nos transierit idea Dei, hanc ideam unde hauserat qui primus de Deo cogitavit. Neque enim de Deo, ut supponitur, tacente natura, hanc a se ipso habere potuit, illam ab alio non habuit; eadem enim recurreret quæstio, donec ad illum primum deveniretur, qui hanc ideam sibi efformasset. Sed quomodo rei incognitæ, ut est in tali hypotesi supremum numen, imaginem sibi fingere poterat ille homo? id repugnat: ideaque est objecti repræsentatio, supponit necessario objectum saltem quodam modo cognitum. Dicet audacior fortasse quis cum poeta, primus in orbe deos fecit timor. Sed impium quid juvat sacrilega hæc divinitatis derisio? Nonne prius est Deum scire, quam illum timere? ergo si nullus fuisset timori locus, nullam habuissent homines Divinitatis ideam? O delirantis impietatis commentum! & ipse timor quem in patrati sceleris pœnam experitur nocens, testimonium perhibet ipsi naturæ cuilibet homini de Deo loquenti.

3. Illud naturæ dictamen universale ac necessarium non semper vera nuntiare, ideoque populorum consensum ex illo manantem certum non esse veritatis indicium gratis fingeretur. Adversus illos naturæ detractores quid ipsa ratio dictet audiamus: quam immerito dictamen illud ipsis videatur incertum ex eo quod sit vitiata natura, mox innotescet. Duplex in nobis distinguatur naturæ dictamen: a veritate unum nusquam recedit, nec in errorem trahere potest, estque homini meditanti, & rationem exacte sequenti proprium, nihilque aliud est, quam ipsa rectæ rationis vox. Alterum semper in errorem inducit, ipsique rationi fucum facit, cum mentis attentionem antecedat

a cu-

a cupiditatibus proficiſcens, nunquam rationi ſubjacere ſuſtinet, & cum ipſa nequit conſiſtere. Hoc poſito notionem quam de exiſtentiæ Dei habemus, errorem non poſſe reputari univerſalem facile oſtenditur, neque polytheiſmo favere prædictum cunctarum gentium conſenſum. Duplicis generis eſſe errorum noſtrorum cauſas certum eſt, internas quaſdam, externas alias, ad iſtas pertinent aliorum exempla, præceptorum aut parentum inſtitutio, prava colloquia, falſæ ratiocinationes, atque ſophiſmata: ad alias ſpectant ſenſus, imaginatio, animi affectiones, cordiſve cupiditates. Si ad errorum noſtrorum externas cauſas attendamus, illas a circunſtantiis, locis, temporibus pendere, proindeque perpetuis mutationibus ſubjacere videbimus. Quotquot extant vel extitere errores inſpiciamus, manifeſtum erit a cauſis illis externis errores prodiiſſe particulares, nuſquam vero univerſales aut generales. Plures homines in errorem induci, omneſque in quibusdam regionibus, & ad tempus, poſſibile eſt: omnes vero homines, ubique & perpetuo decipere, poſſibile non eſt. Cum ergo Dei exiſtentia ab omnibus quorumcumque locorum, ac temporum hominibus conſtanter probata fuerit, hanc a cauſis externis errorum noſtrorum ſuam non ducere originem evidens eſt. Nec magis ad ſenſus, ad imaginationem, ad animi affectiones & cordis cupiditates, quæ ſunt internæ errorum noſtrorum cauſæ, referri poteſt. Et ſi poſſent aliquando erroribus communibus ac perennibus locum dare per accidens, quod tamen non eſt ita abſolute verum, ut non poſſit negari, id circa veritates primi ordinis, ſeu prima principia, quæ ex ſe nata ſunt parere evidentiam, & inter ea eminet exiſtentia Dei, non poteſt habere locum. Mentem noſtram ab ipſo rationis exordio ita afficit & occupat neceſſario ſupremi numinis exiſtentia, ut ſicut a quibuslibet errorum noſtrorum cauſis non poteſt ab illa radicitus evelli, ita nec ab iis hac divinitatis idea poteſt informari, cum nullam cum ipſis neceſſariam connexionem habeat. Et ſi quid circa Dei notionem poſſent cupiditates, vim ſuam ad illam tollendam potius exererent, quam ad illam adſtruendam. Eſt ergo infallibile veritatis teſtimonium naturæ univerſale dictamen, ita ut quidquid ab omnibus ubique ac ſemper tenetur hominibus ſit neceſſario verum.

Nec dici poteſt polytheiſmo favere cunctarum gentium conſenſus. Tum quia non fuit cunctis populis communis, nec niſi pluribus ſæculis elapſis a creatione mundi in polytheiſmum homines lapſi ſunt, ut neminem latet. Tum quia Deorum pluralitatem non agnovit niſi vulgus indoctum; illam philoſophis & ſapientibus apud ſemetipſos irridentibus, aut ſimulate dumtaxat, & ſpecie tenus, ne populorum odium incurrerent, illam profitentibus. Tum quia eſt plane incertum an in ſiſtemate religionis gentilium, prout a doctis intelligebatur, plures colerentur Dii, vel unus Deus ſub diverſo reſpectu, ita ut variæ illius perfectiones variis ſub nominibus celebrarentur, quæ lapſu temporum ex gentium imperitia ut totidem diſtincta numina haberentur, quod probabilitate non caret, & a multis eruditis tenetur. Unde immerito in naturæ dictamen refunderetur polytheiſmus, & ſi de illo certius conſtaret, & hoc errore omnes homines cunctorum temporum infecti fuiſ-

E ſent,

ſent, quod nemo ſenſatus aſſerere tentabit. Et ipſe etiam polytheiſmus huic de quo loquimur naturæ dictamini de Deo cunctis hominibus alte loquenti teſtimonium perhibet. Quomodo enim de pluralitate Deorum potuiſſent homines cogitare, niſi neceſſaria alicujus Dei exiſtentia eorum menti a natura fuiſſet fortiter impreſſa? Ex vitiata primæva illa Divinitatis idea, quæ ſecluſa unitate, ut infra dicemus, ſubſiſtere nequit, ortam fuiſſe pluralitatem Deorum eſt abſque dubio: idque ex pravis hominum cupiditatibus eveniſſe veriſimile eſt, licet de polytheiſmi exordio, primoque illius progreſſu nihil certi quoad tempus aut quoad modum poſſit aſſignari.

His ita expoſitis facile intelligitur quantum ad Dei exiſtentiam demonſtrandam conferat conſtans omnium populorum conſenſus, quem circa primam illam veritatem minime tollit polytheiſmus, qui ex minus recte cognita Divinitatis natura, vel potius ex obtenebrata primitiva illius idea humanæ mentis imbecillitate ortus, ſupponit in omnium gentium animis impreſſum inextinguibile illud naturæ dictamen, quo cuncti homines, ſupremum numen æternum, & neceſſario exiſtens, a quo nata fuerint omnia quæ extant, ut pote quæ, ipſa dictante ratione, a ſe ipſis eſſe non poſſint, conſtanter & ubique agnoverunt, quocum extare poſſe multitudinem illam Deorum, quoquo modo fuerit intellecta, falſo licet, exiſtimarunt. Unde argumentum petitum ex prælaudato illo omnium hominum conſenſu, robore ſuo gaudet: impugnari poteſt, ſubverti non poteſt.

Triplici hoc demonſtrationis genere metaphyſico nempe, phyſico, & morali, exiſtentia Dei jam invicte demonſtrata, quid poſſit contra triplex illud argumentum opponi eſt audiendum. Cætera momenta quæ a quampluribus Theologis afferuntur ad veritatis illius confirmationem omittimus, ut pote ad tria quæ propoſuimus reducibilia, quovis modo proponantur: & aliunde in tanta rerum copia omnia qui vellet dicere, vix illi eſſet aliquando dicendi finis.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Ex ente neceſſario recte minus demonſtratur Dei exiſtentia, cum poſſit eſſe aliquid neceſſarium, & revera ſit, quod non ſit Deus. Ipſa ſiquidem natura ſeu mundus iſte univerſus exiſtit neceſſario. Quid enim eſt aliud mundus univerſus ſeu natura in ſe ſpectata, quam illa entium univerſalitas ex qua orbis coaleſcit; quæ entium univerſalitas eſt quid abſolute neceſſarium: talis eſt inter entia illa collective ſumpta ordinatio, tantaque fuit hæc eorum ab æterno diſtributio, ut nullum eorum potuerit non eſſe, aut aliter eſſe quam ſunt, aut aliis temporibus. Quæcumque ſunt in rerum natura in ordine phyſico entium, ita ſunt neceſſaria juxta ſuum modum eſſendi, ut quacumque adveniente ex impoſſibili leviori mutatione, tota diſſolveretur machina univerſi. Et exinde ipſius colligitur perfectio, quæ tanta eſt, ut nihil eo perfectius excogitari poſſit, cum cuncta entia hanc univerſalitatem conſtituentia perfecta ſint in genere ſuo. Unde

vel

vel ex ente necessario non demonstratur existentia Dei, vel demonstrabitur illum Deum esse ipsam naturam, mundumque universum, eritque Deus unica illa substantia ex qua entium universalitas, cujus universæ substantiæ partes erunt quælibet entia singularia, quæ nihil aliud sunt quam variæ ac successivæ simul ac necessariæ illius modificationes, variis denominationibus donandæ secundum variam speciem quam sortientur ex modificationum diversitate. Erit ens illud necessarium a quolibet alio independens, cum quæcumque entia tum existentia, tum possibilia, hanc ingrediantur universalitatem, & ad illam pertineant: erit immensum, erit infinitum, cum ubicumque sit, & possibilia complectatur, nullisque valeat limitibus circumscribi, cum extra hanc entium universalitatem nihil sit aut esse possit. Cum ergo ultra intentum probet illud argumentum ex ente necessario petitum, ut evidens est, colligendum illud nihil probare. Et aliunde semper remaneret demonstrandum illud ens necessarium quod existens supponitur, & revera existit, esse Deum, & non posse aliud quid esse quam Deum.

Resp. Multum difficultatis specie ferre, parum vero re, allatum argumentum, quod merum est sophisma, multa supponens quæ probanda forent, & sunt penitus improbabilia, breviter est ostendendum, ex quo appareat illud gratis opponi. Quod possit esse aliquid necessarium quod non sit Deus, ut dicitur de hac entium universalitate ex qua orbis universus, concedere nihil obstat, modo illud intelligatur de necessitate hipotetica & consequenti ac ex dependentia, non vero de necessitate absoluta, antecedenti ac essentiali existendi, quæ soli Deo est propria. Semel data mundi hujus formatione ab omnipotentissima Dei creatoris voluntate, omnia necessario evenire in physico naturæ, necessitate oriente ex legibus ab ipsius summa Sapientia imperturbabiliter constitutis, juxta quas quælibet entia ordine suo ac temporibus suis successive ordinantur, ex quorum invariabili dispositione oritur in natura universa hæc perfectio, quæ tanta est, ut major in rebus creatis non possit excogitari, illud certissimum judicamus. Sed quantacumque sit hæc existendi necessitas, cum non sit absoluta & essentialis, & tota fundetur in operatione & voluntate, immutabili quidem, primæ causæ efficientis ac creatricis, a cujus nutu pendet inesse & conservari illa entium universalitas quæ natura dicitur, hac prolixa & speciosa argumentatione minime impetitur demonstratio existentiæ Dei ex ente necessario, quæ ut impeteretur probandam incumberet naturam, mundum universum, seu hanc entium universalitatem ita necessario existere, ut nullam habeat suæ existentiæ originem præter necessitatem existendi, quæ soli enti a se, Deo scilicet, inesse potest, ut Dei existentiam ex tali necessitate demonstrantes diximus, quodve est probare impossibile: ex quo jam ostendimus nec atomos, nec mundum, nec materiam existere necessario, cum a se, aut ab æterno non sint aut esse possint; quod tamen de idea est entis vere necessarii seu Dei. Perfectam dicant, si velint, illam entium universalitatem, illa quæ omnibus major est semper carebit, independentia videlicet, seu asseitate, ut loquuntur, qua solus gaudere potest qui est a se & ab æterno Deus, qui est ipsa plenitudo

entis, de cujus plenitudine accipiunt quæcumque entia, quorum existentia, quæ posito Dei decreto de illis producendis est necessaria necessitate consequenti illud decretum, erat antecedenter vere contingens; quæ contingentia quæ illis inesse non potest, satis est ad tollendam hanc necessitatem existendi de qua loquimur, dum ex illa, quæ sine omnimoda independentia esse nequit, demonstramus Dei unius existentiam: quapropter falso dicitur hæc entium universalitas a quolibet independens ex eo quod ad illam pertineant entia omnia tam possibilia quam existentia, cum inde non desumatur independentia, sed a necessitate existendi a se, ut sæpius dictum est. Nec verius illi tribueretur tum immensitas, tum infinitas: utraque enim limitaretur ab immensitate & infinitate illius, qui solus ex eo quod sit a se, nullis limitibus terminari potest aut circumscribi. Inepte ergo pro æternitate mundi vel naturæ probare dicitur demonstratio, quæ ex ente necessario Dei existentiam ostendit, sicque nimis probare, cum id vere ostendat quod susceperamus demonstrandum, ut cuilibet legenti patebit, nempe existere ens necessarium, illudque esse Deum, & quid aliud esse non posse præter Deum, qui solus plenam habet absolutam ac essentialem necessitatem existendi.

2. *Objectio*. Ex temporanea mundi creatione, mirandaque rerum aspectabilium compage, orbis hujus structura, & cunctorum quæ sunt conservatione ac directione minime colligitur necessaria Dei existentia, tum ex eo quod creatio eo sensu quod e nihilo materia fuerit educta, nequeat intelligi, & repugnare videatur quod ex nihilo fiat aliquid: tum quia structura illa fluit necessario ex motu diverso in infinitum materiæ ab æterno connaturali, ex cujus motus varietate oritur partium materiæ diversa, sicut & necessaria dispositio ac configuratio quælibet corpora juxta suum ordinem producens: tum quia conservatio ac directio eorum quæ extant, est ipsamet materiæ configuratio a prædicto motu producta, & in eodem statu perseverans, variis licet mutationibus subjacens secundum necessarias mæchanices leges. Unde nullius est momenti illa demonstratio, quæ hoc nomine gratis donatur, & probanda supponit, materiam vedelicet non esse æternam sed creatam, mundumque illum ab intelligentia quadam materiæ existentiam antecedente fuisse elaboratum, quod est intellectu difficillimum, & nullatenus a ratione probatur.

Resp. Mirabilem ac temporaneam illius universi structuram, sicut & creationem, nec non illius conservationem ac directionem, Dei necessariam existentiam non ostendere iis qui mundum esse æternum delirantes volunt, materiam increatam defendunt, ipsamque creationem repugnare existimant, mirum videri non debet: effectum qui negant, & ipsam causam effectricem negent consequens est. Ergo ne illorum vesania vim præcedentis demonstrationis tollet? Nequaquam, donec ipsi validioribus argumentis materiæ æternitatem, hujusque mundi structuram illi coæternam demonstraverint, simulque impossibilem ostenderint creationis actum. Id autem cum omni mentis creatæ sagacitati omnino impossibile sit, demonstrata manet supremi numinis

nis existentia. Sed undenam habent creationem non esse possibilem, & repugnare quod ex nihilo aliquid fiat? ipsius possibilitatem negare quia intellectus nostri captum superat, quis sic ratiocinaretur? quot phænomena oculis nostris quotidie cernimus, quorum ratio nos latet quin ea in dubium revocentur? virtutem finitam & limitatam non posse aliquid facere ex nihilo certum est: infinitam vero virtutem & illimitatam potentiam ut est virtus divina, posse creare aliquid educendo ex nihilo quis negabit nisi qui ipsum Deum negat omnipotentem? est ne intellectu facilior æternitas materiæ, & mundi structura ex varia illius partium dispositione ratione motus illi connaturalis, quam illius creatio ex nihilo, ejusque formatio ab omnipotenti Deo? Sed quomodo probant motum esse materiæ ab intrinseco, & ex tali motu fluere necessario illam partium materiæ ordinationem ex qua talia & talia corpora eadem necessitate coalescunt? nonne illud gratis pronunciatur? & insuper quid est hæc necessitas vi cujus partes variæ materiæ sic disponuntur ob motum ipsis impressum, ut illa & illa corpora ordine suo & temporibus suis inde exurgant? nonne facilius est juxta rationis dictamen Deum rerum omnium factorem agnoscere, ad cujus nutum voluntatis omnia fuere producta? verum hæc perseverantia motus & dispositionis partium materiæ in eodem statu, ex qua conservatio ac directio illius universi, quamnam habet causam? si ita perseverat necessario, rursus petetur, unde est illa necessitas, & quid sunt illæ necessariæ leges mæchanices secundum quas omnia infallibiliter ordinantur; a quo materiæ, cunctisque ex ea orientibus datæ sunt? Nec clariores philosophi dum talia excogitarunt ullam habuere eorum quæ defendebant certitudinem, aut se ipsos intellexerunt; quod notum est ex inter se pugnantibus quæ locuti sunt, dum mundum æternum & non creatum fuisse arbitrati sunt. Sed ut quid diutius in iis immoramur, qui jam ostendimus materiæ non magis quam epicureorum atomis nullo modo competere posse æternitatem, quæ soli enti a se & necessario existenti propria est, & adeo, ut quoquo sensu accipiatur, nullum aliud ens quod Deus non sit, illa gaudere possit?

3. *Objectio*. Ut ex rerum visibilium compage, mundi hujus mirabili structura & conservatione arguatur infallibiliter & necessario Dei eorum quæ extant a principio Creatoris existentia, opus est ut inter res illas & Deum quædam sit relatio essentialis & absolute necessaria, quæ sublata relatione infirma remaneret hujusmodi demonstratio. Verum quænam supponi potest connexio necessaria inter intelligentiam spiritualem ab omni materia separatam & res sensibiles inter ens æternum ac immutabile & res temporaneas ac mutationi perpetuæ ex sua natura subjacentes? Vana igitur & nulla est allata demonstratio.

Resp. Huic difficultati si quænam esset, quamve ex parte solvimus quæstione præcedenti, facile faciemus satis si attendatur ad respectum sub quo res sensibiles orbisque universus ordinem dicunt aut relationem ad Deum. Non ex eo est desumenda illa relatio quod Deus sit æternus, immutabilis, spi-

ſpiritualis, res vero ſenſibiles, ex quibus mundus coaleſcit temporaneæ ſint, materiales & mutationi obnoxiæ. Inde enim oſtenditur diverſam eſſe illorum naturam, Deumque & orbem iſtum eſſe inter ſe diſſimiles, quod nemo intelligens diffitebitur, nec de illo quæritur. Relationem neceſſariam dicunt ad Deum quæcumque exiſtunt in rerum natura, pro ut hæc ſunt a Deo producta & creata. Hæc enim cum a ſe ipſis eſſe non poſſint, quia quod non eſt in ſe ipſum agere nequit, cum prius ſit eſſe quam operari, poſtulant neceſſario ut extent, quod ſui habeant factorem; ſiquidem quæ eſſe non habent niſi per participationem, ut abſolute alio modo illud habere nequeant res omnes præter Deum, neceſſariam & eſſentialem connexionem quantum ad ſuum eſſe cum illo a quo illud participant habent, & tali modo ut de illorum exiſtentia vel de principio a quo, non poſſimus cogitare, quin eodem tempore in mentem veniat ille, a quo exiſtentiam participant. Unde orbem iſtum & omnia quæ in illo ſunt conſiderantes neceſſario ſic diſcurrimus: res omnes illæ quas conſpicimus ſibi non fuerunt cauſa ut eſſent: nam quod non eſt agere non poteſt; nec ipſa res eſſe potuit antequam eſſet. Sequitur ergo quod aliunde habeant originem; ſicque ab iis rebus quas oculis noſtris cernimus ad eas a quibus ortum habent progrediendo, donec tandem perveniamus ad aliquam cauſam quæ numquam eſſe cœperit, nullamque ſuæ exiſtentiæ habeat cauſam. Quænam vero ſit illa prima cauſa carens omni cauſa, indicant res omnes quibus Deus eſſe dedit, illum ſuum factorem unicum & neceſſarium prædicantes, & in eo fundatur præciſe neceſſaria illa connexio dependentiæ, quod abſque illo eſſe non poſſint quæcumque ſunt. Unde valet, & neceſſaria eſt hæc illatio: Exiſtit mundus, qui nec æternus eſt, nec a ſe ipſo eſſe poteſt: ergo illum fecerit oportet Deus, qui ſolus ab æterno eſt, & a ſe ipſo eſt. Uno verbo, inter Deum & omnia alia entia, cujuſcumque ſint generis aut ſpeciei, ea reperitur relatio quæ eſt inter artefactum & artificem, inter productum & producentem, inter effectum & cauſam. Qui vero dixerit talem relationem non eſſe abſolutam, neceſſariam ac eſſentialem, nec primam ipſe habet rerum notionem.

4. *Objectio*. Vel illa præallata demonſtratio de Dei exiſtentia petita ex rerum aſpectabilium compage, deſumitur ex temporanea mundi ſtructura, in quantum materia ex qua factus eſt, fuit a Deo creata; id eſt educta e nihilo, vel deſumitur ex ipſa ſtructura, mirabili ſcilicet ipſius partium diſpoſitione, ejuſque pulchritudine, ſimul ac ex illius conſervatione ac directione. Sed quoquo accipiatur ſenſu, nullius eſt ponderis illa demonſtratio, cum incerta plane ſint principia quibus nititur. Incertum enim eſt, an mundus creatus fuerit & eductus e nihilo, vel formatus ex præexiſtente materia; ut plures etiam catholici exiſtimant. Dubitatur etiam an materia fuerit creata in tempore, vel ſit Deo coæterna, ad ordinem ſtructuræ, & ad ipſam etiam ſtructuram quod ſpectat, hæc Deum opificem non demonſtrat, illam ab æterno extitiſſe deſcendentibus Epicureis, ipſamque in ſolam ato-

mo-

morum in motu positarum dispositionem refundentibus. Nullum ergo ad Dei existentiam demonstrandam est argumentum petitum ex structura mundi, illiusque conservatione ac directione.

Resp. Mundum fuisse creatum in tempore, ipsumque nec fuisse ab æterno, nec esse potuisse, quidquid dixerint Epicurei, aut dicant hodierni illorum discipuli, ita certum est ut nihil magis. Sive ergo ex illius formatione, in quantum materia ex qua factum hunc volumus, creata fuerit a Deo, qui eam e nihilo eduxit: sive ex illius mirabili structura ac pulchritudine, ejusque conservatione, demonstremus Dei existentiam, principiis certissimis nititur hæc demonstratio, cum oppositum contradictionem involvat, ac ita repugnet, ut sententiæ adversæ patronos inter delirantes ex hac parte annumerari posse nemo non sentiat, ex quo probavimus materiam, nec atomos esse ab æterno: nihil enim esse potest ab æterno nisi quod existit necessario, nihilque existit necessario nisi quod est a se ipso, & vice versa, ut jam sæpius dictum est: sequitur a Deo, qui solus vocare valet ea quæ non sunt educendo ex nihilo: creatas fuisse materiam & atomos ex quibus supponitur mundus conflatus in sententia Epicureorum, estque materiæ illius creatio, ex supposito quod mundus factus fuerit ex jam existenti materia, ut multis olim placuit, & concedi potest, ita absolute certa, ut in dubium revocari nequeat absque erroris periculo. Si nihil admitti possit Deo coæternum, quidquid enim esset Deo coæternum Deus esset, cum æternitas ita sit Deo essentialis & propria, ut diximus, eique ita singulariter competat, ut hæc sit omnimode incommunicabilis & imparticipabilis, consequens est ut quidquid existit in tempore, fuerit primitive eductum e nihilo, & a Deo, qui solus ante tempora existebat, creatum, quomodo vero a Theologis quibusdam concedatur materiam posse dici Deo coæternam non video. Nec eis assentiar dum putant hanc quorumdam veterum patrum fuisse opinionem, inter quos Tertullianus, Justinus martyr, Theophilus Antiochenus: eorum enim verba si perpendantur, id solum indicant, Deum scilicet ex materia informi mundum condidisse, quod significat entia omnia non fuisse individualiter educta ex nihilo in tempore quo formatus est mundus, quem verisimilius est formatum fuisse ex illa materia, quæ jam ab ipso Deo fuerat e nihilo educta. Unde recte dicere potuit Tertullianus, *non aperte Scriptura pronuntiavit ex nihilo facta omnia*. Idque confirmare potuisset ex modo loquendi Moysis, qui de hominis creatione loquens dicit, formavit Deus hominem de limo terræ. Dato igitur quod ex præexistenti materia mundum condiderit Deus in die, qua creavit Cælum & terram, hanc materiam Deo coæternam pronuntiare erroneum judico, si inde incertum remaneat an illam Deus creaverit vel non; aut si inferendum hinc aliquis velit, Deum materiam creasse necessario, & ab illius creatione non potuisse abstinere. Nec infirmatur demonstratio ex eo quod dicant philosophi naturaliter non demonstrari possibilem esse creationem: sufficienter enim demonstratur illius possibilitas, dum existentia aliorum entium præter Deum, sublata creatione, involvit contradictionem & repugnat. Jam supponitur ante tempora nihil esse

esse præter Deum ; qui a se & necessario existit : si ab omnipotentissima Dei voluntate aliquid non educatur e nihilo , quod vere est creare, remanebit nihil . Et repugnat quo aliquid existat quandiu ab illo non educetur ex nihilo. petatur ergo præcedens demonstratio de Dei existentia ex mundi formatione, in quantum materiam supponit a Deo creatam in tempore, hæc firmissimo & inevertibili nititur fundamento.

Nec minus roboris habet si petatur ex ipsa mundi structura temporanea, quæ Deum factorem suum necessario ostendit . Repugnare mundi æternitatem superius ostensum est : Deum ergo illum in tempore condidisse evidens est. Certum est ad præsentem mundi structuram, loquendo in systemate Epicureorum necessarium absolute fuisse , nedum motum qualemcumque , sed & talem motum , cum ex motus diversitate structura diversa infallibiliter ac necessario prodiisset . Unde igitur atomis motus , & talis motus? Neque enim illum habent a se ipsis , cum illum sibi quod ipse dederint repugnet , & materiæ motum ab extrinseca causa communicari aut advenire opus sit . Sed hæc motus communicatio in tali hypotesi omnino impossibilis est, si nulla sit causa extrinseca a qua proficiscatur : alioquin in illam causam , quæ Deus esset , refundetur structura mundi , & subito ruet Epicureorum commentum . Nec motus ille necessarius est atomis , tunc enim absque illo nec esse nec concipi possent, sicque nullo modo diversa esse potuisset, etiam de potentia absoluta , structura hujus mundi , quod utrumque ratio inficiatur . Deum ergo motus & talis motus causam necessariam sibi vindicabit structura hujus mundi , ipsumque motus illius unicum principium sibi absolute ac necessario atomi vindicabunt , ex se , sicut & quæcumque corpora , ad motum & ad quietem indifferentes, motum hujusmodi refundere in nisum quemdam, qui a natura materiæ insit. Id gratis fingi, & delirantis mentis esse cogitationem quis non fatetur ? illum motus gradum , hancque ejus determinationem ad hujus mundi constitutionem eo modo quo existit , esse a Deo atomis ac materiæ impressum dicant Epicurei , nisi absurda & impossibilia narrare illos delectet . Tunc mutata sententia, demonstrationem de Dei existentia petitam ex mirabili hujus mundi structura, nec fortuita, nec accidentali , sed ex sola Supremi Numinis libera voluntariaque dispositione, firmissimis niti fundamentis ac principiis fatebuntur . Eadem voce Deum conservatorem ac Rectorem suum prædicat mirabilis hæc rerum omnium compago , quam ille solus qui eam ordinavit conservare valet ac moderari, cum omnibus consentientibus , illius sit conservatio a quo est creatio aut productio , & minor non requiratur virtus ad conservationem , quæ vulgo dicitur continuata rei productio. Unde non est quod diutius insistamus , eædem enim rationes respective militant pro una & pro altera , & quicumque hujus mundi productionem casui & fortunæ minime adjudicandam sapienter existimabit , nec illius directionem sorti ex consequenti committet.

Alia proponuntur adversus Dei existentiam logicalia argumenta , quæ cum minoris sint momenti missa facimus : neque enim ea quæ nullius sunt difficultatis, & ad veritatem indagandam nihil conferunt , proponere vacat &

sol-

ſolvere : illa attigimus quæ triplicem, quam attulimus, demonſtrationem de Dei exiſtentia, directe videntur impugnare. Et ſatis mirari non poſſum, quod hominibus quamplurimis ratione utentibus, pro quibus innumera naturæ phœnomena quotidiana ſunt & invicta argumenta Deum viſibiliter oſtendentia, multiplici argumentorum genere adhuc ſit demonſtranda ſupremi numinis exiſtentia. Naturæ contemplatio, etiam minutiſſimi unius animalicu. li accurata conſideratio, cunctis hominum doctiorum voluminibus efficacius de Deo omnium creatore & conſervatore loquuntur : & illi omnes, ſi qui ſint, quod non facile crediderim, quibus eſt inſufficiens naturæ teſtimonium, nec immenſo verborum anfractu ad veritatem a ſua impietate revocabuntur.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum ad fidem pertineat Dei exiſtentia.

DEum ut rerum omnium principium ab hominibus ratione duce poſſe cognoſci eſt abſque dubio, dicente Sacra Scriptura apud Job cap. 12. *interroga jumenta, & docebunt te : & volatilia cœli, & indicabunt tibi : loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Et Pſal. 18. *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum . . . non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*. Inde in gentiles philoſophos argumentatur Paulus Rom. cap. I. eos ira Dei dignos pronuncians, quia naturæ dictamen Deum variis modis oſtendens audientes, quod agendum lumine naturali ſciebant minime operati ſunt : *revelatur*, inquit, *ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent : quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit . . . ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt* &c. adeoque certa ſupponitur in multis hominibus illa Dei cognitio, ut circa Dei exiſtentiam primariaque ipſius attributa fidem ſuam illos exercere non poſſe nonnullis viſum ſit, ex eo quod, inquiunt, idem objectum non poſſit eſſe ſcitum ſimul & creditum : quo poſito volunt illos non teneri fide divina credere Dei exiſtentiam, quæ pro illis magis habenda eſt ut præambulum ad articulos fidei, quam ut articulus fidei. Hæc videtur mens Doctoris Angelici 1. *par. quæſt.* 2. *art.* 2. cum majori Thomiſtarum numero, a quibus non recedit noſter Doctor ſubtilis in tert. diſt. 24. quæſt. unica. quidquid interea ſit de magiſtrorum ſententia, quam nec impugnare nec defendere in præſenti ſtatuimus, id unum oſtendemus, nimirum ita ad fidem pertinere Dei exiſtentiam, ut quilibet hominum doctus vel indoctus illam, ut præcipuum fidei caput, credere fide divina teneatur.

ASSERTIO UNICA.

AB omnibus & singulis hominibus fide divina credenda est Dei existentia. Unam eamdemque esse pro omnibus & singulis hominibus fidem quis negaret, dicente Apostolo Ephes. cap. 4. unus Dominus, una fides? A nullo ergo hominum Dei existentia est fide divina credenda, vel eadem fide a quibuslibet credenda: & revera: omne quod est a Deo revelatum ad objectum fidei divinæ necessario pertinet: sit ergo pro omnibus hominibus de ratione illius objecti Dei existentia, quam innumeris locis sacræ Scripturæ testantur, consequens est. *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos*, ait ipse Deus, Moysen alloquens Exodi cap. 3. Hinc est quod illud Christianæ fidei caput, quod omnes fidei articulos implicite aut virtualiter continet, cum qui vere Deum credit, ipsi Deo de se loquenti etiam credat, iisque omnibus de quibus ipsum fuisse locutum vere constat fidem adhibeat, in principio Symboli ponatur, dicentibus Nicœnis ac Constantinopolitanis Patribus cum Apostolis, credo in unum Deum, factorem Cœli & terræ; unde cum dixisset Divus Paulus Hebr. cap. 11. *sine fide autem impossibile est placere Deo*, illico subjungit, *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est*; quæ fides ad Dei existentiam ordinem dicit pro ut est author istius universi; sub quo respectu licet cognoscatur a quamplurimis lumine naturali, nihilominus pro ipsis est fidei divinæ & supernaturalis objectum, juxta verba præcedentia Apostoli: *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, & ab illa fidei professione non excipiuntur illi, quibus per demonstrationem jam innotescit Dei existentia; generalis est Apostoli propositio, doctos ab indoctis minime secernens. Quapropter sancta Christi Ecclesia quoscumque suscipit in adoptionem filiorum Dei per sacramentum fidei, antequam tingantur aqua baptismi publicam ab eis requirit professionem, qua se corde & ore in Deum credere testificantur, fidem illam in vitæ suæ decursu identidem professuri, & ex hac universali ac invariabili ecclesiæ praxi præsentis assertionis veritas non leviter confirmatur.

Sanctos ecclesiæ Patres, & Doctores de hac re consulere si opus esset, illos omnes, de iis quæ confiteri ac credere tenetur quilibet Christianus sive philosophus, sive rusticus, loquentes, existentiam Dei ut primum Christianæ fidei caput proponere videremus, quæ cum neminem lateant, Chrysostomum, & Augustinum pro aliis omnibus audiemus. Sic loquitur Episcopus Constantinopolitanus hom. 5. in Symbolum Apostolorum, *dicite quod a nobis audistis: Credo in Deum patrem omnipotentem: videte unde cæpistis, credo dixistis; hæc credulitas confert vobis præsentis vitæ securitatem, & futuræ vitæ æternitatem, ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem*. De iis loquens Præsul Hipponensis circa quæ a nobis fides exigit officium cordis & linguæ, quorumque confessio necessaria est ad salutem, quidquid in Symbolo continetur proponit: Sic enim habet lib. de fide & Symbolo cap. 1. *quoniam scriptum est & Apostolicæ disciplinæ robustissima auctoritate firmatum, quia justus*

ex

ex fide vivit . . . etiam ore profiteamur fidem , quam corde gestamus : quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautaque vigilantia providendum est . Est autem Catholica fides in Symbolo nota fidelibus , memoriaque mandata , quanta res passa est brevitate Sermonis . Magis sunt ad præsens propositum ea quæ scribit lib. 4. de Civit. cap. 20. *unde autem sciunt illi quid sit fides , cujus primum & maximum officium est ut in verum Deum credatur?* Ad fidem ergo christianam cum pertineat Dei existentia tamquam omnium credendorum caput & principium, est de fide ab omnibus tenenda.

Quod ita verum est, ut si illi quibus per demonstrationem Deum existere innotescit, ab hac universalitate eximerentur, salutem æternam consequi possent quin ullum fidei actum circa Dei existentiam elicuissent, proindeque licet fidem plenam & integram numquam habuissent; quod non minus rationi quam veritati christianæ adversatur. Quis enim ferre posset quod aliquis diceretur æterna felicitate potiri qui omnia fidei catholicæ capita fundamentalia, ut dicunt, actu explicito non credidisset? nec satis est quod illa credat quoquo velit motivo, sed insuper absolute necesse est ut ea credat propter authoritatem Dei revelantis, in qua præcise fundatur fides Theologica, quæ definitur, assensus rei revelatæ propter Dei revelantis auctoritatem: & assensus ille ad quoslibet articulos revelatos debet se extendere: unum si quis excipiat, illius vana est & irrita fides. Hinc non temere dicam, quod licet evidens omnibus sit quemlibet triangulum constare tribus angulis, ita ut nullum de ea re possit alicui dubium inesse, si per impossibile id fuisset a Deo revelatum, circa hanc propositionem quantumvis evidentem, actum fidei eliciturus esset etiam primi ordinis mathematicus, huicque veritati sibi aliunde invictissime cognitæ assentiri motivo fidei, ob Dei nempe revelantis authoritatem, teneretur. & in hac animi præparatione, ea quæ huic veritati, licet de ea propter evidentiam certus non esset, firmiter nihilominus adhærere paratus esset ob reverentiam quæ Deo revelanti debetur, præcise consistit meritum fidei, quæ nullo alio motivo ducitur, quam summa Dei veracitate, in qua sola fundatur assensus quem rebus creditu facilibus aut difficilibus præbet homo, ex eo præcise quo ipsi constat de iis Deum fuisse locutum. præsenti proposito de fide quæ ab uno quoque hominum, etsi doctissimo, Dei existentiæ debetur, indubitatum istud principium accommodetur, quid nobis in contrarium possit opponi minime invenietur.

Exinde manifeste apparet falsum esse quod aliquibus placet, scientiam videlicet & fidem in eodem intellectu esse non posse circa idem objectum, ex eo quod scientiam pariat evidentia, obscuritatem vero fides necessario supponat. Nihil enim repugnat quod eidem veritati adhæreat homo ob revelationem, quæ ipsi est cognita per demonstrationem, cum diverso motivo ducantur scientia & fides; diversoque, ut omnibus notum est, nitantur fundamento, & ultra metas progrediuntur, qui existimant objectum fidei necessario esse obscurum, idque gratis asserunt. potest igitur aliquid evidens aut scitum, fide divina credi, non quia evidens, non quia scitum, sed quia re-

revelatum, & in rem certo cognitam, ideoque ſcitam, cadere poteſt revelatio, ut revera accidit in factis hiſtoricis, quorum veritatem ſacræ Scripturæ teſtificantur. quod ſi tum Apoſtolus, tum quidam ex Patribus videantur inſinuare obſcura eſſe quæ nobis credenda proponuntur, ſic accipienda ſunt illorum verba ut ſignificent, fere ſemper eſſe obſcura ea quæ creduntur, ut ſunt myſteria omnia, eorumque conſectaria, non autem quod obſcuritas fidei objecta ita comitetur, ut res etiam evidens ad illam non poſſit pertinere, quod falſo ex eorum verbis male intellectis concluderetur; & aliunde res ſcita, ut dictum eſt, non creditur in quantum ſcita, ſed in quantum revelata, & ſub illo reſpectu obſcura reputari poteſt. Non diffitendum tamen hominem, etſi mereatur dum veritati ſibi cognitæ aſſenſum præbet ex eo præciſe quod eſt revelata, minus meriti habere illo, cui eadem veritas non eſt cognita, cuique aſſentitur ob Dei revelantis authoritatem: unde quodam loco dixit Sanctus Papa Gregorius, *fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*: quod indicaſſe videtur Chriſtus Dominus dicens Joan. cap. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*.

Nec magni aliquid dixiſſe ſibi blandiantur contra ſentientes, dum Dei exiſtentiam ad fidem non pertinere arbitrantur, ſed ad illam præſuppoſitive ſe habere ut aliquid præambulum, quia prius eſt Deum ſcire quam illi credere. Nihil enim obſtat quod aliquid ſub uno reſpectu præſuppoſitive ſe habeat ad fidem, & ſub alio ſit de fide Dei exiſtentia, ſumma illius veracitas, nec non veritas revelationis admitti debeat ac indubitanter ſupponi priuſquam fidem adſtruamus, & niſi credamus, aut ſaltem neceſſario ſupponamus Deum eſſe, illumque hominibus fuiſſe locutum, & inſuper illum ut ſumme veracem nec fallere nec falli poſſe, nullo modo in rebus fidei poterimus procedere, vel potius inanis erit fides quocumque carens fundamento: & juxta hunc ſenſum hæc tria capita prævia ſunt ad fidem. Sed hæc ſemel admiſſa ut præambula ad fidem, vere fiunt ejuſdem fidei objecta, dum ex jam ſuppoſitis & conceſſis clare oſtenditur ex ipſa revelatione conſtare, Deum exiſtere, illum eſſe ſumme veracem, & hominibus vere fuiſſe locutum. Quæ cum ita ſint, ut nullus poteſt inficiari, indubitatum remanet ad fidem pertinere Dei Exiſtentiam, illamque ab omnibus & ſingulis hominibus, doctis ac indoctis, fide divina eſſe credendam. Cætera quæ opponi poſſent, ſi alicujus ſint momenti, cum ad tractatum de fide ſpecialius pertineant, miſſa faciemus.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum Deus unicus ſit.

QUA Mundi ætate, aut a quibus initium duxerit Polytheiſmus hic inveſtigare non intendentes, Dei unitatem tum adverſus gentiles, tum adverſus hæreticos defendere aggredimur, illos potiſſimum qui duo rerum admiſere principia ſibi adverſantia inſectaturi. Dei veri unitas etſi ex parte maneat demon-

demonstrata ex iis quæ diximus illius existentiam demonstrantes, ulterius est ostendenda, ne aliquid desiderandum relinquere videamur : id tamen breviori quo poterimus modo peragendum.

ASSERTIO UNICA.

Deus ita necessario est unus, ut plures esse Deos repugnet.

NEminem latent egregia hæc verba Tertulliani lib. 1. cont. Marcio. Cap. 3. *Deus si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies : nimirum summum magnum, quod unum sit necesse est, par non habendo, ne non sit summum magnum . . . non quasi dubitemus esse Deum, dicendo, si non unus, non est; sed quia quem confidimus esse, id eum definiamus esse; quod si non est, Deus non est, summum scilicet magnum.* Quam sit convincens illud Tertulliani argumentum ratio probat. Summus certe non est qui unicus non est : & non minus repugnant plures summi quam plures infiniti : duo si semel admittantur prima rerum principia vel dii, quare innumeros non admitteremus Deos nemo resolvet, tollatur semel supremi numinis necessaria unitas, quousque protrahatur Deorum numerus parum interest. Nullum Deum agnoscit, qui illum unicum non confitetur.

Non ergo mirum si in uno Deo ostendendo tota sit sacra Scriptura. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est*, inquit Moyses Deuter. cap. 6. *videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*, ait ipse Dominus cap. 32. *quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?* Dicit David Ps. 17. *Tu solus altissimus in omni terra*, ut habetur Ps. 82. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum*, inquit Christus, Joan. cap. 17. *Scimus quod nullus est Deus nisi unus*, ait Apostolus 1. Cor. cap. 8. Dei unitati testimonium perpetuum perhibent libri sacri, & ita evidenter, ut nemo inficias eat. Verum quid sacras commemorem Scripturas? Deum Hebreorum non recipientes Romani quia se solum coli voluerit, unitati Dei testimonium perhibebant quasi inviti, ut observat S. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 18. hæc scribens: *Sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quemnam vel qualem putent esse istum Deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti* (Romani) *templa & Simulacra fecerunt; tantumque potuerit, ut plus valeret ejus voluntas ad eorum simulacra evertenda, quam illorum ad ejus sacra non recipienda? Certe sententia illius eorum philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est, unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. proinde istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum; quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent : si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum,*

ne

ne multos falsos offenderent. Quid vero aliud agebant Romani hac ducti ratione, quam potenti licet tacito sermone, omnibus prædicare populis illum esse solum verum Deum, quem ab aliorum deorum numero censebant excludendum, qui solus erat colendus, quique cultum aliis exhibitum sibi deferri nullo modo permittebat.

Deum ita esse unicum ut plures esse deos repugnet multiplici suadetur ratione qua adversus gentiles, aut contra christianos quosdam prave de divinitate cogitantes usi sunt nonnulli Ecclesiæ Patres. Sic lib. cont. Hermogenem cap. 4. concludit Tertullianus unitatem Dei ex eo quod majus & melius sit unum esse quam plures. *Si Deus est, unicum illud sit necesse est, aut quid erit unicum & singulare, nisi cui nihil adæquabitur? Quid principale, nisi quod super omnia? Nisi quod ante omnia? Et ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo, unus est. Si & alius habuerit, tot jam erunt Dii, quot habuerint quæ Dei sunt. Ita Hermogenes duos deos infert, dum materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit: unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur*: eodem modo Hermogenem hic confutat Tertullianus quo illum supra vidimus Marcionem impugnare.

Deum esse ens necessarium, & ab illo, omnia quæ extant, tum in esse, tum in conservari, pendere jam fuse ostendimus. Si ab uno omnia pendent, si unus cuncta creat, cuncta gubernat, cuncta conservat, ut quid plures erunt? Unde unitatem Dei ex mundi ordinatione non immerito collegere majores nostri Polytheismum debellantes. *Si rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus, multo magis mundi unus est rector, universa quæ sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute conservat;* inquit S. Cyprianus lib. de vanit. Idolorum., quod disertius adhuc prosequitur Lactantius in lib. de ira Dei his verbis. *Non possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges: Sed nec in cælo quidem multi Soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore, adeo in unitate natura universa consentit*. Et ex illa generali consensione veluti ab exemplo unitatem Dei infert ille, confusionem ordinisque perturbationem necessario oriendam ex pluralitate deorum significans. Nec dicatur, dii si essent plures, omnia facturos illos esse, omnia recturos eodem consilio, animo uno, voluntate concordi, ex eo quod cum essent summe perfecti, sitque idem consilium & concordia firma, summa vel saltem magna perfectio, nullo modo posset lædi illorum consensio; illud enim gratis dicitur: & aliunde repugnat esse plures quibus essentialiter ac necessario competat, & inesse possit esse summe perfectum. Ex eo enim quod plures essent dii, vere inter se distinguerentur, cum ubi est pluralitas, distinctio intercedat necesse sit: illud autem per quod a se invicem distinguerentur, esset perfectio quædam, vel attributum aliquod, quo alii carerent, essetque proinde hæc illius perfectionis vel attributi carentia proprie imperfectio; quæ imperfectio, etsi levissima supponeretur, Divinitatem dedecet, funditusque prosternit.

Ad

Ad Dei naturam insuper si attendamus, illam quamcumque pluralitatem necessario excludere illico advertemus. Deus est ens a se, a quolibet alio independens: ipse est entis plenitudo, omnia complectitur, omnia continet: in ipso sunt, vivunt, & moventur cuncta quæ esse, vitam, & motum habent: illa autem Deum unicum ita necessario declarant, ut si ex impossibili non esset unicus, jam de Deo illa non possent prædicari: quo posito nec Deus esset. quod cum repugnet, plures esse deos pariter repugnat, frustra diceretur quemlibet Deum, si plures dentur, esse a se, entisque plenitudinem esse: id enim involvit contradictionem: illeque solus erit vere Deus, in quo alii omnes erunt, quique cætera cuncta in sua immensitate continebit. Hinc est quod Deus sese hominibus manifestans, per hanc essentialem unitatem, quæ ipsi soli inesse potest, se designat, Moysi dicens, *Ego sum, qui sum, sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos*. Ita ut esse essentiale, vel esse absolutum, quod unicum non esse repugnat, & Deus, necessario convertantur, ac de utroque prædicata contradictoria nullo modo verificari queant. Unde rigorose loquendo, esse, vel ens secundum totam essendi plenitudinem, de Deo solo adæquate prædicabitur, cum cætera omnia præter Deum, nullo dempto, non sint nisi entia per participationem.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

I. OBjectio. Duos saltem admittendos esse deos, vel duo summa rerum esse principia invincibiliter admonet necessaria commixtio boni & mali in hoc mundo: neque enim mali dicetur causa Deus summe bonus, cujus naturæ ac perfectionibus repugnat quod ab illo malum undequaque diffusum proficiscatur. Ut ergo in ipsum non refundantur mala omnia quæ fiunt sub Sole, aliquod sit oportet malum principium a quo fluant, sicut bonum est principium unum, Deus scilicet bonus a quo bona cuncta procedunt. Duo autem admittere summa rerum principia, vel duos agnoscere deos, idem esse quis negaret?

Resp. Duo admittere summa rerum principia, unum bonum, a quo sit quidquid boni est in rerum natura, vel ut tale reputatur; malum alterum, in quod refundantur quæcumque mala sunt, aut speciem mali præseferant, idem esse ac duos agnoscere Deos, ut quid certissimum supponit & ostendit S. Augustinus lib. 21. cont. Faustum cap. 4. huncque Manichæum exinde confutat: & nos pariter cum tanto Doctore existimamus. Falsum igitur est boni & mali commixtionem duo invicte indicare summa rerum principia: Tum quia proprie loquendo nihil est vere malum præter peccatum, quod cum non sit aliud, quam privatio rectitudinis quæ inesse debet, ut alias fuse ostendimus, causam non habet efficientem, sed deficientem; & hæc alia non est, nec esse potest, quam inordinata creaturæ intellectualis voluntas, ut contra Manichæos multoties inculcat Hipponensis. Tum quia, ut secundum communem loquendi morem discurramus, duplicem cum eodem Sancto Doctore distinguere debemus mali speciem; malum videlicet culpæ, & malum

malum pœnæ: quod ultimum ad Dei justitiam pertinet, primo a peccatoris malitia procedente, cum nihil possit a Deo esse, quod non sit bonum: cuncta enim Dei opera, quæcumque sint, sui auctoris, cujus natura est bonitas, caracterem quemdam præ se ferre necessario debent, nec illo carent etiam mala quibus utitur, sive ad justorum probationem, sive ad peccatorum correctionem, sive ad impiorum punitionem. *Omnia Deus & bona fecit, & bene ordinavit*, inquit Augustinus Disput. 1. cont. Fortunatum Manich. num. 15. *peccatum autem non fecit: & hoc est solum quod dicitur malum, voluntarium nostrum peccatum. Est & aliud genus mali, quod est pœna peccati. Cum ergo sint duo genera malorum, peccatum & pœna peccati, peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet. Etenim ut bonus est Deus qui omnia constituit, sic justus est ut vindicet in peccatum.* Ut autem Manichæos nescire quid loquantur, dum malum principium statuunt a quo sint mala omnia, Augustinus ostendat, malum non esse quamdam substantiam probat contra Secundinum Manich. cap. 13. & seq. aliisque in locis; nullamque naturam inesse malo, sed potius illud esse naturæ vitium ejusque corruptionem; quæ corruptio non est natura, sed est contra naturam, ut loquitur contra epistolam Manichæi cap. 35. Jejunum ergo est, nulliusque ponderis contra Dei unitatem argumentum desumptum ex malo, quoquo sumatur modo, quod & si latius diffunderetur, nullum exigit Deum sui auctorem. unde ex se repugnat fictitium Manichæorum sistema de duobus summis principiis: repugnat enim summum malum si in se ipso consideretur: si quidem malum per se dicit imperfectionem, nulla autem imperfectio summa esse valet: esse summum, infinitatem quamdam necessario importat, quæ cum sit perfectio maxima, soli Deo summe bono inesse potest. Et aliunde, quamvis admitti posset malum principium in sensu Manichæorum, quod absurdum non minus est, quam impossibile, nusquam ut Deus haberetur, cum esse Deum, & esse malum sint duo contradictoria: bonitas enim est divinitatis essentiale attributum, sine quo nec esse nec concipi potest.

2. *Objectio*. Duplex illud rerum omnium principium agnovisse videtur Christus, dum Judæorum quosdam alloquens Joan. cap. 8. ait, *ex Deo non estis; vos ex patre diabolo estis*. Nonne diaboli nomine, ex quo illos esse dicit, malum designatur principium a quo mala cuncta oriuntur? Unde duos admittere Deos, vel duas causas rerum primigenias sibi invicem adversas, ex ipsa Scriptura habemus.

Resp. Huic objectioni, quæ nihil certe habet difficultatis, a Manichæis olim propositæ fecerat satis Augustinus lib. de duabus animabus cont. Manich. cap. 7. Idque belle adeo, ut ad illius solutionem nihil superesset desiderandum. Judæos increpando, non ut homines erant, sed ut peccatores veritati infensi, talia dicebat Salvator Dominus: neque enim peccati, aut malitiæ auctor est Deus, ut in ipsum refundi possit quod nonnisi a prava hominum voluntate proficisci valet. Unde licet malus in quantum homo est a Deo sit, tamen in quantum iniquus est, ab illo non est. Manichæos errorem suum defendere volentes per laudata Christi verba, ex quibus sibi faven-

ventes dicebant Sacras Scripturas, refellit Hipponensis per illa verba Joannis cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; ac per illud Apostoli 1. Corinth. cap. 8. *Unus Deus, ex quo omnia; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*. Et iterum ejusdem Rom. cap. 11. *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria*. Quapropter cum in eadem, unaque auctoritate Scripturarum modo sonet, *omnia ex Deo*, & alibi, *vos non estis ex Deo*, nihil aliud de hac quæstione audimus, *nisi quemadmodum fieri posset, ut & nullum animarum genus non esset ex Deo, & recte tamen peccatoribus & infidelibus diceretur, non estis ex Deo*. Sicut aliud est vivere, aliud peccare, & vita in peccatis in comparatione justæ vitæ mors appellata sit, *utrumque tamen in homine non potest inveniri, ut simul sit vivus atque peccator: sed quod vivus, ex Deo; quod peccator, non ex Deo. In qua divisione utimur ea parte de duabus, quæ nostræ sententiæ competit: ut cum Dei conditoris omnipotentiam insinuare volumus, etiam peccatoribus dicamus quod ex Deo sint ..... Cum autem malos arguere propositum est, recte dicimus, non estis ex Deo. Dicimus enim se a veritate avertentibus, infidelibus, facinorosis, flagitiosis, & quo nomine uno totum continet peccatoribus; quæ rursus omnia ex Deo non esse quis dubitet? Itaque Christus peccatoribus, idipsum quod peccatores erant; & sibi non credebant coarguens, quid mirum si ait, non estis ex Deo: ex alia parte illa salva manente sententia quod omnia per ipsum facta sunt, & omnia ex Deo?* quam suam responsionem corroborat Sanctus Doctor exponens in sensu eodem ista verba Evangelistæ; *in sua propria venit, & sui eum non receperunt. Unde sui*, inquit, *si non receperunt; aut unde ideo non sui, quia non receperunt; nisi quia homines peccatores, eo quod sunt homines ad Deum; eo vero quod peccatores, ad diabolum pertinent? Hic ergo partem naturæ tenuit qui ait, sui eum non receperunt; ille vero voluntatis qui ait, non estis ex Deo*. Sicque conciliantur varii Sacrorum Librorum textus, qui prima fronte secum pugnare videntur; quique si bene intelligantur, non sibi ullatenus, contrariantur, ut idem observat Augustinus contra Adimantum Manichæi discipulum, qui multas de Testamento vetere ac novo corraserat sententias, velut invicem contrarias, exinde contendens utrumque Testamentum ab uno & eodem Deo esse non posse, & ex consequenti duos Deos cum magna suorum parte admittendos judicans. Hunc quarumdam expositione refellit S. Doctor, quibus conciliatis dicit ipsi cap. 16. *Utriusque Testamenti auctorem Deum veneror, qui & veteri homini fugienti tamquam Dominus apposuit quod timeret, & novo redeunti tamquam pater aperuit quod amaret*. Falso igitur ex Scripturis male intellectis duas dari causas rerum primigenias sibi oppositas colligere quis tentaret: veritatis sermonem utrobique sibi experiretur adversum, quem Dei unitati testimonium incessanter perhibentem, etiam invitus confiteri cogeretur.

3. *Objectio*. Ut quid ergo, si unicus est Deus, dicere potuit Psaltes Regius, *Deus deorum Dominus locutus est: Deus stetit in Synagoga deorum: ego dixi dii estis?* horum verborum vacuus erit sensus, ex illisque in errorem devenient multi, juxta Sacræ Scripturæ litteram existimantes, plures esse colendos Deos; vel saltem non leviter judicantes, polytheismo multum favere libros

bros sacros, quorum auctoritas in uno solo Deo defendendo valde infirmabitur per opposita testimonia.

Resp. Nullus cuiquam esse potest dubitandi locus ex laudatis Psalmistæ verbis, cum illi quos vocat Deos, hoc nomine improprio modo vel late sumpto donentur. Ille qui in singulari numero Deus vocatur, est unus Deus non factus, & vere Deus ipse solus. Ipse autem solus Deus, Pater & Filius & Spiritus-Sanctus; unus Deus: inquit Augustinus in Psal. 49. Dii ergo quorum Deus est verus Deus, qui sunt, aut ubi sunt? indicant illa verba, Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos discernit: quæ duobus modis possunt intelligi ex eodem Sancto Doctore: vel de justis qui Dei gratia tales effecti sunt, & divinitatis participes quodam modo facti: vel de hominibus super alios constitutis, ut sunt principes, quorum præcipuum officium est, populos judicare in justitia & æquitate, populi magistratus ac seniores, primatum in nationibus exercentes, eisque præsunt ut eas regant ac judicent. Ad illos qui primo modo dicuntur dii attendit Hipponensis eodem loco. *Manifestum est*, inquit, *quia homines dixit Deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum non ex alio justus est; & ille deificat, qui per se ipsum non alterius participatione Deus est. Quia autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri. Si filii Dei facti sumus, & dii facti sumus: sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis.* Hinc est quod dictum fuerit: ego dixi dii estis & filii excelsi omnes. Vos autem ut homines moriemini, & sicut unus ex principibus cadetis. Verba nihilominus illa psalmi in secundo sensu esse accipienda manifestant ea quæ sequuntur: *Usquequo judicatis iniquitatem, & faciem peccatorum sumitis? Judicate egeno & pupillo, humilem & pauperem justificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris*, id est potentis eos inique opprimentis, *liberate*. Judices ergo, principes populorum, necnon prophetæ quandoque in Scripturis Sacris nominantur dii; sed id non literaliter accipi debet, sed metaphorice ac improprie, eo quod summi Dei sive authoritati, sive cognitioni aut scientiæ quadamtenus participent, sicut & illi qui Dei virtute prodigia operantur & miracula ad veritatis fideique defensionem, & ad proscriptionem erroris. Verum quoquo sensu psalmus intelligatur, nihil est quod unitati Dei adversetur, faveatque polytheismo. Unde iis qui timere videntur ne quis talibus abutatur verbis, dicere nihil vetat cum Psalmista, quod trepidaverunt timore ubi non erat timor. Adhuc dici posset cum Augustino, Psaltem Regium ideo posuisse; Deus deorum Dominus locutus est, ut distingueretur verax & unicus Deus, ab iis qui ex idololatria dii dicebantur & non sunt, de quibus scriptum est, dii gentium dæmonia: verum hæc, aliaque similia missa facimus, cum illa legere satis sit ut optime intelligantur.

4. *Objectio*. Ergo ne de Deo verificabuntur prædicata contradictoria? Si unicus Deus admittatur, de illo nedum opposita, sed & indigna Deo prædicabuntur: quomodo enim misericors erit, si vindex & ultor? Qui summe justus, si parentum peccata puniat in tertiam & quartam filiorum usque genera-

nerationem? Quis illum dicet immutabilem, quem tactum dolore cordis intrinsecus pœnituit aliquando quod hominem fecisset? Quid minus Deo dignum, quam odio & ira moveri? Quorumdam ex arbitrio misereri, alios vero indurare? Quæ omnia inter se pugnantia cum sint, aut Divinitatem dedeceant, Deum non unicum, sed multiplicem esse evidenter ostendunt.

Resp. De Deo quantumvis unicus sit, prædicata contradictoria neutiquam verificantur, multoque minus indigna de illo, ad modum loquendi Scripturæ si attendamus, prædicata quædam reputabuntur, ut jam satis ostendimus. Quod si alio modo quis judicaret, ad infirmitatem humanæ mentis verba sacra recte minus intelligentis, illud esset referendum unde dicit Augustinus contra Adimantum Manichæi discipulum cap 3. num. 1. *intelligenda sunt, non temere accusanda, quæ imperitis videntur esse contraria*. Et jam præcedenti capite num. 2. dixerat. *Non ergo Dominus rescindit Scripturam veteris Testamenti, sed cogit intelligi; nec sabbatum solvit ut pereat quod figurabatur, sed aperit potius, ut appareat quod tegebatur*. Diversa Sacræ Scripturæ loca hic conciliare cum præsentis non sit instituti, hoc unum monebimus cum eodem Sancto Doctore, lib. de utilitate credendi cap. 3. omnem Scripturam, quæ Testamentum vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifariam tradit. *Secundum historiam, cum docetur quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit. Secundum ætiologiam; cum ostenditur quid qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta vetus & novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda*. Ad regulam illam si ut oportet, quis attendat, eaque legitime utatur, nec aliquid Deo indignum, quodve contrarietatem redoleat, in libris sacris reperiet. His velut incidenter observatis ad proposita redeamus.

Si Deus ea ratione qua misericors dicitur & est, vindex vocaretur & ultor, si utrumque sub eodem respectu, ut dicunt, de illo prædicaretur, tunc aliquid, saltem specie tenus inveniri posset contradictionis. Verum divinæ essentiæ attributa, juxta quæ hæc de Deo verificantur, cum invicem non opponantur, unumquodque quod suum est exequitur, qualibet sublata contrarietate. ex parte qua Deus est misericors, parcit pœnitentibus & ignoscit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, dum eo quo justus, scelestos punit, de impiis sumens vindictam. Quod utrumque si non exequeretur juxta suarum perfectionum exigentiam, sibi deesset, & se ipsum quodam modo negaret, quod est impossibile. Deus est essentialiter bonus simul & justus. In quantum bonus, miseretur; in quantum justus, ulciscitur; de suo bonus, ut loquitur Tertullianus, de nostro justus. Quod sciens catholicus quisquis, cum Psalte regio dicit, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine:* unicum Deum tam in beneficiis quam in pœnis agnoscens. *Vos autem non valentes discernere quid faciat Deus beneficio, quid judicio, quia & a corde & ab ore vestro longe est psalterium nostrum, ubi dicitur, Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine; quidquid vos pro infirmitate humanæ mortalitatis*

offenderit, alienatis omnino ab arbitrio & judicio veri Dei, ... unde hic tantam bonitatem, & ibi tantam severitatem ad unum pertinere Deum non intelligitis, nisi quia misericordiam & judicium cantare non nostis? Inquiebat Hipponensis Manichæos alloquens lib. 21. contra Faustum, cap. 3. Nec ipsius adversatur misericordiæ aut justitiæ quod dicatur in Exodo, tribuens filiis tertiæ & quartæ generationis parentum peccata qui eum oderunt. Illud Deum non dedecere, sed rectum esse intelligendum est cum eodem Augustino. *Ex eo enim quod addidit qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt. Tales enim, non sævitia, sed potius justitia Dei, & sua iniquitate puniuntur . . . . . His utique legitime redditurum Deum, atque debite, qui parentum peccata perseverantes tenere, quam Dei justitiam sequi maluerunt. Nam non pertinere patris peccata ad filium juste viventem, Propheta Ezechiel ostendit:* inquit contra Adimantum cap. 7. num. 1. & 2. unde cap. 4. ut Manichæi Scripturas veteres calumniari desisterent hortans dixerat, *si possint miseri intelligant, & illa quæ detestantur in veteri Testamento de Deo dicta, usque adeo recta esse, ut etiam in novo inveniantur; & illa quæ in novo laudant, & prædicant, etiam in veteri reperiri: unde clarescat bene intelligentibus utriusque Testamenti manifesta concordia.* Ad hæc iisque similia Sancti Doctoris verba si attenderent Manichæorum placitis adhærentes, illa jam velut indigna Deo, aut sibi invicem adversantia nobis opponere ad deorum multiplicitatem defendendam illos puderet.

Ipsis Dei summi immutabilitatem læsam existimantibus ex eo quod hunc hominem fecisse aliquando pœnituerit, unde ira & odio ductus illum, aliaque simul delere decreverit, quod divinitatem dedecere arbitrantur, respondet Sanctus Ambrosius lib. de Noe & arca cap. 4. his verbis. *Neque enim Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis; sed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam; tamquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.* Nec aliquid in eo, quod Divinitatem dedeceat, reperiri potest, nisi ex imbecillitate humanæ mentis, quæ Dei sunt metientis ad normam rerum humanarum; juxta quas de iis quæ illum decent aut dedecent judicare præsumit: unde temeritatis merito est arguenda, cum Deus solus queat scire quid ipsum deceat vel non: hæc enim sunt profunda Dei, quæ ad ipsius spiritum dumtaxat pertinet scrutari. Quod aliorum ille misereatur, alios induret, ad sapientiæ & scientiæ ejus altitudinem est referendum, investigabilia illius judicia adorando, non vero de iis quæ captum nostrum superant leviter judicando. Quomodo autem hæc sint intelligenda, temporibus suis ostendemus. Pro nunc satis est si dicamus, ex his Sacræ Scripturæ loquendi modis nihil quod unitati Dei adversetur, legitime inferri posse.

COROLLARIUM.

EX jam dictis tam de unitate Dei quam de illius existentia, facile intelligitur ipsi naturali rationi vim intulisse omnes illos, qui a vero & unico Deo rerum cunctarum conditore insipienter recessere, tum hunc esse negando, tum multiplicem illum fingendo, horum omnium delirium ex supra observatis est abunde manifestum, infinitam prope multitudinem deorum paganis fuisse cui notum non est? Quot millia ab Hesiodo memorentur neminem latet. Ægyptios, Græcos, Romanos, qui inter omnes populos doctrina ac celebritate claruerunt, cæteros quoscumque hac impietate, sub ementito religionis simulacro, superasse stupens orbis universus intuitus est. Everso post triumphantem Christi Redemptoris resurrectionem ipsius Apostolorum, ac aliorum discipulorum prædicatione Idololatriæ, Dæmonisque imperio, & gentilibus ex maxima parte erutis e potestate tenebrarum, ac divina virtute in Dei regnum & lumen translatis, unicum ac verum Deum jam adorante fere universa terra, divinitatem dividere non erubescunt non nulli Hæretici; primatum inter eos tenuere Gnostici, quos a Nicolaitis exortos quidam putaverunt, ut refert Sanctus Augustinus lib. de hæresibus, num. 6. de quibus ait: dicuntur bonum Deum & malum Deum in suis habere dogmatibus, quod de iis scripserat S. Irenæus. Cerdon a quo Cerdoniani nominat, duo principia sibi adversantia dogmatizavit: Deumque legis ac prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum; patrem vero Christi bonum, ait Hipponensis num. 21. subjungens: quidam in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus istius dogmata de duobus principiis secutum fuisse Marcionem a quo Marcionitæ appellati sunt, testatur num. 22. Idem Sanctus Doctor eumdem errorem num. 23. tribuens Apellitis, quorum princeps est Apelles, qui duos deos introducit, unum bonum, alterum malum: non tamen in duobus diversis atque inter se adversis esse principiis; sed unum esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum.

Manes persa qui & Manichæus, duo principia inter se diversa & adversa, eademque æterna & coæterna, hoc est semper fuisse, composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Hæc de eo scribit ibid. Augustinus num. 46. ex quo habemus illum voluisse, principium bonum esse rerum invisibilium auctorem: malum ex opposito rerum sensibilium & materialium causam esse uni lucem, alteri tenebras tribuebat, a bono esse legem novam novumque Testamentum, legem autem antiquam vetusque Testamentum a malo proficisci fingebat. quot ridicula & absurda his addiderit videre est apud eumdem, quem nihil eorum quæ ad illam hæresim pertinent latere poterat, quippe qui sectæ huic nomen ipse aliquando dedisset, ejusque omnia arcana didicisset, consulatur de cunctis iis erroribus illorumque principibus Sanctus Epiphanius copiose de hære-

hæresibus differens. Nonne futilia hæc illorum aliorumque Hæreticorum de duobus principiis & diis excogitata, delirantis rationis, vel potius omnino cœcutientis humanæ mentis figmenta merito nuncupantur? Nonne erga divinitatem sceleratiores fuere qui, inter Christianos fidei lumine adjutos, placita hujusmodi adinvenerunt aut probaverunt, ipsis gentilibus, dum crasse nimis sentientes de Deo, illum multiplicem esse stulte putaverunt? Et semper erit cur miremur, quod Manicheismus, ad quem funditus evellendum sufficit naturalis ratio, tot annis inter homines permultos audierit; adeo ut sæpe sæpius redivivus nondum totaliter extinctus dici possit, licet non nisi inter indoctos rudesque populos, & infidelitatis tenebris obvolutos a pluribus sæculis vigeat, modo inter Manichæos non annumerentur ex parte Albigenses, aliique Hæretici recentiores, qui non pauca ab ipsis hausisse non immerito reputantur.

Quæret fortasse aliquis, quomodo & quando sumpserit exordium polytheismus. Cui respondebimus, non longe a diebus Noe eo amentiæ homines devenisse, ut deos sibi ex arbitrio fingerent, ut ex antiquioribus monumentis collegere qui priorum temporum historiam conscripserunt. Certum enim aliunde est, Moysis tempore Idololatriam per omnes populos jam esse diffusam, quod non obscure libri sacri testantur. Patriarchæ illius per quem, diluvio universali terram cum ejus habitatoribus perdente, genus humanum salvare Deus voluit, pronepotes, nimio parumque religioso timore correpti de divinæ iracundiæ flagellis cogitantes, illiusque severitatem ex superbia ferre impotentes, ipsius beneficiis ingrati, ut arbitratu suo viverent jugum excutere voluerunt; utque minus Dei quem ignorare nequibant, justitia & virtus ipsis timori essent, deos qui nihil possent adinvenerunt, animos sibi addidisse existimantes, dum sibi ipsis perstreperent, ne de omnipotenti Deo ullo modo cogitarent. quid mirum deinde si homines a Deo quadamtenus derelicti, obscurato insipiente corde eorum, mutaverint gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium? Ut loquitur Apostolus Rom. cap. 1. eoque insipientiæ devenerint, ut homines scelestos atque facinorosos pro diis aliquando habuerint, qui scelerum suorum nedum ultores non essent, sed etiam ipsis patrocinarentur, unde illa facilius ac securius perpetrarent. Hinc ad idololatriam proclive adeo effectum est genus humanum, ut vix sapientes aliqui & religiosi homines ab illa temperaverint. In illam cæco, ut ita dicam, impetu ferebantur omnes populi, ipsique Israelitæ, quibus magnalia incessanter faciebat Deus & mirabilia ut sibi soli servirent, idolis ac sculptilibus sæpius thus adoleverunt; Deum benefactorem suum irritantes in adinventionibus suis, ut ait David Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum .... Commixti sunt inter gentes ..... & servierunt sculptilibus eorum ...... & immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis ..... quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan*. Quomodo tanta cum velocitate apud omnes gentes audierit polytheismus, ut omnium una eademque fuerit Religio, vel potius impietas,

vix

vix intelligi potest. Dumque videmus elementa, astra, homines, animantia, ipsaque legumina successive pro diis haberi pro gentium diversitate, historiæ talia referenti vix credimus. Ea tamen fuit omnium fere hominum obcæcatio a pronepotum Noe diebus, naturæ humanæ depravationem ostendens. Nec mirum quod eadem causa eosdem produxerit effectus. Ex eadem humani cordis perversitate, eadem quibuslibet temporibus prodiit iniquitas: homines inter perpetuo duratura, nisi in Christo Domino fuisset reparata natura. Verum de iis hæc sint satis, cum polytheismi historiam texere mens nostra non sit, multoque minus de diversis idololatriæ speciebus disserere intendamus.

QUÆSTIO SEXTA.

Quænam sit ratio constitutiva Divinæ essentiæ.

Deum quid vere in se sit adinvenisse frustra gloriaremur; idque etiam investigare, vesaniæ non minus quam temeritati merito deputaretur. *Quod immensum est soli sibi notum est;* inquit Tertullianus Apol. cap. 17. quapropter tunc Deum, ut loquitur Cyprianus lib. de vanit. idol. *Digne æstimamus, cum inæstimabilem dicimus*. Unde Dei essentia scire desiderantibus nobis, hæc Arnobii verba lib. 1. adv. Gent. perpetuo occurrunt dicenda: *Unus est hominis intellectus de Dei natura, si scias & sentias nihil de illo posse mortalia oratione depromi*. Id unum expedit unicuique nostrum, *sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem sciamus*, ut lib. 2. de Trin. habet Sanctus Hilarius. Quod præ cæteris intelligens S. Augustinus, ad audaciam philosophorum retundendam, qui Dei naturam definire tentarent; dicebat enarrat. in Psal. 85. num. 12. *Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit quam quid sit*. Cum ergo de constitutivo divinæ essentiæ movetur quæstio, eo se vertit tota difficultas ut sciatur; quid primum in Deo concipiatur tamquam fons & origo divinarum proprietatum, ex quo repetatur differentia Dei specifica per quam a quibuscumque entibus distinguatur.

Circa hanc quæstionem mere scholasticam diversimode sentiunt Theologi. Dei essentiam formaliter constitui per cumulum aut congeriem quarumcumque perfectionum actualium Nominalibus visum est. Illius gradum constitutivum esse volunt fere Thomistæ omnes intellectionem, sive actualem, sive radicalem, id est, vim & facultatem intelligendi: pro utraque enim ex arbitrio pugnant. Differentiam Dei specificam ex infinitate illius esse repetendam censent quam plures Scotistæ, hanc esse Doctoris subtilis sententiam falso existimantes, sicut alii non pauci, qui nullo nixi fundamento illam ipsi, re parum librata, affingunt. Ab iis omnibus recedens major cujuscumque Scholæ Theologorum numerus, Deum vult formaliter in suo esse constitui per omnimodam aseitatem, seu independentiam, & hæc opinio quæ præ cæteris communiter tenetur, ex principiis Scoti non obscure colligitur, ut ex dicendis fiet manifestum.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Neque per cumulum ac congeriem perfectionum, neque per intellectionem tum radicalem tum actualem, neque per infinitatem, formaliter constituitur divina essentia.

DEum esse ens summe perfectum quo melius nihil potest excogitari & majus, huncque omnibus & singulis perfectionibus quæ nullam ex se dicunt imperfectionem esse ditatum, qualemcumque insuper illarum perfectionum infinitatem in illo participare, jam satis indicavimus, nullusque est qui inficias eat. Ergo ne per hanc perfectionum collectionem, vel per infinitatem essentia divina constituetur? Nequaquam. Nulla ex iis perfectionibus sumptis singillatim est constitutivum essentiæ Dei: illud ab omnibus concedetur: ergo nec cumulus illarum ipsius erit constitutivum. Neque enim potior est ratio cur perfectiones illæ collective sumptæ illam constituerent quam si distributive sumantur: si quidem hæc congeries perfectionum in quantum congeries, non dicit in Deo formalitatem quamdam iis perfectionibus aliquid addentem: ex illa congerie ut talis est, Deus denominatur ens perfectissimum, nihil ipsi ex tali denominatione formaliter adveniente: quomodo autem essentia divina constitueretur per meram denominationem, quæ nihil dicit in subjecto distinctum ab illis perfectionibus? Idem feratur judicium de infinitate, quæ cuilibet ex iis perfectionibus in Deo advenit, si ita loqui fas est, quæque in ipsis ut modus essendi debet considerari, scilicet in quantum omnem limitem, cunctamve imperfectionis speciem ab ipsis excludit. Quapropter cum infinitas, congeriesque perfectionum supponant essentiam jam constitutam, ex eo quod prius sit esse quam esse tale, ut vulgo dicitur, pro constitutivo Dei non possunt haberi. Infinitas, aliæque omnes perfectiones, tum collective, tum distributive, de Deo prædicantur in quale, & non in quid, juxta usitatum scholæ loquendi morem: sola ratio constitutiva Dei prædicatur de illo in quid. Unde cum de Deo simpliciter quæritur quid est Deus? Non respondetur est, justus, bonus infinitus, &c. sed dicitur designando illius essentiam vel naturam, Deus est ens per se existens; asseitas enim est veluti radix in Deo, & quasi subjectum divinarum perfectionum ut mox dicemus; illæ vero perfectiones, etsi in Deo in gradu perfecto, & infinitæ, sunt modi essendi entis per se, illo necessario postulantis.

Nec opponatur Deum nec esse nec posse concipi absque infinitate, cumulove perfectionum, ita ut qui dicit Deum, dicat simul & necessario infinitum & perfectionibus quibuslibet instructum: id enim etsi verum sit, non tamen satis est; sed insuper requireretur quod essent de primario illius conceptu, & non sunt nisi de secundario: sicut visibilitas in homine quæ ipsius non est essentia, sed ab illa fluit; & conceptus ejus non est nisi secundarius, fluens necessario a primo qui est essentiæ illius constitutivus, scilicet quod

quod homo est animal rationale. De ratione igitur gradus constitutivi est quod omnes alii gradus ad illum referantur, ille vero non reducatur ad alios nisi per accidens. Sic dicetur Deus est ens a se, vel necessario existens, ergo est infinitus, ergo omnes habet in gradu summo perfectiones: talis enim est quia est a se ipso: sed e converso non dicetur, est a se quia infinitus, quia quibuslibet dotatur perfectionibus, licet quod sit talis necessario postulet cum sit ens per se & necessario existens.

Cum autem dicimus infinitatem non esse quid primum in idea Dei, proindeque essentiam illius per eum non constitui, sed eam supponere jam constitutam, mentem attingimus Doctoris Subtilis, qui in 1. dist. 3. quæ. 2. postquam dixit de Deo loquens, quod perfectior est & simplicior conceptus entis simpliciter infiniti, quam conceptus entis veri, boni, vel aliquorum similium, sic rationem reddit, *quia infinitum non est quasi attributum, vel passio entis, sive ejus de quo dicitur, sed dicit modum intrinsecum illius entitatis: ita quod cum dico ens infinitum, non habeo conceptum quasi per accidens ex subjecto, & passione, sed conceptum per se subjecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis*. Per quæ verba significat, infinitatem non constituere Dei essentiam, sed illam modificare, non accidentaliter tamen, sed intrinsece, cum sit cuilibet perfectioni Dei propria. Et semper sibi constans Scotus sic loquitur dist. 8. quæ. 3. *Ens autem ut convenit Deo, scilicet ens per essentiam est ipsum esse infinitum, & non aliquid cui convenit tantum ipsum esse & ideo ex se est hoc; & ex se infinitum, ut quasi per prius intelligatur aliquo modo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc*. Et juxta eumdem sensum dicit alio in loco infinitatem formalem & fundamentalem esse in divina essentia; ut infinita est: ex quo evidens est Doctorem supponere essentiam constitutam. Hinc obiter observandum longe ab ipsius mente recedere, qui infinitatem pro gradu constitutivo Dei, ejusque differentia specifica assignantes, Scoti vestigia sectari sibi videntur: illos nec ipsum a longe salutasse libenter judicarem, nisi illum ab ipsis minime intellectum me dicentem libentius ferrent. Et miror quomodo hæc sententia a non paucis eximiæ notæ Theologis Doctori subtili leviter adeo tribuantur, qui de ea nec etiam somniavit. Alioquin dicendum esset, ipsum infinitatem statuisse, nedum pro gradu constitutivo divinæ essentiæ, sed etiam pro gradu constitutivo cujuscumque attributi divini, de quo vere prædicatur quod sit infinitum; non eo sensu quod perfectionibus Dei adveniat infinitas per accidens, sed in quantum est modus intrinsecus talium entitatum seu formalitatum, ex quarum collectione & intensione denominatur Deus, & est ens summe perfectum. Nullum fore arbitror qui de nostro Doctore sinistre adeo sentiat, ut ipsum secum pugnantia docuisse velit. Adductiori oratione, quandoque rudi stilo scribente Scoto pro temporum barbarie, ipsum legendo facile est allucinari, nisi summa circa illius verba adhibeatur diligentia, a qua cessantes quamplurimi, varias pro arbitrio, propriæque mentis captu, opiniones ipsi ascripserunt, a quibus fuerat semper alienus.

Neque intellectio aut actualis aut radicalis dici debet differentia Dei speci-

cifica, aut gradus ejus essentiam constituens. Etenim quod potest homini & Angelo esse commune cum Deo, nullius eorum esse valet specifica differentia, vel gradus quemquam eorum constituens, cum constitutivum alicujus rei tali rei esse adeo proprium debeat, ut illam a qualibet alia distinguat. Angelo igitur & homine pollentibus vi seu facultate intellectiva, atque actuali intellectione, per illam Deus non distinguitur, ideoque nec per illam in suo esse constituitur. frustra reponeretur multo perfectiorem in Deo esse hujusmodi intellectionem quam in creaturis, sed quid inde? Magis & minus, ut dicitur, non mutant speciem: praeterea nemo dicet intellectionem tum radicalem tum actualem, esse fontem & originem omnium perfectionum quae sunt in Deo: num Deus dicetur infinitus, immensus, aeternus, quia intelligens? hujusmodi illationem quis non irrideret? Nec est in Deo quid primum intellectio, licet absque ea nequeat esse: dum de Deo quaeritur quid sit, haec non venit in mentem nisi secundario, & cognita prius aut constituta illius essentia quam praesupponit, cum res concipiatur esse priusquam ad facultates ipsius attendatur, quia ut dicitur, quemadmodum actus potentiam supponit, ita potentia essentiam vel naturam a qua fluit, & aliunde minime cohaerere potest opinio quae intellectionem habet pro gradu constitutivo essentiae divinae, cum iis quae de processionibus in divinis traduntur ubi de misterio Sanctissimae Trinitatis, quarum processionum principium remotum & commune est ipsa natura, proximum vero & proprium respectu Verbi est intellectus, respectu Spiritus Sancti est voluntas: tuncque nullum esset discrimen principium proximum inter & remotum illarum processionum; vel potius nullum haberet Filius principium, & Spiritus Sanctus qui a natura procedit, consequenter procederet ab intellectione, si illa esset gradus constitutivus divinae essentiae, quod tamen dici non potest. Ergo nec verum erit intellectionem esse differentiam Dei specificam. Et parum obstat quod a quibusdam opponatur, intellectionem in Deo esse gradum perfectissimum; id enim etsi verum esset in genere facultatis seu actus naturam jam constitutam supponentis, quod hic non investigamus, cum sit falsum in genere gradus naturam constituentis, nullo modo favet opinioni quam impugnamus ac reprobamus

ASSERTIO SECUNDA.

In aseitate, seu independentia totali a quacumque Causa, videtur reponenda differentia Dei specifica, haecque gradus illum constituens dici debet.

Veritatem istius propositionis prima fronte animadvertet quisquis ad verba ipsius Dei Moysen alloquentis Exodi cap. 3. serio attenderit, *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos.* Unde juxta Hilarium, *non aliter de Deo loquendum nobis, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est: non enim aliud proprium magis Deo, quam esse intelligitur.* In eadem Exodi verba enarr: in psal. 134. haec scribit Augustinus: Deus *tamquam solus sit, dixit, ego sum qui sum: & dices filiis Israel, qui est,*

est, misit me ad vos: Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset & dici Deus, ipsum esse se vocari respondit: & tamquam hoc esset ei nomen, hoc dices eis, inquit, qui est misit me. ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea quæ facta sunt non sint... quia verum esse, incommutabile esse est, quod ille solus est. Illa Exodi verba juxta eumdem sensum habent Hieronymus epist. 57. vel 14. ad Damasum, Ambrosius in psal. 43. Damascenus lib. 4. ortodoxæ fidei; aliique plures ex sanctis Patribus: tandem Sanctus Bernardus lib. 5. de consider. cap. 6. *Non sane* inquit, *occurrit melius, quam qui est... Merito quidem. Nihil competentius æternitati, quæ Deus est. si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. si centum & talia addas, non recessisti ab esse. si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti.*

Aseitatem seu totalem a quacumque causa, omnique principio independentiam perfectissimum esse Dei conceptum ejusque differentiam specificam, ideoque per illam formaliter constitui essentiam divinam ratione Theologica ostenditur. Ut gradus aliquis dicatur divinæ essentiæ constitutivus tria requiruntur: quod sit de primario illius conceptu, quod per illum ab omni alio Deus distinguatur, quodve sit radix, fons & origo omnium perfectionum quæ sunt in Deo: aseitati autem & omnimodæ independentiæ tria hæc conveniunt. Dei nomine intelligitur ens necessario existens: verum necessitas existendi est unum quid & idem cum aseitate, ut sæpius dictum est cum demonstraretur Dei existentia, & nulla reddi potest ratio independentiæ illius præter necessitatem existendi, & vicissim: illaque ita est de formali ac primario divinitatis conceptu, ut neque per mentem ab ea possit præscindi Deo insuper adeo est propria aseitas, ut nulli enti præter Deum inesse queat ejusque soli essentiæ ita competit, ut neque de divinis attributis, quæ sunt ab illa per emanationem velut a radice, neque de relationibus divinis ac personis, quæ sunt ab alio velut ab origine & principio, absolute loquendo prædicari possit; est enim a Patre Filius, a Patre & Filio Spiritus Sanctus Est etiam aseitas radix, fons, origo cunctarum Dei perfectionum. ideo enim immensus Deus, æternus, infinitus, quia cum sit independens a quolibet alio, a nullo potest limitari, estque necessario suarum perfectionum ipse causa: nec ulla est in Deo proprietas quæ in aseitate non fundetur: eo ipso quod est a se, exigit necessario quod sit infinitus in omni genere perfectionis, alioquin limitaretur ab aliqua causa, nempe ab illa ob quam aliquod ipsi inesset attributum de quo non prædicaretur infinitas, quod repugnat. unde merito pronunciavit Bernardus, omnia quæ de Deo dici possunt, instaurari in hoc verbo, *quod est, est*. Formaliter igitur per aseitatem constituitur Deus.

Nec a Doctoris Subtilis sententia ullo modo deflectimus aseitatem pro gradu divinæ essentiæ constitutivo defendentes, quod brevi fiet manifestum si cuncta ipsius verba quæ infinitatem impugnantes supra retulimus æquo animo perpendantur. *Infinitum* inquit, *non est quasi attributum, vel passio entis,*

tis, *sed dicit modum intrinsecum*. horum verborum iste est sensus. etsi in Deo *infinitum* sit vere attributum, illudque sit quod ab essentia jam constituta per omnimodam independentiam seu aseitatem primario fluit, considerandum tamen est quasi non attributum, ex eo quod illud *infinitum* est prædicabile de cunctis aliis Dei attributis, quæ varia attributa sunt veluti totidem respectus sub quibus Deus potest considerari: sub quocumque tamen ex variis illis respectibus consideretur, semper considerabitur ut infinitus, quia *infinitum* in Deo dicit modum intrinsecum, id est ab eo inseparabilem, sub quocumque consideretur respectu; unde dicentes de Deo ens infinitum, non habemus conceptum quasi per accidens, tamquam ab illo possemus aliquando præscindere, sicuti attendentibus nobis ad alia attributa evenire potest. præscientiam Dei, ejus potentiam considerare possum nihil de ejus misericordia vel justitia cogitans: ad utraque autem illa attributa in Deo attendere nequeo, quin eodem tempore, eodemque quasi conceptu mihi occurrat infinitas, quæ per se est conceptus tum Dei absolute, tum cujuslibet attributi, immediate ab essentia fluens: alii vero conceptus possunt haberi per accidens, non ita tamen ut adhuc attributa indifferens esse possit divinitas, illisve dotari vel carere, omnia enim quæ sunt in Deo sunt ipsemet Deus, & necessario: sed quia illa non includuntur in primo conceptu divinitatis in suo esse constitutæ, alioquin de Deo nec unico instanti cogitare possemus, nisi insimul omnia ipsius attributa menti nostræ occurrerent, quod falsum esse unusquisque nostrum continuo experitur. Hinc intelligitur quid significent illa Doctoris verba: *ens ut convenit Deo*, *scilicet ens per essentiam* (pensetur hoc verbum, ens per essentiam, quod idem dicit ac ens per se, ens totaliter independens, Deum in suo esse formali constituens) *est ipsum esse infinitum*, *ut quasi per prius intelligatur aliquomodo infinitus esse modus entitatis per essentiam*, ex eo quod infinitas sit prædicabilis de omnibus quæ ab essentia fluunt, aut ab illa nequeunt divelli, *quam ipsum intelligatur esse hoc:* non potest enim intelligi Deus, seu ens a se ipso, vel per essentiam, quin intelligatur infinitus. independentiam vero totalem & aseitatem haberi a Doctore pro gradu Dei constitutivo, non autem infinitatem, testantur ea quæ habet in 1. dist. 2. quæ. 2. ubi agens de propositione illa existit Deus, an sit per se nota, dicit quod hæc propositio, *Deus est*, *est de per se in primo modo*, *& immediata ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo*, *qualitercumque concepto*. ex his enim sequitur quod esse absolutum, & per essentiam, & a se, & aseitas est propriissimus divinitatis conceptus, ejusque differentia specifica, alioquin esse de illa non prædicaretur in primo modo per se & immediate, nec ad illud resolverentur alia omnia quæ de Deo prædicantur, cum illud non esset radix, fons, & origo omnium Divinarum perfectionum, quod tamen postulat necessario gradus Dei constitutivus, ut jam sæpius observavimus.

Licet ex his satis appareat Scotum noluisse Deum formaliter constitui per infinitatem, bene vero per aseitatem, ne dubium aliquod circa illius mentem remaneat, aut dicatur nos talia opinantes aliis illudere, verba ejus ex arbitrio interpretando, rem adhuc attentius discutiamus, quidve dicat dist. 13.

quæ.

quæ. unica, ubi de infinitate divinæ essentiæ comparate ad attributa loquitur, diligenter inspiciamus. *considerando aliqua*, inquit, *quæ non sunt formaliter eadem, potest aliquid accipi tamquam infinitum in se, & omnino a se, sicut essentia divina, quæ est radix & fundamentum, quæ infinitatem a nullo habet, unde Joannes Damascenus, esse Dei est velut pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum: aliquid autem est infinitum per se & in se, sed non omnino a se tamquam prima radix, & fundamentum omnis infinitatis, sicut attributa divina, quæ secundum eumdem Damascenum, dicunt aliquid quasi circa essentiam, & bene possunt esse talia formaliter infinita, & in se; & per se. Sed radicaliter in essentia sicut in fundamento*. Ibi attendendum est ad subjectum, & ad illud quod de eo prædicatur. de divina essentia dicit Doctor, quod a nullo habeat infinitatem, sed in se & a se. infinitus est prædicabilis de essentia Dei: ut autem de ea aliquid prædicetur necesse est quod illa constituatur per aliquid aliud ab illo prædicabili, cum idem nequeat esse sub eodem respectu attributum & subjectum. infinitas subjectatur in Deo sicut & cætera attributa, licet cum aliquo discrimine, ut mox dictum est: hæc de cunctis divinis attributis prædicabilis est sicut de essentia ipsius; verum de essentia prædicatur infinitus immediate, & per se, de attributis autem prædicatur mediante essentia a qua habent infinitatem: unde illa attributa non sunt radix & fundamentum suæ infinitatis cum illa ab essentia mutuent, essentia vero non illam ab alio participat, sed hanc habet a se & per se, tamquam illius radix & fundamentum; hujus radicis & fundamenti conceptus necessario diversus est a conceptu radicati & fundati. qualis est infinitas in Deo, cujus essentiæ, ut est radix & fundamentum, conceptus alius esse non potest in mente Scoti quam aseitas, omnimodaque independentia. vel brevius dicendum, quod essentia divina habeat infinitatem absolutam, cum attributa non habeant infinitatem nisi relativam. quotiescumque igitur, ut tandem concludamus, infinitatem Doctor prædicat de essentia divina, istam jam supponit constitutam, quod non obscure indicant ipsius verba, si animo ab omni prævia opinione libero judicium de iis feratur. Hæc erant observanda contra nonnullos, qui rem minime discutientes, ab ineruditorum vulgo decepti, varias circa quæstiones Scotum asserunt sic vel sic sentire, qui tamen diverse penitus sentit: quod abunde satis in Theologico-moralibus meis exercitationibus de actibus humanis ostendi, potissimum ubi de actibus indifferentibus quæstio movetur, atque etiam in tractatu de peccatis.

Argumenta quæ fieri possent impugnando duplicem assertionem quæstionis præsentis, facile solvuntur ex iis quæ mentem nostram aperientes diximus, modo hæc duo in memoriam perpetuo revocentur; primum, quæstionem in eo sitam esse præcise, ut determinetur inter omnes & singulas Dei perfectiones quænam sit de primario Divinitatis conceptu, & aliarum radix & fundamentum. Secundum, assignandam esse differentiam Dei specificam per aliquod attributum quod illi sit ita proprium, ut per illud ab omni quod Deus non est distinguatur, & de quolibet alio non possit prædicari, nec etiam improprie, vel lato modo, aut metaphorice: id autem aseitati, seu in-

independentiæ totali eſt ita ſingulare, ut alteri enti quodcumque ſit, neque etiam per participationem poſſit competere, aut ei communicari, etiam de potentia Dei abſoluta, ut loquuntur. ad duo hæc quiſquis attenderit, à quacumque difficultate brevi ſe expediet.

CONCLUSIO SECTIONIS.

QUod Deus aliquando permiſerit ſe a quampluribus gentibus ignorari, cujus exiſtentiam cælum, terra, & cuncta quæ extant voce enarrant potentiſſima, quis hominum non demiraretur? Hunc rerum omnium conditorem non cognoſcere ſummum videtur eſſe delictum; ſed illorum longe majus eſt, qui hanc cognoſcentes, non ſicut Deum illum glorificant. quantus ſit iſtorum numerus quis poſſet dicere? Neque enim illum tamquam Deum glorificare ſunt reputandi qui creaturæ potius ſerviunt quam creatori. Hinc omnem oriri impietatem hominum ita certum eſt, ut niſi creatura frui contra Dei præceptum ipſos delectaret, Deum factorem ſuum nuſquam derelinquerent, nec a vero ipſius cultu ullo modo ceſſarent. interroget unuſquiſque conſcientiam ſuam; brevique quot modis iis gentibus quæ ignorant Deum ſit annumerandus agnoſcet. illud coli quod præ omnibus diligitur nemo negabit: ex quo facile convincitur quam plures etiam Chriſtianorum inter idololatras eſſe computandos. in illos veri Dei hoſtes hic inſurgere noſtri non erat inſtituti; qui illius Supremi Numinis exiſtentiam negantes ſuſceperamus impugnandos. multa quæ in ipſos dici poterant prætermiſimus, ne in immenſum ſectio præſens excreſceret. ſatis eſt ſi quod propoſueramus examinandum circa Dei exiſtentiam & eſſentiam attigerimus, cætera quæ deſiderarentur tractanda aliis relicturi, id unum addere liceat, me ſatis non poſſe demirari, quomodo non erubeſcunt viri catholici & epiſcopalibus caracteribus inſigniti, dum docent pluralitatem Deorum ſtando principiis naturalibus defendi poſſe ac propugnari, ut in apologia caſuiſtarum audacter nimis pronunciavit Joannes Lobkovitz vulgo Caramuel, quem ex monacho militem, ex milite Epiſcopum vidit Italia. illius errorem a blaſphemia non longe diſtantem, ex quo non potuere permulti non ſumere ſcandalum, impugnant ea omnia quæ exiſtentiam Dei, ejuſque neceſſariam & abſolutam unitatem demonſtrantes allegavimus: in quibus implicite, ſed non obſcure, compertum habetur, circa primitivam hanc & minime latentem veritatem, eadem via, graduque pari fidem & rationem ſemper inceſſiſſe: unde ab utraque receſſiſſe certiſſime videtur, qui utrique non repugnare exiſtimaret polytheiſmum, quocumque modo intelligatur.

SE.

SECTIO SECUNDA.

De distinctione quæ admitti debet inter divina attributa & essentiam divinam.

ETsi quæcumque sunt in Deo sint ipsemet Deus, & adeo essentialiter ut ab ipso nequeant separari; cum ad illius essentiam alia pertineant, alia vero fluant ab essentia ut proprietates vel attributa, quæ sunt positiva ut justitia, vel negativa ut infinitas, vocanturque absoluta, quæ ad aliud non dicunt respectum, per oppositionem ad attributa relativa respectum ad aliud dicentia, ut sunt paternitas & filiatio, hæc inter se distingui necesse est. unumquodque enim ex divinis attributis proprium habet sui ipsius conceptum, per quem a quolibet alio distinguitur: alioquin de uno ex iis non possemus cogitare nisi cætera omnia instanti eodem menti nostræ occurrerent; quod falsissimum esse unusquisque nostrum experitur; cum de immensitate Dei disserere fas sit, nulla ad illius justitiam data attentione; vel de illius justitiæ sermonem habere, nihil de simplicitate ipsius cogitando, quomodo ergo hæc attributa tum inter se, tum a divina essentia distinguantur, hic occurit examinandum, Thomistis potissimum & Scotistis de hac re litem maximam æternum duraturam inter se moventibus. a quorum autem partibus stet veritas ex dicendis facile dignoscet diligens indagator, si præjudiciis expeditus rem velit æqua lance ponderare.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo attributa divina tam inter se quam comparate ad essentiam distinguantur.

IDentitatis negationem distinctionis nomine esse intelligendam in confesso est apud omnes. quotuplex ergo erit identitatis negatio, totuplex erit argumentum distinctionis, etiam non multiplicatis entibus in uno eodemque indivisibili ente completo, multiplicatis temen illius entis proprietatibus vel attributis, quæ sunt veluti totidem formæ ipsius. est autem quælibet distinctio vel mentalis, quæ fit per intellectum res varias distinguentem, sive revera distinctæ sint sive non; vel realis, seu ut dicunt a parte rei, & nullo cogitante intellectu.

Etsi absolute loquendo vera distinctio quæ est negatio identitatis, non suscipiat magis & minus, tam Theologis quam Philosophis placuit, ad diversas rerum ideas firmandas, vitandamque in rebus metaphysicis confusionem, de reali distinctione dicentibus, aliam agnoscere realem majorem, quæ est inter separata, vel separabilia, vel relative opposita; aliam realem minorem seu modalem, quæ reperitur inter modum & rem, quæ absque tali modo esse potest, licet ille modus esse nequeat absque re cujus est modus; aliam tandem

dem minimam seu formalem, quæ est inter diversas perfectiones cujusdam subjecti ab illo inseparabiles, quarum una non est de conceptu alterius formali. dicitur realis hæc distinctio, ut ostendatur illam non esse mentis figmentum, sed in ipsa rei natura esse fundatam, & a qualibet intellectus operatione independentem. Cur a nonnullis omniscíis derideatur ut ridicula triplex illa distinctionis realis diversitas, non facile dixerim, cum non minori fundamento donetur quam illa, quæ ab ipsis non deridetur distinctio rationis ratiocinantis, & distinctio rationis ratiocinatæ. qui inter litigantes judicis officio fungi volunt, etiam non rogati, rem de qua lis movetur perfecte nosse debent, nec uni potius parti favere quam alteri, ne forte a litigantibus jure ipsis dicatur, quis vos constituit judices inter nos? quod licet obiter, ex industria tamen dictum intelligi volumus, adversus eos qui Scotistarum placita quæ minime capiunt cavillantur, subdititia pro veris proferentes.

Distinctio itaque rationis ratiocinantis ea est, quæ omni in re caret fundamento, & inter indistinguibilia supponitur, estque merum otiosæ mentis figmentum, ut si quis inter duo vere synomina distinctionem quamdam statueret. Distinctio rationis ratiocinatæ illa est, quæ habet in re fundamentum. quid autem esse potest hujuscemodi fundamentum intellectui præbens causam distinguendi, præter negationem identitatis? cur autem distinctio illa, quæ fit cum fundamento, & in re ipsa realiter fundata potius esset prædicanda quam fœtus intellectus judicari, non vocaretur distinctio realis, perspicue, si possunt, dicant istius distinctionis patroni.

Si vera & legitima utriusque distinctionis, formalis videlicet seu realis minimæ, & rationis ratiocinatæ præberetur notio, inter Thomistas pro ista certantes, & Scotistas pro illa cum Doctore subtile acriter pugnantes, litem componere eo facilius, quantum arbitror, foret, quod utrique cum sua respective distinctione idem exequi volunt, eumdem scopum, verbis specie tenus oppositis, & fortasse in rei veritate parum dissonis, attingere cupientes. Utramque scholam in hac parte conciliare qui tentaret, etsi ut capio non impossibile, nonne temeritatis vel etiam delirii a majori legentium numero opinionibus præviis parum vacuo accusaretur? quidquid sit, ad quæstionis præsentis statum deveniamus.

Attributa relativa in divinis inter se comparata, personasque divinas, realiter inter se distingui, ut indubitatum ab omnibus Theologis admittitur. Maximum enim distinctionis argumentum est oppositio illa relativa fundata in origine qua inter se opponuntur, ut omnibus placet. de iis ergo non procedit quæstio, sed solum de attributis absolutis inter se collatis, ac de iisdem simul & relativis in ordine ad essentiam divinam invisa quibusdam tum philosophis tum Theologis formali distinctione Scotistica, alia ipsi suffecta est quam virtualem dixerunt. Hæc autem distinctio juxta illius defensores, reperitur inter ea quæ licet sint una eademque res simplex, pluribus tamen rebus æquivalent, ut intellectus & voluntas, quæ una sunt eademque anima, duabus æquivalent in quantum intelligit & vult: ac idem dicunt de gradibus iis qui metaphysici vocantur, qui, etiam si quid unum constituant, ut

ut pluribus æquivalentes considerantur. hæc distinctio coincidit cum distinctione rationis ratiocinatæ, & utraque, distinguibilitas est potius dicenda quam vera distinctio.

Tria in Deo esse quid unum realiter, essentiam nempe, attributa & relationes certum est. essentia est quid absolutum: attributa item absoluta sunt: relationes vero Paternitas, Filiatio, Spiratio sunt relativæ & ad aliud, non tamen re quid aliud ab essentia. hac stante identitate reali, essentia dicit naturam; attributa absoluta sunt quasi proprietates illius; relationes personarum constitutivæ sunt naturæ complementa. natura divina intra se consistens, in se habitat, per se subsistit, præscindens ab omni ordine, cunctaque denominatione ad aliud, sive prius sive posterius. attributa aliquo modo supponunt naturam cui attribuuntur, & de qua prædicantur instar passionum ipsi inexistentium, illamque denominantium, & ordinem dicere videntur, tum ad ipsam cujus esse dicuntur, ut Sapientia, Intelligentia; tum ad creaturas ad quas quodammodo diriguntur, ut misericordia & justitia. Relationes fundantur in natura; siquidem relatio quæcumque fundatur in absoluto; alio respiciunt, & referunt, & referuntur, inter se realiter distinctæ, & oppositæ sibi invicem relative per diversas origines ductæ, fiunt principia productiva trium personarum quas constituunt, & distinguunt realiter per Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam, unde resultant tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; qui cum sint tres numero differentes relative, sunt unum & idem absolute, proindeque unus Deus per essentiam seu naturam. Tria hæc licet unum quid & idem constituentia realiter, inter se nihilominus distinguuntur ante omnem mentis operationem: hæc autem distinctio, cum realis major, seu realis absolute esse non possit, debet dici formalis ob diversitatem formalitatum naturæ divinæ inexistentium inter quas reperitur, quæ natura divina, licet una & eadem sit res, diversas tamen illas formalitates admittit: quæ diversæ formalitates, etiam nullo cogitante intellectu, non sunt formaliter unum quid & idem, etsi inter se, & cum illo cujus sunt formalitates seu prædicata absoluta vel relativa, sint realiter quid unum & idem, nimirum ipse Deus. His omnibus diligenter observatis rem duplici assertione resolvemus.

ASSERTIO PRIMA.

Inter divinam essentiam & attributa, tam absoluta, quam relativa, & inter attributa absoluta secum collata, admitti nequit salva fide distinctio realis, sive major dicatur sive minor.

SEquitur præsens assertio ex confessione patrum Concilii quarti Lateranensis errorem Abbatis Joachim damnantium his verbis. *Credimus & confitemur quod una quædam summa res est incomprehensibilis quidem & inæstimabilis divina essentia, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac sigillatim qualibet earumdem. & ideo in Deo Trinitas est solummodo,*

do, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina. Ex male intellecto textu Magistri sententiarum dicentis rem esse in divinis, quæ nec producit, nec producitur, & ponentis rem generantem, rem genitam, rem spiratam, illum hæresi arguebat Joachim, ut recte observat Doctor Subtilis in 1. dist. 5. quæ. 1. quasi aliquid quartum admitteret magister realiter distinctum a Generante, Genito & Spirato, quod non admittebat, cum nihil sit in divinis a quo realiter distinguatur divina essentia. Unde contra Abbatem statuit Concilium, ex doctrina Magistri non sequi quod sit in Deo quaternitas; enim veto est realis identitas inter personas divinas & essentiam deceptus est Joachim circa mentem magistri, quem leviter nimis & falso hæresi arguens, non tamen ipse habendus est ut hæreticus; nec illud dixere patres: errabat enim magis in modo loquendi, utens terminis male intellectis, quam in ipsa doctrina.

Ex verbis patrum Lateranensium restat tres personas divinas, quæ sunt inter se realiter distinctæ, non esse rem aliam ab essentia divina cui sunt realiter identificatæ. Unde necessario sequitur non posse admitti inter essentiam & attributa distinctionem realem majorem vel minorem; quæ si daretur, vel etiam inter attributa secum collata, absoluta videlicet, nedum quaternitas, sed & centeneitas in Deo esset, ut optime contra Gilbertum Porretanum dicebat Sanctus Bernardus ad Eugenium tertium scribens lib 5. de consideratione cap. 7. *Multa dicuntur esse in Deo*, inquit, *& quidem sane catholiceque, sed multa unum; alioquin si diversa putemus, non quaternitatam babueris, sed centeneitatem. Verbi causa dicimus Magnum, Justum, & innumerabilia talia: Sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Igitur cum Dei simplicitati obstet quod multa ea quæ sunt in illo, esse diversa credantur, consequens est illa cum Deo realiter identificari, sive sit relatio, sive sit perfectio quælibet alia. Hinc definitum fuit in Concilio Florentino, *in divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Ex illa oppositione relationis quæ intercedit Patrem inter Filium & Spiritum Sanctum; sequitur quod tres personæ divinæ realiter distinguantur. Verum cum hæc non obviet essentiam inter & attributa, tam relativa quam absoluta, non posset salva fide, distinctio hæc realis in sensu exposito defendi, tum inter attributa absoluta, quæ nihil habent oppositionis relativæ, tum inter essentiam divinam & quæcumque attributa.

In Sanctorum Patrum doctrina fundatur nostræ assertionis veritas. quid enim aliud significant hæc verba divi Augustini lib. 5. de Trinitate cap. 8. *non aliud est Deo esse & aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse quod magnum esse propterea sicut non dicimus tres essentias sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam & unam magnitudinem.* & cap. 10. *non participatione Magnitudinis Deus magnus est, sed se ipso magno magnus est, quia ipse sua est Magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit; omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronunciari.* & lib. 7. cap. 6. *non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem... quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse, ita hoc*

illi

illi est esse quod personam esse. tandem lib. 15. cap. 6. *Deus sua est ipse Sapientia; quia non est aliud Sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse*. ex quibus Augustini verbis eruitur realis identitas in Deo, excludens quamlibet distinctionem realem, quæ cum summa illius simplicitate subsistere non posset.

Augustino consentiunt alii Patres. Sic fidus ejus discipulus Fulgentius Adferrandi quæstiones, interrog. 2. *Christus*, inquit, *Deus fortis sic est Deus, ut ipse sit divinitas sua: quemadmodum sic est fortis, ut ipse sit virtus sua: sic est magnus, ut ipse sit magnitudo sua: sic est sapiens, ut ipse sit sapientia sua .... claret nempe hoc esse catholicæ veritatis, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem nominamus ...... non istis nominibus diversis quædam diversa, sed unum illud, quod est essentia vel natura, certissime noverimus*. Sic pariter S. Anselmus, ut alios omittam, in monologio hæc habet. *Cum igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omni modo tota illa bona sit, necesse est ut illa omnia non plura, sed unum sint. Idem igitur est quodlibet unum illorum, quod omnia, sive simul, sive singula: ut cum dicitur justitia, vel essentia, idem significat quod alia, vel omnia simul, vel singula. Quemadmodum itaque unum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa uno modo una consideratione est quidquid est essentialiter*. Sanctum Bernardum audiemus quæstione sequenti, confutantem Gilbertum Porretanum.

Ratione multiplici ostendi potest in divinis admitti non debere distinctionem realem, tum majorem, tum minorem, dum quæstio movetur de attributis quibuslibet ad essentiam comparatis, ac de absolutis secum collatis. Ubi non reperitur summa identitas realis, non reperitur summa simplicitas veraque unitas: ubicumque enim multa reperiuntur, quantumvis in unum sint collecta, quæ non realiter identificantur, nec simplicitas est nec unitas; si quidem nihil tam simplicitati ac unitati opponitur quam separatio aut separabilitas: verum ubi non est identitas realis inter multa secum collecta & unita, ibi necessario est separatio vel separabilitas. Cum ergo nihil sit in Deo, quod separationem importet vel patiatur aut separabilitatem, ob maximam ipsius simplicitatem perfectamque ejus unitatem; consequens est ut ab ipso amandetur quæcumque non identitas realis, proindeque ejusdem speciei distinctio. Insuper in doctrina Sanctorum Patrum quidquid est in Deo, sive absolutum, sive relativum, Deus est: illud autem quod ab aliquo realiter distinguitur in sensu assertionis, & ab illo separari potest, illud ipsum nequit esse: nihil ergo in Deo esse potest quod ab ipso realiter distinguatur, cum realis distinctio major vel minor, fundetur in separatione vel separabilitate. & ex illa inseparabilitate vel melius identitate, est quod divina attributa de se invicem, & de ipsa essentia divina prædicentur in abstracto, ut ajunt; cæterum errori Socinianorum directe favet quod realis hæc distinctio in Deo locum habeat. Hinc enim Spiritum Sanctum quem Dei virtutem vocant libri Sacri, Deum non esse delirant, quia volunt virtutem Dei, operationes illius & attributa, vere ac realiter ab ipso Deo distingui. Non potest igitur salva fide, ut fert assertio, admitti realis major vel minor distin-

ctio inter divinam essentiam & attributa, sive absoluta, sive relativa. Illud ex mox dicendis magis adhuc patebit.

Nec infirmabitur quod assertum est, si opponatur de essentia divina & relationibus personalibus verificari prædicata contradictoria, cum illa sit communicabilis, personales vero relationes sint incommunicabiles. Sufficienter enim salvantur illæ oppositiones in divinis etiam non admissa distinctione reali majori vel minori, cum ad hoc satis sit distinctio realis minima seu formalis, quam sequenti assertione admittendam ostendemus, & aliunde hæc opposita optime explicari per distinctionem virtualem & rationis contendunt, licet immerito, hujusmodi distinctionis patroni, ex eo quod, inquiunt, hæc prædicatorum pugnantia seu oppositio, nihil aliud est quam diversus respectus sub quo res una & eadem consideratur, quæ ob sui perfectionem cum pluribus æquivaleat, potest attributa contradictoria suscipere juxta varios quos patitur respectus. Hinc volunt intellectum & voluntatem in Deo, etsi distinctarum processionum principia sint, unum quid & idem esse realiter, distingui vero dumtaxat posse per mentem. Majus non est realis majoris vel minoris distinctionis fundamentum differentia definitionum, quæ reperitur inter essentiam divinam & attributa, vel inter ipsa attributa comparate ad se ipsa. Eadem recurrit difficultatem, si quædam esset, solvendi ratio per distinctionem formalem, ut illam solvere putant Thomistæ & Neutristæ per virtualem aut rationis suam distinctionem, cujus ope explicari existimant varia dicta Sanctorum Patrum, qui videntur distinxisse in Deo inter naturam & personam, quæ sunt nihilominus ab invicem inseparabiles, & realiter identificantur, non obstante diversa utriusque definitione. Unde ab omnibus quæ in hac materia opponi possunt, sese expedire est facillimum cum illo formaliter Scotistico, & illo virtualiter Thomistico. Sicque in his diutius non vacat immorari.

ASSERTIO SECUNDA.

Inter attributa divina sive absoluta sive relativa & essentiam divinam, nec non inter attributa absoluta secum collata, admittenda est Scotica formalis distinctio, estque prorsus insufficiens virtualis distinctio, quam rationis ratiocinatæ vocant Thomistæ.

UT hujus assertionis, quæ nullos bene intellecta patitur adversarios, veritas innotescat, & ad evidentiam usque perducatur, observandum est, illud dici existere in subjecto realiter & a parte rei, quod in illo reperitur independenter a qualibet mentis operatione, ita ut circa rem illam occupetur vel non, intellectus noster, hæc ita se habeat, proindeque non ideo res vel formalitas ab alia distincta dicatur quia illam velut distinctam concipimus, sed potius illam distinctionem in ea concipiamus, quia revera ibi realiter hæc reperiatur, nobis etiam de illa nihil cogitantibus. Atque etiam observandum distinctionem de qua lis movetur, denominari formalem ex eo quod

quod proprietates vel perfectiones inter quas admittitur, sint veluti formæ diversæ subjecti cui insunt quæ veluti formæ aliæ sunt attributales, aliæ essentiam constituunt, & sunt ita a subjecto inseparabiles, ut subjectum vel res non possit esse absque illis veluti formis aut formalitatibus, sive illæ sint absolutæ, sive illæ sint relativæ. Hac posita duplici observatione, quæ in præsentiarum est absolute necessaria, semperque ob oculos habenda, veniamus ad propositum, & sententiam multiplici argumento firmemus.

Primum argumentum. Inter omnes Theologos receptissimum est juxta principia fidei, quamdam esse admittendam distinctionem inter attributa & essentiam divinam & personalitates, & inter attributa absoluta secum collata. non potest autem, ut ostensum est assertione præcedenti, admitti inter illa distinctio realis major vel minor, salva fide; & aliunde insufficiens omnino est, ut postea ostendemus, distinctio rationis ratiocinatæ seu virtualis, pro ut in Scholis vulgo intelligitur: admittenda igitur est distinctio realis minima seu formalis Scotica, quæ solum in Deo dari potest. Non me latet doctissimum Joannem Laurentium Berti ex Augustiniana familia, præsentis ævi Theologorum omnium sine controversia facile principem, lib. 2. de Theologicis disciplinis cap. 3. sentire cum suo Gregorio Ariminensi, nullam esse distinctionem divinorum attributorum nisi penes diversa connotata, quæ dicunt aliquid Deo extrinsecum, quod est aliud ab eo quod principaliter attributa significant; & ideo velle quod a Deo sit procul eliminanda quælibet intrinseca distinctio. illius sententiam non satis recedere ab Eunomii errore asserere non audeo, ob reverentiam debitam tanto viro a cujuscumque erroris suspicione alieno. Dicam libentius, ipsum mentem suam aperiendo, in sententiam Thomistarum pro distinctione rationis pugnantium obire: unde ex ipsius placito majoris propositionis præcedentis argumenti vis minime eluitur.

Secundum argumentum. Ibi necessario admittenda est distinctio formalis a parte rei ubi sunt variæ formalitates, quæ, cum sint veluti rei cui insunt diversæ modificationes ab illa, & a se invicem inseparabiles, ita necessario exigunt diversos conceptus, ut unius conceptus nequeat ullomodo esse formaliter conceptus alterius: siquidem diversitas conceptuum formalium, quæ talis est ante quamlibet mentis operationem & independenter ab illa, arguit distinctionem a parte rei formalem: quæ enim sunt formaliter identificata conceptus formaliter diversos nec exigunt nec patiuntur. sicuti ex identitate reali conceptuum legitime concluditur identitas realis prædicatorum, ita ex non identitate formali conceptuum debet concludi non identitas formalis attributorum, quæ formalis non identitas attributorum, ejusdem generis distinctionem inter illa secum importat. sunt autem in Deo variæ formæ aut formalitates (his vocibus post Doctorem Subtilem liceat uti ad designandas varias naturæ divinæ proprietates ac perfectiones, sive essentiales sive attributales, sive absolutas sive relativas) quæ ab ipso & a se invicem inseparabiles, ita necessario conceptus formaliter diversos exigunt, ut conceptus formalis unius nullo modo esse queat formalis conceptus alterius, quod facile ostenditur. Illa quorum conceptus formales sunt iidem, possunt de se invi-

cem

cem formaliter prædicari: variæ igitur illæ formæ quæ sunt in Deo & realiter ipsemet Deus, cum de se invicem non possint formaliter prædicari, necessum est illarum conceptus esse formaliter diversos.

Deus, ut alias dictum est, essentialiter constituitur per asseitatem: formalis ergo essentiæ divinæ conceptus est entis per se & necessario existentis. attributa illius relativa sunt Paternitas, Filiatio & Spiratio: illorum ergo attributorum formalis conceptus est esse Patrem & generare, esse Filium & generari, esse Spiritum sanctum & spirari. quis autem dicet conceptum formalem entis per se ac necessario existentis, esse formaliter conceptum paternitatis quæ resultat in Patre, ex eo quod genuerit Filium; filiationis quæ est in Filio, ex eo quod a Patre genitus sit; spirationis activæ, quæ resultat in Patre & Filio, in quantum per modum unius principii producunt Spiritum Sanctum, & spirationis passivæ, quæ est in Spiritu Sancto, ex eo quod procedat a Patre & Filio? si esse posset formaliter unus & idem conceptus entis a se cum conceptu formali illarum quatuor relationum originis in tribus personis divinis, quomodo prædicata contradictoria de illis verificarentur? dicitur autem de essentia seu natura quod est communis tribus personis; illam Filio communicat Pater, & ab utroque illam habet Spiritus Sanctus; relationes vero personales sunt non communes. de paternitate asseritur quod Patrem constituat, de essentia quod Patrem non constituat: de paternitate dicitur & est, quod realiter distinguat Patrem a Filio; de essentia quod ipsos ab invicem non distinguat, imo quod hæc sit principium per quod Pater est cum Filio essentialiter, & uterque cum Spiritu Sancto inseparabiliter. si hæc conceptus formaliter diversos non ostendunt, unde sit repetenda conceptuum oppositorum qui sequuntur, vel ex quibus sunt prædicata contradictoria, diversitas formalis, absque ambiguitate declaretur.

Eadem pro attributis absolutis secum collatis, & comparate ad essentiam militat ratio. Justitia, misericordia, bonitas, sapientia, veritas, aliæque hujusmodi perfectiones sine quibus esse non potest vera divinitas, tam ab essentia quam inter se a parte rei formaliter distinguuntur. neque enim dici potest asseitas est justitia, misericordia; vel bonitas est sapientia; veritas est potentia. optime dicitur qui est a se, est justus, misericors, verus, omnipotens; omnia enim illius attributa realiter cum Deo, & invicem identificantur; unde verum est dicere, ille qui est omnipotens, est justus, verus, sapiens, &c. Dicitur pariter Deus est justitia, veritas est Deus. sed omnes illi modi loquendi, qui exacte veri sunt ex identitate reali, locum non habent in sensu formali. inde enim sequeretur omnes perfectiones quæ sunt in Deo vel illum constituunt, esse formaliter unicam perfectionem & non plures, cum formalis identitas excludat necessario pluralitatem formalem. si ergo sunt in Deo, nemine contradicente, plures formaliter perfectiones, illas ex natura rei formaliter, tum ab invicem, tum ab essentia divina distingui consequens est.

Tertium argumentum. Illa distinctio est admittenda in Deo, sine qua multa quæ de illo prædicantur nequeunt tamquam vera defendi: quidquid enim

est necessarium ad sustinendam veritatem plurium enuntiationum de Deo, quæ non possunt non esse veræ, non potest necessario non admitti. adeo evidens est hæc prima propositio, ut nullam patiatur oppositionem. non admissa autem formali Scotica distinctione salvari nequit harum enuntiationum veritas in Deo. consequenter est admittenda hujusmodi distinctio. istud argumentum, quod nobis subministrat noster Macedo, juxta Doctoris Subtilis mentem sic proponitur. diversitas prædicationis de Deo fundatur in distinctione prædicatorum quæ realiter & independenter a qualibet mentis operatione nequeunt formaliter identificari. prima diversitas est inter essentiam & attributa. Hæc prædicatio, *Deus est Deus per suam Deitatem*, *per suam naturam*, *per suam essentiam*, est certa, formalis, rectaque prædicatio. unde sequitur ex vi formæ, *Deus est sua Deitas*, *sua natura*, *sua essentia*. diversa autem est hæc prædicatio: *Deus est Deus per suam scientiam*, *per suam misericordiam*, *per suam justitiam*, quæ sunt ipsius attributa. ex quo oritur quæso, diversitas illa prædicationis, si non oritur ex natura ipsa attributorum quæ sint a parte rei distincta? est sita hæc diversitas in eo quod Deitas, natura, essentia prædicantur in quid, & per modum subsistentis: misericordia, scientia, justitia prædicantur in quale, & per modum adjacentis. quapropter si quæratur, quis est Deus? respondetur directe, sua deitas, sua natura, sua essentia. si vero quæratur, qualis est Deus? respondetur misericors, sciens, justus, Hanc prædicationis diversitatem ex rerum prædicatarum diversitate orientem agnoscebat Augustinus dum lib. 15. de Trinitate cap. 5. sic loquebatur: *si dicamus*, *æternus*, *immortalis*, *incorruptibilis*, *immutabilis*, *sapiens*, *potens*, *justus*, *bonus*, *spiritus*, *horum omnium novissimum quod posui quasi tantummodo videtur significare substantiam*. *cætera vero hujus substantiæ qualitates*. Spiritus prædicatur in quid per modum subsistentis, cætera in quale per modum adjacentis. qui modum prædicandi mutans, interrogatus quis est Deus? responderet, æternus, misericors, justus; & rursus, qualis est Deus? responderet, Deitas, natura, essentia, spiritus, ad propositum minime responderet. & illud provenire non potest nisi ex vi naturæ prædicatæ, ex qua sumitur diversitas prædicandi. Alia enim est formalitas substantiæ, alia qualitatis, vel per modum qualitatis; nam in Deo qualitates non sunt. quomodo defendetur veritas harum enuntiationum de Deo, non admissis istis formalitatibus, simulque inter illas non admissa distinctione a parte rei? nonne post Augustinum illas formalitates in Deo admittebat Damascenus dum lib. 1. de fide cap. 4. sic loquebatur: *si justum*, *si bonum*, *si quid tale dixeris*, *non naturam dicis Dei*, *sed quæ circa naturam*. quomodo vero bonitatem, vel justitiam (idem est de cæteris attributis) prædicantes, non naturam ipsam Dei prædicamus, sed tantum ea quæ sunt circa naturam, si justitia, bonitas, aliaque attributa nedum realiter, sed etiam formaliter identificantur cum ipsa natura Dei seu essentia? aliquid præter verba respondeant adversarii; vel potius vi ducti veritatis, has formalitates ab essentia vere est realiter distingui a parte rei, atque etiam nullo de illis cogitante intellectu confiteantur.

Se-

Secunda diversitas prædicationis est intellectum inter & voluntatem in Deo & hinc deducitur *quartum argumentum*. Receptissimum est apud Theologos in divinis Filium procedere per intellectum, & Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, ideoque ipsam essentiam divinam non esse principium proximum quo illarum processionum, ut contendebat Durandus, volens utramque personam procedere ex ipsa essentia proxime, nulla habita ratione facultatum, sed quare intellectui appropriatur productio Filii, voluntati vero appropriatur productio Spiritus Sancti, si a parte rei non distinguuntur formaliter tum ab essentia, tum inter se intellectus & voluntas? ergo productio Verbi non erit distincta a processione Spiritus Sancti nisi penes nostrum concipiendi modum, & nihil interesset si negentur processiones per intellectum & voluntatem, quas tamen negare est erroneum, & e contra affirmare catholicum. si solum ratione distinguuntur, si sola cogitatione differunt, ubinam error esse potest? ergo ne aliquid detrimenti advenit rei quæ sola cogitatione concipitur, ut in ipsam rem per cogitationem peccetur? nequaquam. Nonne dicent in re esse fundamentum? Sed hoc falsum est, cum fundamentum sit natura, ex qua sunt intellectus & voluntas. Sed natura juxta ipso, non distinguitur re ipsa ab intellectu & voluntate, in fundamento igitur non erit distinctionis fundamentum; quin potius erit fundamentum identitatis. unde velint, nolint, si quid est distinctionis, ut revera est, id oritur ex parte intellectus & voluntatis, ex quibus sumi debent formales illæ productiones, quæ vere non distinguerentur nisi illæ facultates, quæ sunt instar formæ respectu illius fundamenti naturæ, distinguerentur ab illa independenter a qualibet mentis operatione.

Præterea, & inde resultat *quintum argumentum*. Si intellectus & voluntas distinguuntur solum ratione inter se & non ex natura rei, explicari non potest quomodo Verbum producatur per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, & cum tanta oppositione, ut illius productio sit generatio, istius autem sit processio, unaque importet negationem alterius, adeo ut hæreticum sit dicere, Filium spirari, & Spiritum Sanctum generari. quis intelligeret, aut intelligibile assereret illam repugnantiam, vel potius contradictionem ex sola cogitatione oriri? non difficilius intelligeretur generationem Verbi per intellectionem, & processionem Spiritus Sancti per volitionem esse effectum cogitationis nostræ inter utramque sic distinguentis, quod absurdum non minus est quum erroneum. Diceturne utrumque facile intelligi verum, si supponatur fundamentum in re? Sed urgebo & dicam, fundamentum naturæ est unum, idemque convenientiæ principium: quare ergo ex hoc fundamento repetemus distinctionem rerum quæ sunt omnino idem in suo fundamento, & non eam repetemus ex ipsismet rebus formalibus, quæ præstant & inducunt distinctionem, ex qua resultat distinctio in productionibus? Etenim intellectus ex natura sua differt formaliter a voluntate: ille natura sua intelligendo producit, hæc amando. intellectio natura sua dicendo est generatio non spiratio, volitio natura sua volendo est spiratio non generatio. & inde est quod Verbum sit Filius, Spiritus Sanctus non sit Filius: Filius sit ima-

imago; Spiritus Sanctus non sit imago. Spiratio natura sua efficit ut Spiritus Sanctus sit amor & donum, quod Filius esse non potest. Hæc omnia quomodo vere prædicari possint non admissa distinctione formali Scotica non invenio.

Distinctionis formalis veritatem simul ac necessitatem ostendunt contradictoria quæ in divinis verificantur prædicata, hanc supponentia & absolute exigentia; & hinc procedit *Sextum argumentum*. Dicitur de essentia & attributis quod communicentur, & de facto essentia communis est tribus personis, quibus & attributa absoluta sunt vere communia. Dicitur de relationibus personalibus quod nequeant communicari, & revera quælibet relatio propria est supposito cui inest, & incommunicabiliter. Illud autem quomodo verum erit si inter absolutum & relativum non intercedit actualis distinctio formalis? Quidquid prædicabitur de uno, de altero necessario erit prædicabile, cum inter formaliter identificata prædicata sint necessario communia, ex eo quod identificata formaliter sint absolute unum quid & idem, unde sicut communicatur essentia, sic communicabitur paternitas; vel vice versa, sicut est incommunicabilis paternitas, sic & incommunicabilis censebitur & erit essentia; quod vere est hæreticum. Ergo inter absoluta & relativa est necessario admittenda actualis distinctio; alioquin idem simul realiter communicaretur & non communicaretur, quod apertissimam involvit repugnantiam.

Nec huic occurritur contradictioni si dicatur, Deum in sua eminentia includere ens absolutum quod est communicabile, & ens relativum quod est incommunicabile, ideoque ratione harum diversarum rationum posse opposita de eadem entitate divina affirmari, quæ contradictoria non sunt, quia non verificantur de eodem secundum eamdem rationem: id enim defendi non potest. Summa Dei perfectio vel eminentia facit, quod ille qui omnia habet, absolutum simul & relativum in se contineat, non vero quod absolutum & relativum, si essent formaliter quid unum & idem, communicetur unum sine alio; quia quantacumque sit Dei eminentia, non potest efficere virtute sua quod idem simul sit & non sit. Contradictoria autem in præsenti supposito verificarentur de eodem secundum eamdem rationem; verificarentur enim de eo secundum quod identificarentur: ex eo quod autem identificarentur formaliter, identificarentur secundum id omne quod sunt, nempe secundum omnem rationem quam dicere vel habere possunt, cum illud per se ac necessario importet identitas formalis duarum proprietatum, si possibilis foret inter eas illa identitas, qua semel data, non amplius essent, nec possent dici duæ proprietates, sed una dumtaxat proprietas, quod certe non dicent virtualis distinctionis patroni; sicque relativum & absolutum essent formaliter idem, & consequenter idem simul esset communicabile & incommunicabile, cum ex supposito nulla inter utrumque daretur actualis ante mentis actum distinctio; ex qua indistinctione actuali cum necessario resultaret unitas formalis, prædicata contradictoria verificarentur de eodem secundum idem, seu sub eodem respectu, eademque ratione, quod omnimode repugnat.

Nec Thomistas fugit ex summa illa identitate, formali nempe quam inesse volunt, sequi illud incommodum; unde opinionem suam veluti mitigantes, postquam dixere hanc Dei eminentiam identificare absolutum cum relativo, addunt, salva tamen natura identificatorum; unde, inquiunt, cum natura essentiæ sit posse communicari, & natura relationis sit non posse communicari suo correlativo cui opponitur, beneficio talis eminentiæ fit quod essentia communicatur, non communicata relatione secum identificata. Sed resumet Scotista, cui non arridet fictitium illud beneficium, dicens, non potest autem salvari natura identificatorum, relativi nimirum & absoluti, supposita hac identitate formali, cum relativum & absolutum ex natura sua repugnent formali huic identitati, quæ est prorsus impossibilis: falsum ergo est ob eminentiam Dei ea sic identificari: necessario igitur actualis distinctio est admittenda inter essentiam & attributa relativa. Nec satisfit difficultati dum dicitur quod vere salvet distinctio eminentialis naturam rationum quas identificat, in quantum una dicit communicabilitatem, altera vero dicit incommunicabilitatem; ideoque & si non possit communicari unum absolutum nisi alia absoluta similiter communicentur, ista vere communicantur relativis non communicatis, & semper incommunicabilibus, quia id postulat illorum natura. Et de hoc præcise quæritur quomodo fieri possit & intelligi cum sola distinctione virtuali, quod ab istius distinctionis defensoribus intelligi pie credendum est, si, ob eminentiam perfectionis divinæ, ex qua una ratio simplex propter suam illimitationem pluribus æquivalet, fieri quod idem simul sit & non sit, credi similiter possit.

Insuper unde habent ut ferunt, in hoc consistere quidditatem & eminentiam essentiæ divinæ, quod includat absolutum communicabile, & relativum incommunicabile, & ideo isto non communicato, illud communicetur; & inde etiam sit, quod essentia absolute non possit cognosci absque relationibus, quod ultimum hic non attingimus: & esset ulterius probandum? Quomodo ex hoc intelligitur infinitas essentiæ divinæ, & sufficere ad omnia hæc elucidanda & concilianda distinctionem virtualem inde colligitur? Quid pariter sibi volunt; dum concedentes attributa absoluta ad invicem comparata magis inter se identificari, quam cum attributis relativis, illud repetunt ex quadam veluti latitudine, quam tribuant identitati plurium rationum formalium, & cujus beneficio potest una identificari cum alia pluribus modis, & veluti pluribus titulis, quorum unus se habet ad alium per modum accessorii; unde fit quod eo magis perfectio identificetur cum essentia, quo magis ad eam accedit, & minus identificetur, vel magis ab ea distinguatur, quo minus accedit ad illam: quid ad propositum ex hac majori vel minori identitate, si tamen identitas suscipit magis & minus, de quo non movemus quæstionem?

Nec distinctionis formalis veritatem infirmare, aut virtualis sufficientiam statuere sibi blandiantur dum dicunt, per formalem Scoticam distinctionem non omnino solvi contradictiones illas relativi & absoluti, vel communicabilis & incommunicabilis, & eamdem remanere difficultatem circa prædicato-

rum

rum diversitatem, quæ bene nequit conciliari nisi admittatur distinctio realis major, quæ tamen salva fide non potest admitti. Unde ex hac parte virtuali distinctioni nihil præstat formalis actualis, & ad illius necessitatem ostendendam vel fundandam nullius est ponderis præcedens argumentum. Neque enim difficultatem illam omnimode solvi per formalem actualem distinctionem existimamus, quæ menti humanæ insolubilis ex se tota semper erit. Verum satis est ad manifestandum formalis distinctionis necessitatem, quod per eam melius ac facilius, quantum fieri potest, concilietur hæc prædicatorum oppositio; eo magis quod in Deo non potest dari alia distinctio major formali actuali, & insufficiens vere sit distinctio virtualis & rationis: unde adhibendam esse Scotisticam formalem distinctionem inter attributa tam absoluta quam relativa & essentiam, ratione Theologica declaratur. Ex his omnibus argumentis veluti demonstratum manet, necessario admittendam esse distinctionem a parte rei formalem, tam inter attributa sive relativa sive absoluta & essentiam divinam, quam inter attributa absoluta secum collata.

Nec ullo modo a Sanctorum Patrum doctrina alienam assertionem nostram dicere quis præsumat, nisi falsitatis convinci illum delectet. Nonne distinctionem a parte rei formalem inter essentiam & attributa indicant hæc Sancti Hilarii lib. 8. de Trinit. verba? *Quæro nunc in Spiritu Dei utrumne naturam an rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura quod naturæ res: sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem est ignis & quod ipsius ignis est: secundum quod non idem est Deus & quod Dei est.* Quem alium sensum habebunt ea quæ loquitur Gregorius Nazianzenus orat. 35. *Quid an etiam immortalitas, & innocentia, & immutabilitas essentia Dei sunt? At si ita est, multæ Dei essentiæ erunt non una, aut certe compositus ex his Deus erit: neque enim hæc citra compositionem esse queunt, si modo essentiæ sunt.* Quomodo intelligetur Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 9. de Adorat. sic loquens? *Quamvis Deus simplicem habeat essentiam, diversitate tamen essentiæ* (idest proprietatum vel perfectionum ab essentia necessario fluentium) *multiplex esse videtur. Neque vero aliquid in eo externum est & adventitium, tametsi divinis attributis quodammodo haud simplex intelligatur.* Qui fieri potest ut Deus qui est simplicissimus, intelligi possit ut multiplex ratione attributorum, & in eo videatur esse diversitas, ita ut non simplex existimari queat, si attributa & essentia formaliter identificantur? Hæc non identitas non est repetenda ex nostro intellectu. Quod Deus cujus essentia est simplex, cujusque simplicitati nocere nequeunt infinitæ ipsius perfectiones, videatur multiplex, intelligatur non simplex, illud est quidem a mente nostra, rem in se simplicem considerante veluti non simplicem: sed ratio talis judicii est a mente nostra penitus independens; etiam si ad illam non attendatur, hæc fundatur in formali distinctione quæ a parte rei intercedit, tam inter attributa & essentiam divinam, quam inter ipsa attributa, quæ licet nusquam ut distincta conciperentur a quocumque intellectu creato, nihilominus ita ex se distinguerentur vere, ut unum non posset esse aliud, nec possent de se invicem formaliter prædicari. Et ille est verus ac germanus sensus verborum, tum San-

cti Cyrilli, tum aliorum Patrum; & eo magis quo plures ex illis scribentes contra Eunomium, propius accedere videntur ad distinctionem realem majorem, quæ separabilitatem importat, quam tamen illos admisisse in Deo nullus assereret.

Innumeros aliorum Patrum textus sententiam nostram firmantes non obscure, afferre etsi esset facillimum, ut rem paucis, si fieri potest, absolvamus, unicum audiemus Augustinum, qui totus noster est, licet ipsius patrocinio gloriari velint nonnulli, inter distinctionis Scoticæ a parte rei formalis adversarios, non ultimi. Lib. 7. de Trinit. cap. 1. *Omnia*, inquit, *quæ relative dicuntur, ad invicem dicuntur. Restat itaque ut etiam essentia Filius relative dicatur ad Patrem: ex quo conficitur inopinatissimus sensus, ut ipsa essentia non sit essentia, vel certe cum dicitur essentia, non essentia sed relativum indicetur. Quomodo cum dicitur Dominus, non essentia indicatur, sed relativum quod refertur ad Servum. Cum autem homo dicitur, vel aliquid tale, quod ad se, non ad aliud dicitur, tunc indicatur essentia . . . . . Hoc autem unde agimus, si essentia ipsa relative dicitur essentia ipsa non est essentia. Huc accedit, quia omnis essentia quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo: sicut homo dominus & homo servus.* Quæ Divi Augustini verba si conjungantur cum istis quæ leguntur cap. 2. *& propterea non eo Verbum quo Sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus verbum est, sicut filius ad patrem: sapientia vero eo quo essentia: & ideo quia una essentia, una sapientia*: facile dignoscetur distinctio ex natura rei inter absolutum & relativum, quia absolutum est unum in se, & se respicit non alia. Hujusmodi est essentia Dei, in qua insunt relationes quas illa continet in se absque ullo respectu ad alia, cum tamen illæ dicant respectum ad alia: sicut filius est ad patrem, qui pro ut est aliquid secundum esse *in* inest essentiæ: pro ut est relativum secundum esse *ad* respicit aliud, & secundum hoc esse relativum distinguitur ex natura rei ab eo cui inest, inest autem essentiæ: distinguitur ergo ab essentia.

Eamdem ostendunt inter essentiam & relationes distinctionem ea quæ habet idem Augustinus, dum cap. 6. postquam exposuit cur in Trinitate non dicatur una persona & tres essentiæ, declarans quid de hac Trinitate credere debeant rudiores qui supra dicta non capiunt, hæc habet: *Credat in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum . . . . . Neque cum audierit Patrem solum Deum, separet inde Filium, aut Spiritum Sanctum; cum eo quippe solus Deus, cum quo & unus Deus est . . . . ita dicat unam essentiam, ut non existimet aliud alio vel majus, vel melius, vel aliqua ex parte diversum. Non tamen ut Pater ipse sit & Filius & Spiritus Sanctus, & quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur . . . . propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Evangelio scriptum est: ego & pater unum sumus. Et unum dixit, & sumus: unum secundum essentiam, quod idem Deus: sumus secundum relativum, quod ille Pater, hic Filius.* Hanc distinctionem ab operatione mentis qui repetunt, inintelligibilia prorsus narrant. Nosque a Sancti Doctoris mente non recedere sic opinantes testantur ea quæ dicit dum ad essentiam divinam ejus-

que

que perfectiones vel attributa attendens, ostendit Epist. 169. ad Evodium, multitudinem prædicatorum non nocere in Deo ipsius simplicitati, nec ullam importare compositionem. *Legitur quidem*, inquit num. 7. *& Spiritus Sapientiæ multiplex; sed recte dicitur etiam simplex: multiplex enim, quoniam multa sunt quæ habet; simplex autem, quia non aliud quam quod habet est.* Et in hoc sensu est intelligendus, dum lib. 6. de Trinit. cap. 6. supponit quæri posse, *quomodo simplex & multiplex sit illa substantia* quæ Deus est, per oppositum, ad creaturam quæ est multiplex, nullo autem modo vere simplex. Deus qui est ens simplicissimum, non potest considerari ut multiplex, nisi in quantum formalitates diversæ ex quibus pensari potest hæc illius multiplicitas, non identificantur formaliter cum esse Dei vel inter se, etsi inter eas realis reperiatur identitas, quæ si non reperiretur, nec simplicitas in Deo esset. Unde post Augustinum dicebat S. Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 7. *multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane catholiceque, sed multa unum . . . . Nisi omnia unum in Deo & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Quibus eodem tempore statuitur in Divinis identitas realis, & non aufertur distinctio formalis. Est ergo Sactorum Patrum doctrinæ assertio præsens consona, quæ multiplici ratione jam fuerat firmata.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Ne prolixiores simus quam res ipsa postulat, præcipuas objectiones quæ ex ratione peti possunt ad unam reducamus, qua soluta, etiam aliæ solvuntur, vel potius eæ proponi nequeunt cum nihil tunc urgeant. Eo igitur tendunt omnia adversariorum argumenta, ut dicant ex admissa formali distinctione a parte rei essentiam divinam inter & quælibet attributa, resultare compositionem in Deo, ejusque tolli summam simplicitatem, quæ cum diversis formalitatibus de quibus Scotus, videtur stare non posse. Unde in assertionem nostram sic insurgunt. Illud omne quod divinæ simplicitati adversatur, veramque in Deo admittit compositionem non potest defendi. Sed admissa distinctione formalitatum Scoti evanescit summa Dei simplicitas, & posito quod attributa formaliter distinguantur ab essentia divina admittitur in Deo compositio vera ex ipsis divinis attributis & essentia: etenim illæ formæ vel quasi formæ quæ se habent ad instar partium (& hujusmodi sunt attributa) adveniunt naturæ, formaliter ut est natura, eamque actuant, & perficiunt ea ratione formali quæ non est ipsa natura formalis: cum natura se habeat tunc per modum recipientis, & sustentantis illas advenientes veluti formas attributorum, ex quibus resultat in natura ratio potentiæ, & in attributis ratio actuum, quæ veram inducunt compositionem. non potest igitur, quocumque modo intelligatur, defendi formalis Scotica distinctio attributa inter & essentiam, nec inter ipsa attributa. Hæc est summa difficultatum quæ proponi possunt adversus patronos Scotisticæ distinctionis, quæ nisi ruant funditus, ruat oportet Scotistarum sententia.

Resp. Si verum esset assumptum cum illo quo niti videtur, ruere totaliter asser-

assertionem exinde sequeretur: ideo accurate solvenda vis istius argumenti, quæ tota est in minori propositione: duobus modis id attingere conabimur; idque primo modo ex principiis Divi Thomæ, quibus nihil in oppositum respondere possint Thomistæ, quibus cum nominatim rem habemus, communem Scotistarum responsionem adversus quoscumque Thomistis adhærentes deinceps allaturi. Quidquid igitur divinæ officit simplicitati, & compositionem quamdam proprie dictam in Deo supponere videtur, procul a divinis esse amandandum lubenter concedimus. id vero sequi ex Scotica formali distinctione, ut contendunt adversarii, firmiter pernegantes. Idque merito, si admodum quo sit compositio juxta Doctorem Angelicum attendamus. *Omne compositum*, inquit, *est posterius suis componentibus. omne compositum causam habet adunantem ipsa quæ secundum se diversa sunt. Deus non habet causam, cum sit prima causa efficiens. in omni composito oportet esse potentiam & actum. omne compositum est aliquid quod non convenit alicui suarum partium.* Has statuens conditiones Divus Thomas ad rationem compositi, de illa loquitur compositione quæ repugnet simplicitati divinæ de qua agit, quamque removet a Deo, & quod in ipso non reperiantur ea quæ compositum constituunt: unde pro summa Dei simplicitate concludit. Quo posito cum nulla ex iis conditionibus occurrat in supposito formalitatum Doctoris Subtilis, distinctio quæ ex illo inter illas formalitates statuitur, summæ Dei simplicitati non officit, nullaque ex ea in Divinis exurgit compositio, & revera formæ illæ non sunt Deo priores: non habent causam efficientem aut res diversas adunantem: non sunt potentia & actus: eæ formalitates sunt unum & idem realiter cum essentia, & essentia cum illis: quonam igitur modo distinctio quæ supponitur, & est a parte rei inter illas veluti formas, induceret compositionem? Ex Angelico potest dari aliquod totum simplex habens multiplicitatem quasi partium, quæ non sint priores illo, nec ratione sui diversæ ab illo, nec se habeant ut potentia & actus in illo, & ita simplici conveniant ut singulæ sint idem cum illo, & totum cum illis. Est autem Deus totum illud simplex, quia non componitur ex partibus propriis compositi, & in eo non est multiplicitas partium; sed concursus perfectionum & attributorum ad instar partium. Quapropter stante Scotistica distinctione a parte rei inter attributa divina & essentiam, nihilominus stabit summa Dei simplicitas ex ipsius Divi Thomæ principiis, quæ tanti Doctoris discipulos latere non possunt, aut ab ipsis impugnari. Dicetne illas formalitates ex nobis esse diversas, & intra se, & ab essentia, cum ex natura rei sint distinctæ? Sed quid inde? Si essent diversæ in sensu distinctionis realis majoris, ut res una differt ab alia re, prout est in dissimilibus & similibus, nam nulla pars hominis, est homo, neque pars pedis, pes: pars aquæ, non est tota aqua, ut pro exemplo proponit Angelicus, ex illarum diversitate possent in nos arguere. Sed cum earum diversitas illarum ab invicem inseparabilitati, & a re cujus sunt veluti formæ, non officiat, nihil inde potest inferri. Itaque formalitates illæ sunt quasi partes, sed non tales quales in composito, & non debent comparari secum, nec cum essentia cui inexistunt in

quam.

quantum formalitates, sed cum Deo, a quo non sunt diversæ re, sed unum & idem cum illo, & ille cum eis. sublata enim distinctione formalitatum, tolluntur formalitates, nihilque superest ad modum partium, nec est locus quæstioni, an componant vel non, quia non sunt: debent ergo manere ut quæri possit an sint componentes essentiam, vel non, & utrum sint idem cum natura, & ipsa cum eis nec ne. cum autem, etsi diversæ formaliter, sint idem realiter, nullam faciunt compositionem: proindeque nihil virium remanet ex hac parte antiscotistarum argumentationi, cujus difficultas evanescit ex bene intellectis illis formalitatibus, quæ ut componentes haberi nequeunt.

Resp. 2. cum Doctore Subtili in 1. dist. 8. quæ. 4. nullam in Deo resultare compositionem ex distinctione quæ non potest non esse inter divinam essentiam & attributa, etenim *ista non identitas formalis stat cum simplicitate Dei*, cum non tollat summam identitatem in natura & cum natura, quia nec advenit naturæ, nec est pars respectu illius, nec actus ejusdem, non advenit naturæ quia ipsi inest, & cum illa est eadem res, unde nec est pars illius. quod autem non sit actus ex eo liquet quod natura simpliciter infinita nequit perfici, utpote quæ omnem contineat perfectionem: imo & ipsummet attributum habet infinitatem simpliciter, cum re sit eadem natura. unde argumentum nihil probat. Cum additur naturam fore per modum recipientis & sustentantis, id falsum est, quia natura divina est principium, & radix unde pullulat attributum, quæ ratio potius est instar effectricis virtutis, quam receptricis potentiæ, & quidquid est perfectionis in attributo provenit a natura, cui non advenit, sed ex qua provenit, & emanat attributum. Sicque soluta manet tota difficultas. Superest dumtaxat ea distinctio formalis illius veluti formæ, verbi gratia Sapientiæ, quæ distinctio non facit compositionem. Nec enim omne distinctum componit: imo ratio distinguendi non esse potest ratio componendi, & apparet in relationibus divinis, ut optime dicit Doctor: quæ cum sint distinctæ realiter non faciunt cum Deo nec in Deo compositionem. multo minus ergo ex attributis formaliter distinctis exurge compositio.

Nec prorsus potest dici ad rem non esse, exemplum divinarum relationum, ut gratis asserit Berti, illud minime probans: qui si legisset collationes doctrinæ S. Thomæ & Scoti cum differentiis inter utrumque, a doctissimo nostro patre ac magistro Francisco Macedo editas, cujus elucubrationibus in præsenti quæstione me omnimode debitorem confiteri non erubesco, videret quomodo unitas Dei, ejusque simplicitas salventur, licet defendatur distinctio formalis, quam non potest non admittere quisquis illam juxta mentem Doctoris Subtilis exacte intelligit; unitati Dei ac simplicitati non officit Trinitas personarum, quæ unum sunt quid ratione essentiæ atque attributorum, ut optime observat laudatus mox Theologus: nec officiet pariter distinctio attributorum tum ab essentia, tum a se invicem, eo quod habeant pariter, non obstante formali a parte rei distinctione, unitatem essentiæ, quæ est summa, & infinitatis & realitatis, cum sint penitus indivisa. quod autem

autem addit ab essentia & attributis, absolutis videlicet, personas formaliter non distingui, falsum est, ut in argumentis ostendimus. quia juxta Doctorem " ratio relationis in re non est formaliter eadem rationi essentiæ, &
" tamen in eodem concurrentes non constituunt compositum vel compositionem, quia ista ratio est eadem perfecte illi; propter enim infinitatem
" unius rationis quidquid potest esse cum ea, est idem perfecte sibi: perfectio enim identitatis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem, quæ identitas est propter infinitatem: & tamen infinitas non tollit formaliter rationes quin hæc formaliter non sit illa. Non est igitur ex
" istis quasi compositum, & ideo nihil est eis quasi compositum ex actu &
" potentia, sed est unum simplicissimum ex istis, quia una ratio est perfecte, imo perfectissime eadem alteri, & tamen non est formaliter eadem:
" non enim sequitur, sunt perfecte eadem etiam identitate simplicitatis, ergo sunt formaliter eadem. & eadem perfecta identitas excludit omnem
" aggregationem, quia idem non aggregatur cum se ipso. " Hæc Scotus dist. 5. quæ. 2. Num. 15. ex quibus evidens est, Exemplum divinarum relationum & personarum esse ad propositum, & inane effugium videri non posse ea quæ dicit eo loci & alibi, ad removendam omnem compositionem a Deo, nisi iis qui Scotum vel non legerunt, vel legentes ipsi alienum sensum affinxerunt ex præjudicata opinione, aut ne victi illius rationibus in eamdem abirent sententiam. Nec sibi credamus vellet vir summæ eruditionis, dum quid sibi velint hæ formalitates Scotistarum, quæ identificantur *realiter* cum divina essentia, sed non *formaliter*, non capere dissimulat. eoque minus quod Scotus multis in quæstionibus obscurus & ambiguus, saltem prima fronte iis qui in ipsius lectione parum sunt versati, clare & distincte loquatur dum agit de distinctione formali, & adeo ut circa ipsius mentem nulla superesse possit difficultas, ut cuicumque rem sedate consideranti fiet manifestum. verum ad propositum redeamus.

Dicet fortasse aliquis cum distinctione formali non posse reperiri perfectam identitatem attributa inter & essentiam, & inter ipsa attributa, cum inter illa non sit omnimoda identitas, quæ si daretur non posset admitti non identitas formalis. sed illud non valet, cum ibi sit identitas perfecta ubi est identitas realis, sicuti est inter attributa & essentiam, & illa major esse nequit: est enim chimera identitas conjuncta ex reali & formali; quæ si dari posset, jam non esset de quo moveretur quæstio. Nec eo confugiendum ut dicatur intellectum considerare terminos ut distinctos: si enim hæc distinctio per intellectum est rationis ratiocinantis nihil facit sed fingit: si rationis ratiocinatæ, supponit formam de qua est eadem ratio ac de nostra distinctione formali. attributa divina respectu essentiæ divinæ suam formalissimam actualitatem ita necessario retinent, ut illam non possint deponere & esse formaliter idem cum essentia, alioquin unum non posset de alio prædicari, & inaniter diceretur, Deus est sapiens, Deitas est sapientia: & in tali conceptu præscindit sapientia formaliter a Deitate, atque adeo repugnat in illo conceptu idem esse cum Deitate, quare illa extrema non sunt capacia iden-

identitatis formalis, sed tantum realis, quæ non potest esse major, nec perfectior. Ceterum quæ sunt in suo genere strictissima semper quærere quis auderet? Nonne major esset unitas divina & simplicitas si distinctæ relationes in ea non essent? ergo ne tollentur? nequaquam. Sicut ergo cum hac reali distinctione quæ multo major est formali, stat summa divinæ naturæ simplicitas, hæc a fortiori stabit cum distinctione formali Scotica attributorum, & inter se, & comparate ad essentiam.

Adderem libenter cum Macedo, formalem hanc attributorum distinctionem convenire naturæ divinæ, quæ ratione suæ fœcunditatis debuit in quasdam veluti formas, & quasi proprietates absolutas prorumpere, ac ex sinu suo parere, ut non tantum per intellectum & voluntatem relativas personas produceret sed per se ipsam immediate parturiret attributa in eodem genere absoluto. ob illam infinitam fœcunditatem cuncta attributa identificantur realiter cum essentia, quæ ut pote infinita & necessaria singulis attributis se communicavit totam & solam, se infundendo in singula attributa juxta infinitam fœcunditatem suam; quapropter in omnibus & singulis tota divinitas inexistebat, se iis æque ac ex integro dans. est autem absoluta hæc naturæ fœcunditas, producendo illas quasi formas absolute, & iis communicando infinitatem pariter absolutam, & simpliciter simplicem quam habere nequeant relationes formaliter, quia sunt oppositæ formaliter, ideoque in suo tantum & certo genere infinitæ, ut docet Scotus. Evidens igitur est ex distinctione formali minime sequi compositionem; & probatum manet satis esse ad simplicitatem, identitatem realem cum infinitate necessario communicata ex naturali & necessaria fœcunditate naturæ divinæ, quæ erumpit pariendo quæ continet: continet autem infinitatem, ergo eam attributis communicat cum summa identitate; quæ quidem identitas tollit etiam aggregationem, quæ, ut superius observavimus ex Doctore Subtili, stare nequit cum summa illa identitate infinitatis, cum idem aggregari non possit cum se ipso. Nec quemquam offendet quod in proposita difficultate solvenda longius fuerimus progressi, quod ex industria evenit; tum quia non levis erat ponderis objectio, tum quia rarescunt exemplaria collationum R. Patris ac Magistri Macedo, qui argumenta quibus utimur in præsenti quæstione nobis ex maxima parte subministrat. Neque enim aliorum excogitata tamquam nostra assumimus, aut iis nos exornamus; sed unicuique quod suum est tribuentes, ea quæ cujusdam momenti ex alieno penu in iis quæ scribimus esse possunt, declarare honori ducimus.

2. *Objectio*. Sententia distinctionem formalem in sensu assertionis defendens non videtur stare posse cum definitionibus variorum conciliorum. In Rhemensi concilio Eugenius III. damnavit errorem Gilberti distinctionem inter ipsa attributa & essentiam statuentis: unde prohibitum est, *ne ulla ratio Theologica essentiam inter & personam divideret seu distingueret*. & in formula fidei quam Gallicani Episcopi in illa Synodo obtulerunt hæc leguntur: *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negare, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas*. In Concilio Lateranensi quar-

L to

to sub Innocentio III. proscriptus est error Abbatis Joachim distinguentis inter essentiam divinam & personas. In Concilio Florentino statuitur *in divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationis oppositio*. & sess. 18. Joannes Theologus latinus cum Marco Ephesio Episcopo Græco Theologo disputans ait, *divina substantia, & persona, re quidem sunt idem: secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur*. & ipsi Marcus pro Græcis Consensit. quibus similia sunt quæ habentur sess. 19. & sess. ult. ejusdem Concilii, dicente Andræa Episcopo colossense quod *plurimum refert simpliciter proferre Divinam substantiam, vel Patris, Filiique substantiam, haud quaquam tamen putare debemus, ut re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur*. dicentibusque Latinis, *ne identitatem conjunctionemque divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur*. Ex quibus omnibus facile evincitur Scotica formalis distinctio, quæ cum realis sit, & a parte rei ante quamlibet mentis operationem, illis conciliorum definitionibus parum consona videtur, proindeque non admittenda.

Resp. Ex iis quæ in præsenti objectione afferuntur nihil esse quod adversus formalem Scotisticam distinctionem militet facile ostendetur. quantum distet a Gilberti errore de quo in Concilio Rhemensi Scotistarum sententia, nemo nisi cæcus non videt. sublata in divinis attributis cum essentia per Gilberti ejusque assectarum doctrinam identitate reali, qua deficiente multiplicitas in Deo & compositio necessario admittuntur, quid mirum si a summo Pontifice Eugenio & patribus Rhemensibus fuerit proscripta? juxta ipsos dici non poterat Deus est sua Deitas, sua Misericordia, sua Sapientia, sua Bonitas. insuper volebant tres personas divinas esse tres distinctas ab essentia & Deitate, quam negabant esse unam rem. ex quo sequebatur nedum Trinitatem esse in Deo, sed & quaternitatem, omnimoda inter relationes & essentiam negata identitate. verum in sententia Scotistarum cum Doctore, tres personæ sunt quid unum re cum essentia, sicut cum illa sunt re quid unum attributa: unde ex ipsis verum est Deum suam deitatem esse, suam justitiam, suam sapientiam: sequitur enim ex identitate reali harum enuntiationum veritas: sed non minus est verum misericordiam non esse justitiam, sapientiam, bonitatem, & è contra, quia tunc illæ propositiones limitantur ad sensum particularem & formalem. pariter verum est, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: non tamen dici potest Pater est Divinitas, Filius est Divinitas, Spiritus Sanctus est Divinitas, ob limitationem ad sensum particularem, quia essentia Divina non est formaliter aut Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, licet tres personæ sint vere & realiter unus Deus, cum relationes personales non sint de primario & formali conceptu essentiæ divinæ. quapropter cum Scotica formali distinctione inter essentiam & attributa, remanente identitate reali, ut ex iis quæ superius diximus est manifestum, nihil ex iis quæ locuti sunt patres Rhemenses cum Sancto Bernardo contra Gilbertinam doctrinam concludi potest in Scotistas, qui sunt a Gilberti sententia omnimode alieni. præterquam quod nec

nec patres Rhemenses, nec Bernardus de formali distinctione ad sensum Doctoris Subtilis, de qua nondum aliquid auditum fuerat, quidquam cogitarunt: unde ex confessione fidei in concilio Rhemensi edita a S. Bernardo inconsultis Cardinalibus, qui Eugenio III. aderant, & ob id fuit reprehensus, ut ex historia illius Concilii constat, inter cujus gesta, confessionis illius nulla reperitur approbatio, gratis in nos argueretur. Verum de concertatione Abbatis Claravallensis cum Gilberto Episcopo agetur quæstione sequenti.

Ad damnationem erroris Abbatis Joachim in Concilio Lateranensi quod spectat, illum de distinctione reali majori fuisse ostendimus in prima assertione, ita ut tres Deos videretur admittere: unde nihil ipsi, & Scotistis, identitatem realem, quacum stat formalis distinctio, propugnantibus, est commune. Nullius pariter est roboris contra nostram formalem distinctionem quod adducitur ex Concilio Florentino. esto quod Joannes Theologus cum Marco etiam Theologo Græco disputans phrasi usus sit, quæ opinioni Thomistarum circa modum distinctionem in divinis explicandi faveat, & Scotistarum sententiæ de formali distinctione videatur adversa: sed quid inde? in concertatione ad fidem pertinente, ut erat illa de qua inter græcos & latino (sciendum enim erat an Spiritus Sanctus ex Patre procedens ex Filio etiam procederet) de distinctione quæ esse potest essentiam inter & personas agens Thomista, locutus fuerit juxta scholæ suæ mentem mirum non est; eodem modo se respective gessisset Scotista, si Theologus Latinus fuisset e Franciscanorum familia, sicuti erat ex patrum Dominicanorum ordine Joannes, idque utriusque scolæ opinioni nihil præstat aut nocet, cum de Scholasticorum opinionibus non certaretur; unde verba relata sunt Joannis, non vero Concilii. de processione Spiritus Sancti ad Græcos cum Latinis conciliandos cogitantis: sitque fuit ex hac parte objectio quæ non est ad propositum: & id satis esset pro nobis si validius quid non possemus respondere. Sed ex ipsius Joannis verbis nihil contra nos concluditur, cum ille non dixerit absolute, divinam essentiam & personam differre secundum modum intellectionis nostræ, sed quod videntur differre. Scholasticas subtilitates Græcis ignotas, parvi faciens Joannes, distinctionem realem quæ separabilitatem importat amandabat, ut identitatem realem, quam solum Græci scholastici agnoscebant, statueret, Scotistarum opinionem nullo modo improbans, vel forte ad illam tunc non attendens. Imo illum ad partes nostras trahere non esset difficile: dum enim dixit essentiam esse communicabilem, personas vero incommunicabiles, subdit id ex relationis vi evenire, quæ verba, ut recte observat Macedo, indicant formalitatem Scoti, admissa illa vi ex parte relationis, hoc est a parte rei, non ab intelligentia nostra. Joannem autem & Concilium ad quæstionem principalem dumtaxat & ad fidem spectantem attendisse, non ad scholasticas opiniones, indicium est, quod Marco dicenti divinam substantiam & personam differre simpliciter, ut commune differt a proprio, & quemadmodum humana substantia a persona sua differre videtur, non respondit Joannes, quem non latebat varias esse opiniones oppositas circa distinctionem personæ a natura humana, quique non poterat non sentire

juxta principia Græcorum, essentiam divinam a persona distingui ex natura rei, & sciebat in homine juxta quamplures, personam differre a natura ut modum realem: ideoque cum in Deo modi non esse possint, & eorum loco sint ponendæ formæ, persona quæ erit veluti forma respectu naturæ, ab ea formaliter distinguetur: unde Marcus aliter sentiebat quam Joannes qui solam distinctionem rationis admittebat. est igitur ex hoc capite soluta omnimode objectio, cui nihil virium addunt quæ dicit Andræas Colossensis conciliare volens dicta Joannis & Marci, ut pote qui more vulgari extra Scholam, & omissis subtilitatibus scholasticis loquebatur, idque non affirmative, sed opinative, cum non dixerit differunt, sed sola ratione, aut intelligentia differre creduntur: id est existimantur aut videntur.

Parum similiter urget confessio fidei Latinorum ad Græcos missa, quæ Sess. ult. Concilii ejusdem habetur. formali nostræ distinctioni non adversantur verba laudata, quæ excludunt realem distinctionem per quam in tres partes divideretur essentia, distinctionem autem realem inducit divisio; unde subdunt, ne in tres partes unicam illam divinam substantiam dividi mens concipiat. Latini argumentabantur contra Græcos processionem Spiritus Sancti a Filio negantes, naturæ divinæ in tres partes divisionem ex ea negatione inferendo: unam quæ esset in Patre producente Spiritum Sanctum; alteram in Filio non producente; tertiam in Spiritu Sancto producto a Patre, non a Filio; unde consequens erat essentiam Flii minime productivam, esse diversam a Patris essentia producente, & ab essentia Spiritus Sancti, quæ non erat unita Filio, cujus non participabat naturam; quo posito tres erant in divinis admittendæ essentiæ realiter distinctæ ac divisæ; tuncque non unus erat Deus, sed tres Dii vere ac realiter distincti. Hinc necessum erat omnimodam in tribus personis essentiæ divinæ identitatem exprimere, quæ nulla posset ratione distingui, ut revera fert confessio fidei Latinorum. Sed ibi quid contra Scoticam distinctionem, quæ non versatur intra essentiam, quæ nullam intra admittit distinctionem, sed versatur extra essentiam comparando eam cum attributis, & relationibus? & aliunde Latini de scholæ subtilitatibus tunc parum solliciti, Græcos ad unitatem catholicæ fidei perducere satagentes, distinctionem rationis late & generice usurparunt, prout cuicumque distinctioni reali divisionem aut separabilitatem arguenti opponebatur. Idve in quibuslibet Conciliis observarunt majores de controversiis inter Scholasticos non judicantes, uni parti potius quam alteri favendo, nisi ex male intellecta quorumdam opinione aliquid periculi circa fidem posset aliunde oriri. & hinc factum est quod patres in Conciliis recentioribus magis cauti fuerint, exactius loquentes ob versutias & cavillationes Hæreticorum, nonnullis loquendi modis inter Theologos receptis abutentium. at in Concilio Florentino toti fuere patres in statuenda naturæ divinæ unitate, ut semel posita in tribus personis essentiæ identitate, processionem Spiritus Sancti a Filio Græci confiterentur, ad alia quæ ad fidem non pertinebant non attendentes. quod colligitur ex iis quæ circa finem ultimæ illius sessionis habentur his verbis: *Conventus ergo Græcorum in hanc sententiam ivit, Sanctum Spiritum*

ritum ex Patre, Filioque, ut ab uno principio, ac unica substantia, unica spiratione, processioneque procedere per Filium, tamquam consubstantialem, ejusdemque naturæ. Quæ verba distincte indicant, Græcos acceptasse dumtaxat doctrinam relativam ad processionem Spiritus Sancti a Filio, quæ fuit summa dissertationum inter Theologos Concilii Florentini, in quo dogma jam a patribus Constantinopolitanis antiquitus definitum, Græcorum causa rursum perpendebatur. procedente Spiritu Sancto etiam ex Filio sciendum erat, an esset idem principium cum Patre Filius, vel an duplex esset principium. Id concedere reformidabant isti, putantes essentiam dividi si Filius spiraret cum Patre: quem metum ut ab ipsis amoverent Latini, unum solum idemque principium ratione unius in Trinitate essentiæ dicebant; identitati naturæ divinæ ac unitati sic consulentes; quibus Græci confirmati processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio læti tandem susceperunt. Hæc ex historia texere hic opus erat, ne difficultatem, si quædam fuisset, eludere diceremur. legantur litteræ unionis Eugenii Papæ quarti, nulla in eis reperietur mentio de illa distinctione rationis. Nec mirum: erat enim mens Concilii definire processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio simul unitis in ratione essentiæ, tamquam unico principio absque ulla naturæ divisione, non investigando an & quomodo essentia a personis, vel personæ ab essentia distinguerentur, quod Scholasticorum erat inquirere, modo distinctio realis divisionem significans non admitteretur. unum ex illa professione Latinorum in Concilium transiit; apud privatos Doctores mansit alterum, a summo Pontifice nullatenus definitum. gratis ergo per allatas conciliorum definitiones tolli formalem Scotisticam distinctionem, decantare desinant adversarii id indoctis solum aut incautis persuasuri.

3. *Objectio*. Non videtur tuto admittenda distinctio quæ per se multum difficilis intelligi censetur olim proscripta a sacra facultate Parisiensi; quod sic evenisse testatur Gerson illius academiæ quondam cancellarius in epistola ad quemdam ex fratrum minorum familiæ anno] 1426. scripta, hæc habens. *Damnata est nuper per prædecessores meos in sacra facultate Theologiæ sub pluribus articulis doctrina, quam nonnulli solum impune subtilem garriunt, quam ignorantes veluti picæ loquacissimæ stabilire nituntur, cum sit mera insania & vanitas falsa. Unus articulus inter cæteros est, quod aliquid sit Deus realiter quod non sit formaliter Deus*. Quod ibi narrat Gerson evenerat anno 1362. tunc enim inter propositiones nonnullas quas revocari voluit sacra facultas ut fidei dissona reperitur ista: *aliquid est Deus secundum suum esse reale, quod tamen non est Deus secundum suum esse formale*.

Resp. Esto quod res se habeat ut a Gersone narratur, quid exinde legitime contra Scoticam formalem distinctionem concludatur non video. nonnulli fuerint qui distinctione illa minus recte intellecta abutentes, doctrinam Gilberti Porretani olim proscriptam renovarent, quique ex ignorantia, ut fertur, sententiam Doctoris subtilis tenere se existimarent, eosque damnaverit sacra facultas tamquam volentes stabilire meram insaniam, falsamque vanitatem, mirum non est: Gilbertum quosdam sui erroris discipulos habuisse,

buisse, qui ipsius doctrinam renovare conati sint, suumque errorem tegere crediderint, Scotistas, licet immerito, volentes reputari, hinc dumtaxat colligi potest. Scotisticam autem distinctionem a facultate sacra Parisiensi fuisse proscriptam, idque in mente Gersonem habuisse gratis fingitur. 1. Quia nusquam voluere Scotistæ aliquid esse Deum realiter quod non sit Deus formaliter, ita ut aliquod sit in ipso attributum quod non fluat ab illius essentia, vel quod illi insit per modum accidentis, & sine quo possit Deus esse. proprietates tam absolutas quam relativas, quæ divinæ essentiæ realiter identificantur, non esse de primario & quidditativo conceptu Deitatis, ita ut aseitas non dicat formalem respectum ad illas, illæque possint considerari veluti diversæ formalitates juxta quas Deus potest dici Justus, Sapiens, Misericors, Trinus, & inter illas formalitates secum collatas, & comparate ad essentiam, quamdam a parte rei dari distinctionem citra nostram intelligentiam, & independenter a quacumque mentis operatione, id cum Doctore suo tenent & defendunt Scotistæ; idque merito, ut abunde satis ex dictis constat. quod autem ab ipsis hic defenditur quam sit a Gersonis narratione alienum nemo non videt, nullumque in ea est vestigium in proscriptione relati articuli, facultatem Parisiensem de Scotistarum opinione cogitasse. Fabulationes narrare etiam illius venerandæ ac celeberrimæ academiæ Magistros recentiores, dum talia proferunt absque graviori fundamento, dicere liceat, præsertim cum illis adversentur quam plures e suis non ultimi.

2. Qui fieri posset quod in articulis damnatis, & propositionibus, jubente facultate, revocatis, proscripta fuisset ex mente ipsius facultatis opinio Scotistarum de formali distinctione inter essentiam & attributa quæcumque, & inter attributa absoluta secum collata, & nihilominus suam sententiam illi non mutaverint, nec ab illa tuenda usquam cessaverint coram eadem sacra facultate, qui ex minorum familia magisterii gradum in academia Parisiensi a Scoti temporibus usque in præsentem diem consecuti sunt, imo eamdem sententiam in eadem academia amplexi fuerint nonnulli magistri ad Franciscanam familiam non pertinentes? si ut fert objectio, forte ex interpolata Gersonis narratione, Scotistica distinctio male adeo audiisset inter magistros Parisienses qui Gersonem præcesserant, ut hæc proscripta reputaretur, quare nusquam decretum tulit sacra facultas prohibens Doctoris subtilis discipulis eamdem distinctionem defendere, saltem donec mentem suam circa illam clarius aperirent, & periculi quod emergebat ex distinctione formali male sonanti in opinione eorum qui scandalum ex ea sumpserant tota tolleretur suspicio? Et quare ipse relatus academiæ Parisiensis cancellarius, quem volunt huic Scotistarum sententiæ adeo infensum, ut testantur verba ex ipso relata, si vere ipsius sunt, non repetiit a sacra facultate, ut suum decretum, si quoddam extabat, quodque certissime, ut dictum est, non fuerat executioni mandatum, renovaret, & pro viribus juxta statuta in pervicaces sæviret? id tamen factum non narratur a Gersone, qui Nominalium sectæ plus æquo adhærens, ut neminem latet, a Scotistarum partibus pro formali distinctione stare non poterat. Noverint ergo pugnantia se loqui ex commen-

titio

titio hoc Gersonis textu, qui in nos valide existimant argumentari, illosque nec veri speciem servasse qui fabulam illam primi narravere advertant. & miror quod a quibusdam ejusdem academiæ magistris doctrina claris tantum auctoritatis huic fabulæ tribuatur.

3. Esto adhuc quod Gerson & nonnulli magistri Parisienses opinati fuissent revocationem de qua loquitur, quarumdam propositionum, aliquo modo impetere distinctionem formalem, quod gratis fingi jam ostendimus, & ut omni carens fundamento absolute negamus, non inde valeret illatio, nempe tuto non posse defendi Scotistarum sententiam! tum quia Gerson etsi aliunde magna clarus doctrina, ipsique adhærentes alii magistri quos commemorat, distinctionem nostram, saltem eo sensu quo illam defendimus, non intelligebant: quod temere de viris illis clarissimis non dixerim; istiusmodi enim judicii ansas dedit ipse Gerson, existimans divinæ simplicitati adversari formalem a parte rei distinctionem, eamque in divinis importare divisionem: unde lectione 2. contra vanam curiositatem sic loquebatur. *Fides saluberrima, & omnis Metaphysica tradit nobis quod Deus est simplicissimus in supremo simplicitatis gradu supra quam imaginari possumus. Hoc dato quid opus est ipsam unitissimam essentiam per formas metaphysicales . . . . secernere, dividere &c.* Hinc peroptabat de hujusmodi quæstionibus parce agi. *Utinam*, inquit, *juxta monitionem facultatis nuper factam, parcius ista materia & similes pro hac vel illa discuterentur parte*. Falsum autem est ex jam dictis Scoticam distinctionem inducere in Deo compositionem; cum illa simplicissimus remanet Deus, actusque, ut dicunt purissimus: proinde licet sinistre de distinctione nostra non satis perspecta nonnulli cogitassent, quod illi vale dicamus non sequitur, præsertim cum hæc non nisi ex falso supposito improbata fuisset; tum quia decretum horum magistrorum, dato quod latum fuerit, de quo parum constat, fuit judicium hominum privatorum, qui in hoc errare potuerunt; & reapse errassent arbitrantes, Scotistas talem distinctionem admittentes Gilberto consentire, a quo totaliter distant, vel compositionem admittere in Deo, quam ab ipso omnimode removent. Nihil ergo contra sententiam nostram ex Gersone.

Sed illa distinctio, inquiunt, est per se multum difficilis intelligi; nec dici potest quid sint in Deo illæ formalitates, an sint realitates, pluresque habeant naturas & existentias, quodnamve sit illarum formalitatum subjectum, quæ nihil aliud esse possunt quam accidentia, quæ dari in Deo repugnat; satius ergo esset ab illa abstinere sententia plurimis tricis undequaque implicata.

Resp. In adversarios facile retorqueri posset istud argumentum: inintelligibilis est distinctio virtualis, & hoc nomine comprehenditur etiam distinctio rationis ratiocinatæ, quæ habeat fundamentum in re, ergo non est admittenda. Quid enim implicatius & inintelligibilius quam distinctio qua, res licet una sit ac simplicissima Entitas per se ac formaliter, pluribus tamen realiter distinctis æquivalet, legitimumque præbet ad diversos efformandos conceptus fundamentum? Hinc divina attributa quæ unum reipsa sunt, plura tamen

men

men conceptibiliter sunt, ut dicunt; ideoque Deus qui est illa una res formaliter, est tamen multiplici ratione perceptibilis, non ex solo nostro intelligendi modo, sed ex propria sua natura, idve non confuse aut permixte, sed cognitione clara adeo & distincta, ut etiam ex parte objecti una Dei perfectio non involvatur in alia. quomodo consistere queat in una eademque re penitus indistincta multiplex illa dilucida & expressa cognoscibilitas, dicant Thomistæ si possunt. Nonne sicut ejusdem entitatis indivisibilis una est simplex veritas, ita non erit una ex parte objecti simplex cognoscibilitas? & quid sibi velint dum dicunt attributa divina per mentem nostram solum distingui, sed hujus distinctionis rationi nostræ dari intrinsecum fundamentum, infinitam videlicet Dei perfectionem, quæ pluribus æquivalet realiter distinctis, ipsi aperiant. verum cum retorquere argumentum non sit difficultatem solvere, quam facile a volentibus intelligere intelligi possit formalis Scotica distinctio ostendamus.

Esse in Deo quamplures perfectiones ab ipso inseparabiles, vel quibus nullo modo spoliari potest aut carere, idque independenter a quacumque mentis operatione, nemo negabit. unamquamque ex illis perfectionibus sigillatim posse considerari, nulla habita ratione ad alias, nisi in quantum unaquæque est a Deo inseparabilis, quis diffiteretur? quamlibet ex iis perfectionibus proprium & peculiarem habere conceptum ratione cujus mens nostra uniuscujusque illarum sibi possit divisim efformare ideam, ita ut idea unius non sit in sensu formali idea alterius, quis iret inficias? alioquin falsum esset quod supponitur verum, nempe unamquamque harum perfectionum posse sigillatim considerari absque ullo respectu ad alias; quæ si separatim nequirent considerari, possent omnes promiscue sumi, atque adeo ut quæ operatur Deus per unam ex suis perfectionibus, illa operaretur formaliter per aliam suam perfectionem, etsi effectus, vel si dici potest, terminus unius perfectionis esset formaliter contradictorius & oppositus termino alterius perfectionis; proindeque vindicta, quam sumit ex justitia Deus de peccatoribus, esset formaliter quid idem cum misericordia, qua pænitentibus parcit, aut justos remunerat ex magnificentia, sicque punire ex misericordia, & parcere ex justitia diceretur Deus, quod rectæ rationi adversatur. Nec potest dici diversitatem idearum ac conceptuum esse solummodo ex nostro intelligendi modo. illi enim conceptus ut veri sint, illæque ideæ debent esse conformes objecto, illud ut est in se, vel ut vere apparet menti repræsentare, non vero illud constituere aut affingere. Nam si ideæ objectum constituerent ac fingerent, & non illud vere repræsentarent sicut menti exhibetur, veritas idearum ac conceptuum penderet a causa extrinseca & mere accidentali, sicque objectum nihil haberet realitatis præter illud quod haberet ex nostro intelligendi modo, quod quam fictitium sit nemo non videt. ideæ igitur nostræ, nostrique conceptus supponunt in objecto illud quod nobis ex eo repræsentant, alioquin esset merum ens rationis? idque fateri coguntur Thomistæ dum volunt esse in re vel objecto fundamentum distinctionis, quod fundamentum non fingitur in re a mente nostra, sed in ipsa est independenter ab intellectu

ctu rem concipiente ut in se distinctam. Sicque verum esse debet ideam unius perfectionis non esse in sensu formali ideam perfectionis alterius, propriumque independenter a mente nostra quamcumque perfectionem habere conceptum, unde uniuscujusque divisim perfectionis efformari possit idea: quapropter non dicetur justitiam & misericordiam non esse formaliter unicum in se attributum, quia illud sic videtur menti nostræ, sed potius ideo a mente nostra haberi ut duo attributa inter se distincta, quia vere & a parte rei non sunt unicum attributum, sed duo ejusdem Dei formaliter, independenter a mentis nostræ ea dividentis operatione, distincta inter se attributa. His ita, ut arbitror, non obscure expositis, breviter dicamus, distinctionem formalem juxta Doctoris subtilis principia, eam esse quæ reperitur, etiam non de ea cogitante intellectu, inter perfectiones, vel proprietates, vel attributa, vel formalitates inseparabiles a subjecto cui insunt, cuique realiter identificantur, quarum tamen una non est altera, nec idea unius potest formaliter esse idea alterius, quodque de una ex illis perfectionibus prædicatur secundum ejus esse formale, non potest prædicari ullo modo de altera secundum esse formale illius: verbi gratia intellectus & voluntas in Deo sunt duæ facultates distinctæ formaliter & ex natura rei: independenter a qualibet mentis nostræ præcisione facultas qua Deus intelligit, non est formaliter facultas per quam vult & amat, & si utraque illa facultas divinæ essentiæ realiter identificetur, ut sæpius dictum est. Sic bonitas & sapientia, misericordia & providentia, justitia & veritas, non sunt una & eadem perfectio; etiam non cogitante quoquam de illis an sint multiplex perfectio vel non, hæ sunt realiter variæ perfectiones ac proprietates, quæ realiter inter se identificantur, pro ut sunt divinæ ac infinitatem participant, sed non identificantur formaliter, quia duæ formæ vel proprietates quantumvis identificatæ realiter, & ab invicem inseparabiles, nequeunt identificari formaliter, tunc enim, ut satis jam exposuimus, non essent duæ proprietates, sed una simpliciter proprietas, nullaque attributa divina inter & essentiam daretur alia distinctio quam nomine tenus, ut contendebant Nominales, quod ut a veritate alienum ab omnibus rejicitur. in distinctione nostra formali juxta sensum mox expositum qui solus verus est, intelligenda quid difficultatis adeo occurrat non invenio, multo difficilior intellectu ex omni parte mihi videtur contraria opinio.

Nec difficilius intelligetur quid sint illæ formalitates inter quas nostram admittimus distinctionem. ut primum intelligitur quid sit perfectio, cujus nomine intelligitur id quo posito in aliqua re res illa censetur melior, & quo detracto res censetur pejor, eodem tempore intelligitur quid sint illæ formalitates, seu proprietates, aut attributa, quibus ditatus Deus ex se ipso, perfectior certe est quam si illis ex impossibili careret. has autem perfectiones ac proprietates vocamus formalitates, eodem sensu quo sæpius a Sanctis Patribus attributa divina dicuntur formæ quæ in substantia Dei sunt. Ea realitates pariter appellamus, in quantum Deo realiter & a parte rei insunt ante omnem operationem mentis, ut justitia, sapientia, veritas, ipsi vere ac

realiter inexistunt: non vero ut putentur illa attributa inter se realiter distincta, vel ab essentia, ut tres personæ, quæ sunt inter se realiter distinctæ licet inseparabiles. Habeant ne illa attributa, illæve perfectiones ac formalitates plures naturas, plures existentias; sumpta natura pro conceptu objectivo ac notione quidditativa, affirmative cuilibet attributo sua tribuitur natura propria, ratione cujus est tale vel tale attributum. Sumpta natura pro substantia & entitate reali, alia ab ente cujus sunt attributa, negative respondetur. Neque enim, ut quibusdam deliramenta loquentibus placet asserere, Scotistæ juxta numerum idearum entia student ampliare, ita ut ubi unum dumtaxat ens numerice reperitur plura illi cudant. unde non intelligentes desipiunt, qui Deum ens in se simplicissimum, ex entibus propemodum infinitis in Scotistarum sententia coalescere fabulantur, quasi vellent divina attributa esse veluti tot entia existentiam propriam habentia, distinctam ab existentia Dei cujus sunt attributa; quam ineptiam ex formali distinctione, non versute minus quam ridicule inferunt nonnulli, qui excellentiori ingenio ditati, inter eruditos rem alte parum nonnumquam rimantes, haberi volunt. Quæcumque igitur divina attributa habent suam existentiam in suo genere attributi, non ut partes habent existentiam respectu totius quod constituunt, sed ut perfectiones alicujus subjecti in quo sunt, illud tamen nullo modo compositum efficientes: nec magis absurdum est multas admittere existentias & naturas, attributi nimirum & proprietatis in eadem indivisa entitate, quam multa attributa, multasque perfectiones vel proprietates. quodnam vero sit illarum formalitatum subjectum satis intelligitur: Deum dici omnium suorum attributorum, cunctarumque perfectionum ab ipsius essentia necessario pullulantium subjectum, quid repugnat? non possunt tamen illa attributa, illæve formalitates reputari accidentia, cum in Deo nihil detur per modum accidentis: sunt hæc attributa tot perfectiones ipsi essentiales, nulla illarum carere potest: de natura divinitatis est quod omnes perfectiones simpliciter simplices, nec non alias quæ nihil in se habent imperfecti, formaliter contineat: tollatur a Deo una ex ipsis, jam non erit Deus: ipsi cunctæ proprietates realiter identificantur? hæ collective sumptæ, sunt ipsemet Deus: si vero distributive accipiantur, earum quælibet sigillatim sumpta recte dicitur in Deo esse velut in subjecto. unde Sancti Patres, Theologique omnes vulgo dicunt, quod in Deo est fortitudo, est justitia, est sapientia; quæ enunciationes si accuratæ non essent, Deus non posset vocari fortis, justus, sapiens. imperfectionem in Deo redoleret si proprietates quibus necessario donatur, in eo essent per modum accidentis, id solis rebus creatis competere potest, quæ ex natura sua natæ sunt substare accidentibus. tollatur quidquid est imperfectionis, sed res ipsa retineatur. ille qui est omnis entis origo, fons & plenitudo, quidquid est aut habet, illud essentialiter ac necessario est & habet. Desinant ergo adversarii distinctionem Scoticam formalem hujuscemodi momentis impetere, eamque esse intellectu facilem agnoscant; nec formalitatibus illis de quibus loquimur, exinde turbentur aut torqueantur.

4. Obje-

4. *Objectio*. Innumeris fere Sanctorum Patrum testimoniis impugnatur formalis hæc distinctio. quidam enim ex ipsis, ut Patres Græci, dicunt attributa divina solum cogitatione seu mente distingui; quidam, præcipue inter Latinos, docent omnia in Deo esse unum quid & idem, unde Augustinus passim dicit quod non aliud est Deo esse, aliud magnum esse, sed hoc idem est illi esse, quod magnum esse; quod sentit dicendum pariter de bonitate, de æternitate, de omnipotentia ejus, omnibusque prædicamentis quæ de illo possunt pronunciari. Secundum quod Sapientia est & essentia. Non aliud est Deo esse, & aliud personam esse, sed omnino idem. quidam dicunt quæcumque sunt in Deo, esse ipsum Deum: quare contra Gilbertum argumentans directe Bernardus Serm. 80. in cantica illi objiciebat, si divinitas, si magnitudo, si sapientia, si justitia, si bonitas non sunt ipsemet Deus, quid ergo erunt, si aliquid sunt? si enim illud quod est in Deo, & aliquid est, non est Deus, certe erit vel minus Deo, vel majus, aut par. Id autem neutrum dici potest; sint ergo ipse Deus justitia, bonitas, &c. necessum est. satis est ad amandandam a Deo formalem distinctionem quæ sit a parte rei, oppositio illa quam habere videtur cum doctrina Sanctorum Patrum.

Resp. Ab adversariis tanta cum fiducia nobis opponi circa controversiam præsentem Sanctos ecclesiæ Patres quis non miraretur? Numquid & ipsi non vident non minus sibi ipsis quam nobis esse contrarios Sanctos illos Doctores, si vere in cunctis quæ loquuntur contra nos militarent? neque enim magis distinctioni virtuali aut rationis faventes censeri possunt quam formali nostræ; cum absque limitatione quacumque loquantur, cunctamque distinctionem in divinis, saltem ut plurimum, removere videantur. Nec mirum. Hæreticos qui de Divinitate minus recte sentiebant, quique sub specie distinctionis divisionem ac multiplicitatem, seu compositionem in Deo admittebant, insectabantur Sancti Patres; quapropter cum aliam non agnoscerent distinctionem præter illam quam dicimus realem majorem quæ separabilitatem arguit, & ex adverso solam identitatem realem defenderent, nondum adinvento hoc diverso distinctionis genere, quod lapsu temporis in Scholis usu invaluit, ut Hæreticis viam omnem occluderent, omnimodam identitatem in Deo cuilibet distinctioni oppositam admiserunt, ne dividendi naturam & personam præberetur occasio. non concederent tamen distinctionis virtualis patroni se Sanctis Patribus adversari, nec nos defendentes formalem a parte rei distinctionem concedemus Patres nobis esse contrarios. & ut dicam quod res est, nec nobis, nec adversariis favent aut opponuntur Sancti Doctores, qui de nostris theologicis dissentionibus nequidem cogitaverunt. insuper ad litteram non semper accipienda esse Patrum verba, quæ duriora multoties viderentur quis nescit? Sic verbi gratia Sanctus Joannes Damascenus dum lib. 1. de fide orthodoxa cap. 11. ne a præsenti materia recedamus, sequentia scribit. *Unum idemque omnino sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nisi quod Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus Sanctus processit, quod autem in ea* (essentia videlicet divina & natura) *distinctum est sola cogitatione distinguitur*. Ergone tres Personæ Divinæ licet inseparabiles non erunt

M 2 distin-

distinctæ realiter, solaque cogitatione distinguentur? Nequamquam: ad mentem itaque Patrum semper est attendendum, quodnamve esse potuerit illorum intentum relative ad hæreticos quos impugnabant nobis continuo observandum, ne falsa pro veris habeamus. quandoque Eunomianos, seu Anomæos omni distinctione rejecta, Filium Dei negantes Deum esse, quandoque Noetum, ac deinde Sabellianos in Deo unicam personam, triplici tamen appellatione, delirantes, insectati sunt Patres: tunc distinctionem veram in divinis admittendam fortiter ostenderunt; sicuti ex opposito cum impugnaverunt, ut dictum est, quosdam ex ea distinctione, quæ tam inter personas ad invicem, quam illa quæ inter attributa ad se vel ad essentiam comparata, quoquo vocetur nomine, abutentes contra Dei simplicitatem, omnem quasi distinctionem e medio sustulerunt, ut in præsenti controversia cum Gilberto, de quo mox inquiremus, se gessit Bernardus, cujus argumentatio alicujus ponderis contra errorem illius Episcopi, nihil urget contra Scoticam distinctionem, ab illa quam admittebat Gilbertus penitus discrepantem, quidquid in contrarium dicant Tournely, aliique nonnulli ante ipsum, qui; qua ratione ducti nos latet, Gilberti sententiam de distinctione reali multiplicitatem aut compositionem inducenti, mitigare student, ut facilius ad ipsum accessisse Doctorem subtilem, qui eamdem propterea incurrerit cum Gilberto damnationem, valeant ostendere. Sed cassus & irritus eorum labor: eisque consentire nequit, opinionem utriusque plene diversam qui bene intellexerit. Nec major fides hac in parte adhibebitur Petavio, qui etsi doctissimus, valde allucinatus est pronuncians a Gilberti sententia vel nihil, vel parum discrepare Scholasticorum aliquot opinionem, ut Scoti, quod, inquit, creditur. addendum ipsi erat, a male affectis, vel a Doctoris subtilis doctrinam recte minus capientibus. Ut autem finem sermoni faciamus, Patrum testimoniis quæ nobis adversa viderentur, respondendum est cum distinctione: ubi astruunt verbi gratia essentiam & attributa identificari, verum est in sensu reali, falsum est in sensu formali. Si dicatur attributa vel relativa vel absoluta non esse ipsam Dei substantiam vel naturam, id certum est in sensu formali, falsum est in sensu reali. quod si dicant attributa sola cogitatione distingui, id intelligendum in quantum distinctio per mentem opponitur distinctioni reali compositionem aut multiplicitatem indicanti, non vero in quantum hæc distinctio nihil supponeret a parte rei distinctum in subjecto ante quamlibet mentis operationem. uno verbo a qualibet difficultate se expediunt Scotistæ per distinctionem formalem, a qua se expedire putant Thomistæ & alii per distinctionem virtualem & rationis ratiocinatæ seu cum fundamento. Hanc respective duplicem distinctionem tamquam gladium ex utraque parte acutum, ut ait Macedo, adhibeat sive Scotista sive Thomista, & objecta, quæcumque ea sint, truncabit.

5. *Objectio*. Data prædicta formali distinctione attributa divina & essentia non sese realiter includunt, nec de se in abstracto identice prædicantur. Dici autem non potest attributa & essentiam non se realiter includere, aut non prædicari de se in abstracto: verum enim est dicere, Deus est sapientia, boni-

bonitas est Deus, sicut de se ipso dicit Christus apud Joannem, ego sum via, veritas, & vita. justitia est misericordia, Divinitas est pater, Deus est paternitas. unde Augustinus dicit de Deo, quod sua ipse est Sapientia, quia non aliud est Sapientia ejus, aliud essentia: & quod justitia in illo est ipsa bonitas; quæ omnia nequeunt esse vera in sensu formalis distinctionis, quare saltem ex hac parte non potest ullatenus defendi.

Resp. Objectionem illam quæ in se sumpta multum habet falsi, aliquid licet habeat veri, solverat jam Doctor subtilis in 1. dist. 8. quæ. 4. respondens sibi objectis his verbis Augustini ex lib. 15. de Trin. cap. 5. *Bonitas atque justitia numquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tamquam duæ diversæ sint qualitates Dei, una bonitas, alia justitia? Non utique: sed quæ justitia ipsa bonitas.* " Respondeo, inquit Scotus, quod in creaturis „ non est aliqua vera prædicatio in abstracto per identitatem, quæ non sit „ formalis... in divinis autem est vera prædicatio per identitatem in ab„ stracto, & tamen non est somalis. Ratio hujus differentiæ est ista, ut „ puto, quia concipiendo abstractum ultima abstractione, concipitur quiddi„ tas absque habitudine ad quodcumque, quod est extra rationem quiddita„ tis propriam. sic igitur concipiendo extrema „ (ut sunt in propositione justitia & bonitas, in qua unum abstractum prædicatur de alio) " nulla erit „ veritas uniendo ea, nisi præcise quidditas unius extremi sit eadem quid„ ditas alterius extremi. Hoc autem non contingit in creaturis, quia ibi „ abstrahendo illas realitates neutra est perfecte eadem alteri... Oppositum „ est in Deo, quia abstrahendo sapientiam a quocumque, quod est extra ra„ tionem Sapientiæ, & bonitatem similiter abstrahendo a quocumque, quod „ est extra ejus rationem formaliter, remanet utraque quidditas præcise sum„ pta formaliter infinita: & ex quo infinitas est ratio identitatis eorum, „ facta tali abstractione præcisissima, remanet ratio identitatis extremorum. „ Non enim hæc erant eadem præcise propter identitatem eorum ad tertium „ a quo abstrahuntur, sed propter infinitatem formalem utriusque „ ex quibus Scoti verbis intelligitur quare attributa de se non prædicentur in abstracto nisi identice non verò formaliter, nec attributa & essentia divina quæ realiter identificantur, sese includant formaliter, cum in Concreto de se prædicentur & se includant formaliter. unde recte dicitur Deus est sapientia, Deus est misericordia, & e converso: non eodem sensu, nec eodem modo diceretur justitia est misericordia, bonitas est sapientia, vel e converso; quæ attributa inter se, & cum essentia realiter identificantur, etsi formaliter distinguantur, ut plusquam satis jam dictum est. unde Augustinus in eodem loco attributa dicit qualitates, quas distinguit a substantia Dei seu essentia; illaque prædicat de Deo in concreto quidem, sed declarans ea esse quasi extra essentiam: licet affirmet nihil esse in Deo per modum qualitatis, sicut in creaturis multas habentibus qualitates, quarum maxima pars est ipsis accidentalis; quidquid vero est in Deo, est ipsi essentiale, nec ab eo excludi potest vel separari, licet ipsius non omne constituat essentiam. falsum igitur est quod fert objectio, quæ proposita sunt, non esse vera in sen-

su

su formalis distinctionis; & facile intelliguntur, si ad identitatem realem, & ad identitatem formalem, quæ certe eadem non est, attendatur, & nobiscum sentire coguntur etiam qui nostram distinctionem formalem acrius impugnant pro virtuali certantes. etenim de modo quo essentia divina de attributis, & attributa tum de se invicem, tum de essentia possunt prædicari differens Tournely tenet, ea de se invicem prædicari, sive in concreto, sive in abstracto in sensu reali identico & formali implicito; unde veræ sunt istæ propositiones, Deus est bonus; Deus est bonitas; Divinitas est bonitas; bonitas est justitia: non tamen prædicari in sensu virtuali aut formali explicito; unde dici nequit, intellectus est voluntas; voluntas intelligit; intellectus vult; misericordia punit: quia in sensu virtuali & formali explicito distinguntur attributa a se invicem & ab essentia, atque alia est notio essentiæ, alia attributorum ab essentia diffluentium; alia misericordiæ, alia justitiæ explicita definitio. Nonne idem est ac si diceret cum Scotistis, essentiam & attributa esse quid unum identice realiter, & non esse quid unum formaliter realiter seu a parte rei? quid enim aliud intelligere potest per suum virtuale formale explicitum, quam id quod nos dicimus formaliter, & per identicum formale implicitum, quam nostrum realiter & identice? si aliud intelligat, aperiat ipse quid sibi velit formale implicitum, & formale explicitum, quod repetit ex diversis notionibus, diversisque definitionibus. & aliunde nemo umquam ostendet quomodo duæ perfectiones vel duo attributa, quæ diversas habent notiones ac definitiones explicitas, identificentur formaliter, quod possibile non est, quia tunc essent duæ, & simul non essent duæ. neque etiam mens nostra, quæ duo realiter identificata potest cogitatione sejungere, potest duo formaliter & explicite distincta, cogitatione formaliter identificare, quia tunc hæc formalis identitas non esset nisi ens rationis cujuslibet fundamenti incapax. Laboret intellectus humanus, omnes suas profundat vires, nusquam eo deveniet ut sibi serio fingat, quacumque data præcisione, duo attributa quæ vere ac realiter sunt duo attributa, esse unum dumtaxat attributum formaliter.

6. *Objectio*. Non potest admitti distinctio ante mentis operationem inter essentiam divinam & attributa quin ipsa attributa habeant rationem formæ respectu essentiæ; tunc enim illa formaliter hæc denominabunt: si quidem ex justitia Deus denominatur justus, ex sapientia sapiens, quemadmodum ex paternitate denominatur Pater. non possunt autem attributa habere rationem formæ respective ad Deum, quælibet enim forma quæ est ad aliquid, imperfectionem dicit in illo. verum quis ferret imperfectionis vel umbram in Deo supponere? Nec pariter ferendum quamdam admitti formalem a parte rei distinctionem.

Resp. Cum Scoto ibidem præsentem diluemus objectionem " forma, inquit, in creaturis in quantum eas informat, estque pars compositi, habet " in illis aliquid imperfectionis: habet etiam aliquid quod non est imper" fectionis, sed consequitur eam secundum suam rationem essentialem sive " formalem, scilicet quod ipsa sit quo aliquid sit tale. Exemplum: Sa-

" pien-

„ pientia in nobis est accidens illud est imperfectionis, sed quod ipsa sit per „ quam aliquis est sapiens, id non est imperfectionis, sed essentialis ratio- „ nis Sapientiæ. in divinis autem nihil est forma secundum duplicem il- „ lam imperfectionis rationem, quia nec informans, nec pars; est tamen „ ibi sapientia in quantum est sapiens illud in quo ipsa est, & hoc non „ per aliquam compositionem sapientiæ ad aliquid quasi subjectum, nec „ quod sapientia illa sit pars alicujus compositi, sed per veram identitatem „ qua sapientia propter sui infinitatem perfectam, perfecte est idem cuili- „ bet cum quo nata est esse. " Divina igitur attributa Deum denominantia vel justum, vel sapientem, vel bonum, cum non se habeant ad ipsum, ut informantia ipsum, sed ut constituentia, essentialiter adeo, ut dum illum talem denominant, non possint ipsi non inesse, quia hæc necessario ex ejus essentia prodeunt eadem cum infinitate quam habet ipsa essentia, etsi respectu Dei possint aliquo sensu habere rationem formæ, nullam dicunt in eo imperfectionem, quia sunt identice quid unum cum Deo cujus sunt perfectiones, non ut quid accidentale, sed ut quid necessarium & ab ipso inseparabile. Hinc tota evanescit difficultas. quod si opponeretur, quomodo Deus sapientia formaliter sit sapiens, si hæc non est vere ejus forma, jam solutum intelligitur. etenim ut per sapientiam Deo essentialem, ipsique vere identificatam Deus sapiens formaliter denominetur & sit, non requiritur quod Deus ab illa informetur; sicut corpus hominis informatur per animam, quæ est ejus forma ex qua dicitur animatum, & homini inest ut pars ipsum componens cum corpore quod ab ea informatur, anima tamen ex qua homo denominatur animatus formaliter, non est proprie forma hominis, sed est pars illius cum materia seu corpore cujus est forma, quæ est de essentia physica hominis, qui est unum quid compositum ex anima & corpore. & si anima hominem denominans animatum diceretur forma informans hominem, tunc anima esset forma sui ipsius, cum ea simul cum corpore constituat hominem. repugnat autem aliquid a se ipso informari, cum forma informans dicat respectum ad aliud, scilicet ad illud quod informat. quod cum de Deo dici nequeat, Deus vere per sapientiam sapiens formaliter denominabitur, licet sapientia quæ ipsi essentialiter inest ipsum non informat, sed quasi per modum perficientis in ipso se habeat: & hæc omnia non minus vera sunt admissa distinctione rationis ac virtuali, quam in sistemate distinctionis formalis.

Ad id vero quod additur in objectione quemadmodum Deus ex paternitate denominatur Pater, advertendum multum esse discriminis. licet enim ex sapientia formaliter Sapiens dicatur Deus, ex bonitate Bonus, ex paternitate, Pater, non tamen eodem modo utrumque de illo prædicatur, ut observat eodem loco Doctor subtilis in hæc Augustini verba quæ sibi opponit: Non eo Pater quo Deus, sicut nec eo Verbum quo Sapientia, sed eo magnus, eo justus, eo bonus quo Deus. dupliciter, inquit, vel tripliciter eo magnus, sapiens, bonus quo Deus, & tamen non sic eodem modo est Deus & Pater. Uno modo ex eo quod sapientia & magnitudo sunt perfectiones ejus-

„ & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus considerans „ A & considerans B, habet ex natura rei unde ista compositio sit vera, „ A non est formaliter B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A & B .... ista autem distinctio, sive non formalis identitas, quæ „ probata est prius per duas vel tres rationes potest etiam probari per duas „ vel tres authoritates Augustini ... intelligit ergo Augustinus, quod sicut „ Pater non eo quo est Pater, est Sapientia & Essentia, ita non eodem est „ Pater & Deus ... est igitur secundum ipsum talis non identitas relationis „ ad absolutum in divinis. " His omnibus probat Scotus dari talem ex natura rei distinctionem, quam ipse ad tollendam quamlibet æquivocationem, vocat non identitatem formalem, & quæ jam communiter vocatur in Scholis distinctio formalis, ab omni intellectus operatione prorsus independens. & his non sunt dissimilia quæ habet in quæstionibus quod libetalibus, quæst. 5. sic loquens, contra affirmantes Spirationem & Paternitatem solum per rationem differre, quasi id sufficeret ut una de altera non prædicetur? " aliter „ dicit alius, & rationabilius ut videtur, & ad propositum, quod proprietates in eadem persona differunt ex natura rei præter considerationem intel„ lectus quia ad hoc sufficit disparatio, licet non sint oppositæ, & propter „ hoc prædicatio unius de alia in abstracto non est vera. " ubique, ut videtur; distinctionem veram ante quamcumque mentis operationem defendit constanter Scotus, & adeò, ut mirum sit quod alicui ipsum legenti & expendenti dubius & incertus esse potuerit. Si quoddam nihilominus remaneret dubium, legatur quæstio quarta dist. 8. lib.1. in qua investigat utrum detur in Deo distinctio perfectionum essentialium aliquo modo præcedens omnem actum intellectus; & quæstioni propositæ respondens dicit, quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, sed ibi est distinctio præcedens intellectum omnimodo. ostenditque hanc non identitatem formalem perfectionum stare cum simplicitate Dei, & ex illa nullam poni compositionem in persona. similiter istam distinctionem formalem ponit inter duas proprietates in patre, innascibilitatem scilicet & paternitatem, quæ secundum Augustinum 5. de Trinit. cap. 6. non sunt eadem proprietas, quia non est eo Pater, quo ingenitus.

Desinat ergo Suarez, desinant & alii ipsius fortasse authoritate decepti, anxium circa distinctionem formalem dicere Scotum, qui ipsius author illam constanter tenuit, varia licet interdum denominatione. Nec putent verba illius ad meliorem trahi sensum, dum contrariam sententiam illi affingunt, a qua fuisse illum omnimode alienum, & si ejus scripta tacerent, innumeri ipsius discipuli testantur. gratis igitur & incassum desudat ab hac opinione Scotum liberare desiderans Vasquez, cui per ejusdem scholam numquam licebit. adversus formalem Scoticam distinctionem, & adversus eos qui illam optime capientes, in explicandis quampluribus fidei nostræ capitibus eam absolute necessariam prædicant, insulse vociferentur, quibus moris est ea quæ non intelligunt cavillari, parvi refert. Donec argumenta quæ

eam

est præcisio objectiva, sed formalis, inquit, Contensonius, ita ut unum attributum importetur in conceptu alterius, non explicite quidem, sed implicite. Hinc duplicem distinctionem virtualem illam admittit Tournely, perfectam unam, imperfectam alteram. illa vocatur perfecta, qua unum ab altero sibi identificato ita perfecte præscinditur, ut ne implicite quidem ac confuse in eo contineri & includi intelligatur. ea est imperfecta, qua unum ab altero sibi identificato præscindi omnino non potest, sed implicite saltem in eo contineri ac includi concipitur. Virtualem perfectam distinctionem admittere satis superfluum videbatur, cum hæc in quocunque casu in Thomistarum principiis locum habere nequeat, recteque satis illam esse, quam Scotistæ formalem a parte rei vocant censeri possit, cum hæc reperiatur inter sibi identificata, quorum tamen sunt conceptus diversi, ita ut conceptus unius non possit nec implicite ac confuse esse conceptus alterius, idque vere significat præcisio illa perfecta. Quidquid de hac divisione judicetur, distinctionis virtualis insufficientiam ostendamus.

Veram esse inter attributa & essentiam admittendam distinctionem nullus est inter Theologos qui non consentiat. inter ea quamdam esse fingendam distinctionem, non dicunt, sed vere aliquam inter illa reperiri distinctionem, sive illa sit ante mentis operationem, ut placet Scotistis, sive illa sit per mentem ac rationem, ut Thomistis videtur: de modo seu specie distinctionis inter utrosque controvertitur, de veritate distinctionis nemine disceptante. Unde propositæ sic quæstioni, distinguuntur ne essentia ab attributis, & attributa ab invicem? Respondent Scotistæ, distinguuntur formaliter ex natura rei; respondent Thomistæ, virtualiter distinguuntur, seu distinctione rationis ratiocinatæ: quo posito sic resumo: sed distinctio virtualis ac rationis ratiocinatæ non est vera distinctio, ergo hæc distinctio est insufficiens. Resumptum, ex quo pendet tota vis argumenti, sic demonstro: quod est dumtaxat fundamentum distinctionis præbens menti nostræ occasionem considerandi ut inter se distincta ea, quæ nedum realiter, sed etiam formaliter identificantur, ita ut ante mentis operationem illa minime distinguantur, non est vera distinctio. talis autem est in principiis Thomistarum virtualis illa distinctio. opponatur enim ipsis virtualem hanc distinctionem, quam concedunt inter varia Divinitatis attributa, officere simplicitati Dei, cum in ipso multa admittat quæ actu distinguntur, simplicitatemque multiplicitas quælibet tollat, statim, quasi illos pœniteret admisisse eam distinctionem quam optime norunt se non posse non admittere, respondent ex ea non resultare compositionem in Deo, ut pote cum hæc distinctio virtualis non sit vera distinctio, sed solummodo fundamentum distinctionis. & revera: distinctio generice loquendo est negatio identitatis: at juxta ipsos inter attributa & essentiam divinam reperitur vera identitas nedum realis, sed etiam formalis, talisque identitas, ut concipi nequeat essentia divina, quin attributa implicite contineantur & includantur in illo conceptu, pariterque idea unius attributi implicite contineat ideam aliorum attributorum; idque absolute & necessario, quamvis aliunde repugnet ideam formalem unius perfectionis ordinem dicere ad

N ali-

aliquid aliud, licet a subjecto illud aliud separari nequeat, sicuti & illa perfectio, ob realem identitatem quam habent cum subjecto & inter se. igitur cum virtualis distinctio non sit vera distinctio, insufficiens ex hac parte consentientibus Thomistis ostenditur.

Verum est Thomistas talia statuentes contradictoria loqui: tunc enim est distinctio & non est distinctio. est distinctio ex supposito, quia volunt attributa tum inter se, tum ab essentia distingui virtualiter: non est distinctio, quia est ex ipsis fundamentum distinctionis dumtaxat. Sed si quæratur ab ipsis, fundamentum illud est ne ratio quædam intrinseca ipsis attributis, quæ sit independens ab intellectus operatione, vel ratio solum extrinseca attributis, quæ sit ipsa intellectus operatio, tunc in respondendo hærent anxii. Si enim primum admittant, ad Scotistas vario, etsi loquendi modo, realiter accedunt, cum hæc ratio intrinseca attributis quæ non est ab intellectu, sit illud ipsum in quo a parte rei formalis distinctio fundatur. si secundum, repugnat; tunc enim ipsa operatio mentis erit unicum fundamentum sui ipsius, ex eo quod, dato quod fundamentum distinctionis non sit quid intrinsecum ipsis attributis, ut supponitur, nihil supersit ad fundandam distinctionem illam virtualem seu rationis, quam ipsa operatio mentis, cum in hac hipotesi nihil essentiæ divinæ & attributis ad invicem comparatis adveniat extrinsecum præter hanc operationem intellectus distinguentis, vel considerantis ut distincta ea, quæ nedum realiter juxta ipsos, sed etiam formaliter identificantur, quæque ex hac formali identitate, si possibilis foret, fiunt necessario & absolute indistinguibilia. Tunc ve sibi ipsis contrarii Thomistæ si talia admittere cogantur ut verisimile apparet, Angelico Doctori in 1. dist. 22. quæst. unica, art. 3. dicenti ut notat Berti, quod in Deo inveniatur distinctio rationum, quæ realiter & vere in ipso sunt, contrarii pariter videntur.

Nec valet quod reponant, divinas quidem proprietates sola intelligentia ac ratione nostra distingui, sed huic distinctioni inesse intrinsecum fundamentum, infinitam scilicet Dei perfectionem, quæ pluribus realiter distinctis æquivalet. esto quod detur in Deo summa & infinita perfectio pluribus æquipollens, quod non facile intelligitur, si illa summa perfectio aliquid aliud significet, præter congeriem perfectionum diversarum quæ in Deo sunt, quæque omnes & singulæ illius participant infinitatem, unde Deus simpliciter & absolute dicitur ens summe & infinite perfectum: hæc summa perfectio quantumvis æquipollens pluribus, sumpta generice & absolute in se, hoc est nulla facta comparatione ad aliquod attributum singulare & formaliter spectatum, quomodo erit fundamentum distinctionis? id ostendendum incumberet. concipiatur Deus existens sine ullo ordine ad quamdam proprietatem in se formaliter sumptam, tunc nulla interveniente distinctione, unico actu intellectus concipietur ens cunctis ditatum perfectionibus, id enim Dei nomine intelligitur. Si autem Deus consideratus ut existens, concipiatur etiam ut justus, ut misericors, ut sapiens, distinctio quæ erit inter hæc attributa quæ separatim concipiuntur facta præcisione unius ab altero, diceturne fundata in

sum-

summa illa & infinita perfectione pluribus æquipollente, ob quam mens nostra statuet aliquam distinctionem inter ea, quæ, cum sint quid unum formaliter, nusquam poterunt distincta reputari? sed præterquam quod non intelligitur quomodo perfectio illa summa, quæ etsi multis æquipollens, est unum quid simplex nullam in se admittens distinctionem, fieri possit fundamentum distinctionis cujusdam inter attributa divina & essentiam, eadem recurret difficultas quæ supra; illud enim fundamentum erit quid intrinsecum huic summæ perfectioni infinitæ, quæ tunc erit veluti radix vel pelagus quorumcumque attributorum, ipsaque potius Divinitas, & tunc hæc ratio fundans illam distinctionem, præcedet quamlibet mentis operationem, & erit ab illa independens, sicque vincent Scotistæ; vel erit quid extrinsecum, proindeque operatio intellectus fundabitur in seipsa: quod cum sit absurdum, aliud effugium tolerabilius adinvenire videant Thomistæ. quod meo quidem judicio non multum esset difficile, sed eo non adducerentur ut huic assentirentur.

Insufficiens adhuc ostenditur hæc distinctio rationis, ex insufficientia argumenti, quo utitur ad illam explicandam & probandam Vincentius Contenson, in sua multum prædicanda Theologia mentis & cordis, lib. 1. dissert. 3. cap. 1. specul. 2. volens ostendere, hanc distinctionem rationis fundatam in distinctione virtuali, non esse præcisionem objectivam, sed formalem, cujus argumentum parum concludit, & videtur esse ex falso supposito. Postquam ostendisse existimat omnem distinctionem actualem, quæ præcedit operationem mentis, divinæ officere simplicitati, sic procedit ut intentum habeat. Tunc datur præcisio objectiva inter duas formalitates, inquit, quando una perfecte cognoscitur, nullatenus cognita alia: tunc datur præcisio formalis, quando dum cognoscitur una, alia quoque cognoscitur, non explicite sed implicite. concedamus ipsi illam propositionem, quam ponit tamquam principium evidens, quæ tamen non leves pateretur difficultates. non potest autem cognosci unum attributum divinum, quin implicite cognoscantur alia. minorem istam propositionem, per quam indirecte impugnat Scoticam formalem distinctionem, & in qua ejus argumenti cardo vertitur, sic probare conatur. Quodlibet attributum, ait, si concipiatur ut divinum, non potest non concipi ut actus purus, ut ens a se, & infinitum, & quocumque alio pacto cognoscatur, non cognoscitur ut divinum. atqui de ratione actus puri est quod non sit perfectibilis per ullum aliud ad quod sit in potentia, sed debet concipi ut numeris omnibus perfectus, licet tota perfectio non explicetur; de ratione entis a se & infiniti est ita importare omnem perfectionem entis, ut nihil possit ei addi. ergo non potest cognosci unum attributum divinum, nisi aliis implicite cognitis. quid quæso probat illud argumentum? ipsi ostendendum erat Deum non concipi ut actum purum, ut ens a se, & infinitum si unum attributum ipsius cognosceretur, aliis implicite non cognitis; tunc e prima propositione, hac secunda procedente, quæ probari non poterat nisi ex falso supposito subsequentis argumenti, quamdam veritatis speciem induisset illius ratiocinium: Hoc, pace venerandi istius

N 2 Docto-

Doctoris, advertere liceat. ex duplici capite deficere videtur illud argumentum, quod aliunde peccat defectu formæ cum in præmissis conclusio nullo modo includatur.

1. Recte minus dictum est attributum divinum non posse concipi ut actum purum, ut ens a se: Deus est actus purus, ens a se. attributa sunt perfectiones ipsius, & cum sint attributa entis infiniti, non possunt non participare infinitatem entis cujus sunt perfectiones, simulque cum considerantur ut perfectiones entis infiniti non possunt non considerari nisi in quantum infinitæ; sed illud quod est absque controversia ad propositum non erat. si quodlibet attributum conciperetur ut actus purus, ut ens a se, Deus posset concipi ut compositus ex multis actibus puris, ex pluribus entibus a se, cum pluribus gaudeat Deus attributis? neque enim usquam affirmasset vir doctissimus, cuncta divinitatis attributa esse unicum attributum, nullus tunc superesset ipsius argumentationis locus; multoque minus has omnes perfectiones non esse nisi diversa nomina idem formaliter significantia. & ex multiplicitate entium a se, multo magis quam ex Scotistarum formalitatibus, exurgebat in Deo compositio illa, quam dicunt Thomistæ formalem distinctionem secum importare: sicque in arguentem poterat retorqueri fortiter argumentum.

2. Minor propositio, quæ nihil probat, est de falso supposito. nihil probat, cum sit extra quæstionem propositam utrum sit de ratione actus puri quod non sit perfectibilis per aliquid aliud ad quod sit in potentia: id a nullo negatur. Probandum magis fuisset, etsi de hoc non quæreretur, quod ex præcisione objectiva sequeretur Deum, vel attributum, quod dicit actum purum, perfici per aliquid aliud ad quod sit in potentia. id autem probare minime poterat, quia falsum est attributa divina perfici, aut esse in potentia ad aliud, quia admissa licet præcisione objectiva, tum inter se, tum cum essentia realiter, ut millies diximus, identificantur, suntque in genere suo, & ex natura sua perfectissima, in quantum scilicet divina sunt. & aliunde, ut observavimus in solutione primæ objectionis, divinæ perfectiones non debent comparari secum, nec cum essentia, cui inexistunt, sed cum Deo, a quo non sunt re diversæ, sed unum quid & idem cum illo, & ille cum eis. Sicque divina illa attributa, quæ in Deo remanente simplicissimo, sunt ad instar partium, non tamen partes, non indigent perfici, & quamvis multa, non se habent in illo ut potentia & actus, ut ibidem diximus cum Angelico Doctore. gratis pariter supponitur ex præcisione objectiva inferri posse ens a se quod Deus est, non ita importare omnem perfectionem ut non possit ei aliquid non addi, ut indicare videtur prædicta argumentatio, quæ ex se insufficiens ad ostendendum præcisionem objectivam, simulque distinctionem formalem in ea fundatam, divinæ opponi simplicitati, ut ostendere intendebat idem author, distinctionis virtualis, in qua ex ipso fundatur distinctio rationis, insufficientiam similiter uno eodemque tempore declarat.

Distinctionis virtualis & rationis in sensu exposito insufficientiam probare etsi

etsi facillimum ex analogia quam habet cum sententia, vel potius errore Anomæorum, & cum opinione Nominalium, de quibus infra, cum illam analogiam negent Thomistæ ab utrisque se penitus dissentire profitentes, nec cuiquam invidiam facere in animo habeamus, de illa tacebimus, ut illam insufficientem ostendamus ad explicanda tum Trinitatis, tum Incarnationis Dominicæ Mysteria, & Hæreticorum argumenta evertenda. non admissa vera distinctione in Divinis ante quamlibet mentis operationem inter naturam & personam quomodo ostendi poterit esse unicam naturam, sintque nihilominus tres personæ? qui erunt plures personæ & non erunt plures naturæ? dicet Sabellianus Thomistis, personalitas & natura sunt juxta vos unum & idem formaliter, cum distinctio vestra, quæ est dumtaxat fundamentum distinguendi formaliter identificata, non impediat quominus sint eadem formaliter: in Deo autem est unica natura, ergo & unica persona: arguet ex opposito Arianus, vobis fatentibus natura & persona a parte rei non distinguuntur: in Patre & Filio duæ sunt personæ: duæ igitur erunt naturæ. eodem modo insurget Nestorianus ex identitate formali. Persona & natura sunt formaliter unum & idem: sed in Christo sunt duæ naturæ; ergo duæ sint personæ oportet ex adverso dicet Eutychianus, sed in Christo est unica persona, ergo unicam admittere naturam necesse est.

Dicent ne Thomistæ personam & naturam etsi formaliter identificentur, nullaque sint inter eas a parte rei distinctio, a nobis tamen concipi ut si essent distinctæ, & revera non obstante formali earum identitate, illas distingui virtualiter, sed fundamentum istius distinctionis quæ fit per mentem, esse a parte rei, in quantum scilicet Deus, vel natura divina etsi una & simplex per se, est multipliciter perceptibilis, quia æquivalet multis, & menti nostræ præbet fundamentum distinguendi res vel formalitates, vel potius proprietates vere indistinctas? esto, reponent Hæretici, quod possit intellectus considerare ut distinctas naturam & personam: verum cum illæ realiter formaliterque identificentur, non obstante abstractione illa metaphysica, quæ nihil dicit reale præter actum formalem mentis distinguentis res vere indistinctas, illasve diversimode percipientis, proindeque possint dumtaxat per mentem distingui, sed remaneant a parte rei penitus indistinctæ, non enim tollit illarum totalem veramque indistinctionem effective ille mentis actus, natura & persona nusquam vere & ut in se sunt distinguentur. Unde ex pluralitate personalitatum necessario colligetur natura multiplex, sicuti ex unitate naturæ concludetur pro unitate vel singularitate personæ. quid ipsis respondeatur videant Thomistæ. satis est ad propositum nonnulla indicasse incommoda, quæ inevitabiliter sequi videntur ex distinctione virtuali, quæque ipsius insufficientiam valide ostendunt. quod dictum nihilominus velim Thomistis inoffensis, quibus ab his nodis se expediendi multas inesse vias non me latet.

Verum quid frustra clamitas insufficientem esse distinctionem rationis seu virtualem, opponent mihi non pauci non levis notæ; cum ipse Scotus nullam præter illam admiserit realem distinctionem, ut ex quampluribus ejus tex-

textibus colligi potest, & revera collegerunt plures e veteribus Theologis; unde nonnullis visum est incertam esse ac dubiam hac in re mentem Doctoris Subtilis, qui in diversum sensum a quibusdam propterea trahitur. quibus ut ad rem, ut dicitur, respondeamus, quæ fuerit vere Doctoris mens in præsenti disputatione, breviter, nervose licet, ostendendum incumbit.

Doctoris Subtilis circa distinctionem formalem sententiæ appendix.

NOvum non est nec recens inventum quibusdam placuisse Doctorem Subtilem non aliam distinctionis formalis nomine intellexisse in rei veritate distinctionem præter eam, quæ est per intellectum ac rationem, quam differentiam virtualem vocavit. multi enim jam anni sunt & longa ætas, ex quo referente Gregorio Ariminensi celebri ex Augustinianorum familia Theologo, id colligebant eruditi etiam Theologi ex verbis sequentibus Scoti in 1. dist. 2. quæst. 7. num. 43. circa finem. *Sed numquid hæc distinctio dicetur realis? Respondeo non est proprie realis actualis . . . . . potest autem vocari differentia rationis . . . . . alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem, in se non habet rem, & rem; sed est una res habens virtualiter sive eminenter quasi duas realitates.* Hujus virtualis differentiæ vocabulo, quod, ut optime suspicatus est Berti, nonnullis quos memorat fucum fecit, delusi insignes Theologi, qui Scotum aut propere legerant, aut lectum minus expenderant, ipsumque nihilominus reprehendunt, parum sibi magistrum constare existimarunt, cum ipso bene agere reputantes, si ab opinione formalis a parte rei distinctionis illum liberarent, verbaque illius ad sensum Scholæ Thomistarum interpretarentur. sic inter alios Suarez de essentia Dei agens lib. 1. cap. 10. pronunciat, sensum Scoti esse incertum. verum quomodo viri Doctrina celebres in re adeo evidenti decipi potuerint aut voluerint vix intelligitur, cum de mente ipsius nec minimus sit dubitandi locus, distinctionemque formalem ex natura rei ante quamlibet mentis operationem, quam subtiliter excogitarat, & in divinis absolute necessariam, expresse quoties sese dederit occasio ubique defendat; ipseque textus qui incautis præbuit occasionem erroris, nihil aliud sapiat quam formalem distinctionem. Hunc velut ex integro referre satis erit, cum ut totius Doctrinæ Magistri summa in præsenti proposito possit haberi. en ipsius verba num. 41.

„ Sed hic restat ulterior difficultas: non enim videtur intelligibile, quod „ essentia non plurificetur, & supposita sint plura, nisi aliqua distinctio po- „ natur inter rationem essentiæ, & rationem supositi: & ideo ad salvan- „ dum istam incompossibilitatem prædictam, oportet videre de illa distin- „ ctione. & dico sine assertione & præjudicio sententiæ melioris, quod ra- „ tio qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, ut „ essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intel- „ lectus creati & increati. & probo sic. primum suppositum habet realiter „ entitatem communicabilem, alioquin non posset eam communicare: ha-

„ bet

„ bet etiam realiter entitatem incommunicabilem, alioquin non esset positi-
„ ve & in entitate reali suppositum. & intelligo sic realiter, quod nullo
„ modo per actum intellectus considerantis, imo quod talis entitas esset ibi,
„ si nullus intellectus consideraret: & sic esse ibi, si nullus intellectus con-
„ sideraret, dico esse ante omnem actum intellectus. " Quid quæso manifestius desiderari posset ut ostendatur hujusmodi distinctionem, quam supponit esse essentiam divinam inter & Personas Divinas, omnimode esse ab intellectu independentem? quid dubii, quid incerti in illis Scoti verbis, quacumque adhibita interpretatione, potest reperiri? quæ sequuntur Num. 43. & sequ. perscrutemur.

„ Secundo oportet videre qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcede-
„ re omnem actum intellectus ..... ex his concluditur aliqua differentia
„ ante actum intellectus ..... sed numquid hæc distinctio dicetur realis?
„ Respondeo, non est proprie realis actualis intelligendo, sicut communiter
„ dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum & in actu, quia in
„ una Persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divi-
„ nam; & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia
„ nihil est ibi in potentia, quod non est in actu. potest autem vocari dif-
„ ferentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipiatur
„ pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate
„ rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus; vel alio modo po-
„ test vocari differentia virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem
„ in se non habet rem & rem, sed est una res habens virtualiter, sive emi-
„ nenter quasi duas realitates, quia utrique realitati, ut est in illa re, com-
„ petit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta:
„ ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset
„ una res, & illa alia. " Ubi advertendum de proprio hujusce distinctionis nomine non multum curare Scotum modo res ipsa concedatur: sicque se gerebat Doctor œconomiæ causa. Cum enim ipsius tempore, ut non frustra notavit Poncius in hunc locum, per distinctionem realem actualem intelligeretur differentia actualis rerum, quam habent res quæ distinguntur realiter distinctione reali stricta seu majori, ab illa denominatione distinctionis realis actualis voluit abstinere, modo distinctionem quam admittendam volebat, concederent antecedere quamcumque operationem intellectus: ita ut realitas essentiæ quæ est communicabilis, non esset formaliter realitas suppositi quod est incommunicabile, & una non includeretur in alia, nec ista esset quid idem in ratione sua formali cum illa; ex quo ante actum intellectus erat inter utramque vera non identitas formalis, ut loquitur. Hanc vero præcise mentem Doctoris Subtilis fuisse, quæ mox exposita est, denotant, vel magis demonstrant sequentia.

„ Numquid igitur debet concedi aliqua distinctio? .... Breviter igitur
„ dico, omittendo illa verba de distinctione rationis & de distinctione vir-
„ tuali, non quia sint male dicta, sed quia non oportet eis uti, dico quod
„ in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B,

„ & hæc

„ & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus considerans „ A & considerans B, habet ex natura rei unde ista compositio sit vera, „ A non est formaliter B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A & B .... ista autem distinctio, sive non formalis identitas, quæ „ probata est prius per duas vel tres rationes potest etiam probari per duas „ vel tres authoritates Augustini... intelligit ergo Augustinus, quod sicut „ Pater non eo quo est Pater, est Sapientia & Essentia, ita non eodem est „ Pater & Deus... est igitur secundum ipsum talis non identitas relationis „ ad absolutum in divinis. " His omnibus probat Scotus dari talem ex natura rei distinctionem, quam ipse ad tollendam quamlibet æquivocationem, vocat non identitatem formalem, & quæ jam communiter vocatur in Scholis distinctio formalis, ab omni intellectus operatione prorsus independens. & his non sunt dissimilia quæ habet in quæstionibus quodlibetalibus, quæst. 5. sic loquens, contra affirmantes Spirationem & Paternitatem solum per rationem differre, quasi id sufficeret ut una de altera non prædicetur? " aliter „ dicit alius, & rationabilius ut videtur, & ad propositum, quod proprietates in eadem persona differunt ex natura rei præter considerationem intel„ lectus quia ad hoc sufficit disparatio, licet non sint oppositæ, & propter „ hoc prædicatio unius de alia in abstracto non est vera. " ubique, ut videtur; distinctionem veram ante quamcumque mentis operationem defendit constanter Scotus, & adeò, ut mirum sit quod alicui ipsum legenti & expendenti dubius & incertus esse potuerit. Si quoddam nihilominus remaneret dubium, legatur quæstio quarta dist. 8. lib.1. in qua investigat utrum detur in Deo distinctio perfectionum essentialium aliquo modo præcedens omnem actum intellectus; & quæstioni propositæ respondens dicit, quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, sed ibi est distinctio præcedens intellectum omnimodo. ostenditque hanc non identitatem formalem perfectionum stare cum simplicitate Dei, & ex illa nullam poni compositionem in persona. similiter istam distinctionem formalem ponit inter duas proprietates in patre, innascibilitatem scilicet & paternitatem, quæ secundum Augustinum 5. de Trinit. cap. 6. non sunt eadem proprietas, quia non est eo Pater, quo ingenitus.

Desinat ergo Suarez, desinant & alii ipsius fortasse authoritate decepti, anxium circa distinctionem formalem dicere Scotum, qui ipsius author illam constanter tenuit, varia licet interdum denominatione. Nec putent verba illius ad meliorem trahi sensum, dum contrariam sententiam illi affingunt, a qua fuisse illum omnimode alienum, & si ejus scripta tacerent, innumeri ipsius discipuli testantur. gratis igitur & incassum desudat ab hac opinione Scotum liberare desiderans Vasquez, cui per ejusdem scholam numquam licebit. adversus formalem Scoticam distinctionem, & adversus eos qui illam optime capientes, in explicandis quampluribus fidei nostræ capitibus eam absolute necessariam prædicant, insulse vociferentur, quibus moris est ea quæ non intelligunt cavillari, parvi refert. Donec argumenta quæ

eam

eam impugnent invincibilia attulerint, nos in nostra fundatissima permanere sententia non improbent.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid erraverint Anomæi, Gilbertus Porretanus aliique circa distinctionem, quæ reperitur essentiam divinam inter & attributa.

NUllam omnino inter divina attributa agnovere distinctionem quarto Ecclesiæ sæculo Anomæi seu Eunomiani, sic dicti, ut refert Augustinus lib. de Hæref. ab Eunomio Aetii discipulo: exinde facilius existimantes Arianam hæresim, qua infecti erant, obtegere vel tueri. Ex eo enim quod vellent cuncta quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam dici, & ingenitum seu ingenerationem esse ipsammet Dei substantiam affirmarent, inde facile concludebant Filium non esse Deum, sic arguendo. Quidquid est in Deo, Deus est, ob summam Divinitatis simplicitatem, sed essentia divina est ingenita: Deus enim & ingenitus idem præcise sonant: ergo Filius Dei cum ingenitus non sit, Deus esse nequit. quæcumque sunt in Deo, nomine tenus solummodo discrepare fabulabantur, seque plene Deum nosse delirabant, non perfecte minus quam se ipsum agnoscit Deus, cum ad perfectam illius cognitionem satis sit, ipsum optime nosse ingenitum, de cujus ingeniti plennotione non superbe minus quam insane gloriabantur. Ipsorum doctrinam ridiculam simul & absurdam pronunciat S. Basilius lib. 1. contra Eunomium, ostendens varia Deitatis attributa non idem significare, sed diversas esse Dei perfectiones. *Quomodo igitur ridiculum non est dicere, vel quonam igitur pacto non deridendus erit*, inquit Basilius, *si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidem operationem substantiam putet? quæ cuncta si ad unum tendunt significatum, necesse est ut inter se idem valeant, sicut fit in iis, qui multis nominibus appellantur, sicuti cum Simonem & Petrum & Cepham eumdem dicimus. quare si quis audit inalterabilem esse Deum, ad ingenitum cogitationem subducet; & qui audit invisibilem, ad creandi virtutem deferetur; qua confusione quid umquam absurdius fiet, quam si cum propriam cujuscumque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem & doctrinam spiritus leges ponas? Nonne cum de Deo audiamus, quod in sapientia omnia fecit, conditricem tunc ejus artem docemur? cum autem, quod aperit manum ejus & implet omne animal benedictione, providentiam ejus quæ per omnia transit? cum vero quod posuit tenebras latibulum suum, invisibilis ejus naturæ admonemur? cum rursus e persona ipsius Dei dicitur, ego sum & alteratus non sum, identitatem æternam, incommutabilitatemque divinæ substantiæ discimus? quomodo igitur non fuerit manifestæ insaniæ, si dicas proprium unicuique nomini significatum non subesse?* Eunomii cum suis hanc fuisse doctrinam colligitur etiam ex Sancto Gregorio Nysseno lib. 12. vel orat. 12. contra Eunomium, ostendente ex Scriptura Sacra multorum variorumque nominum, quibus natura divina vocatur, non esse omnium uniformem significationem.

Gualterum quemdam refert Augustinus Niphus lib. 12. Metaphys. disp. 13. attributa a se invicem & ab essentia divina distinctione reali majori distingui asserentem, illæsa nihilominus Dei simplicitate, cum nihil in ipso sit ad modum partium respectu totius, nec una perfectio aut proprietas habeat rationem actus vel potentiæ, quod requireretur ex ipso, ut vera in Deo esset compositio. Hunc Gualterum Vasquez confutat abunde in primam partem Divi Thomæ, disp. 116. cujus mentem si altius fuisset perscrutatus, non insinuasset Scoti opinionem de formali distinctione non omnem excludere compositionem in Deo, ac proinde ex hac parte Gualterum sapere. verum ex eo minus culpandus Vasquez, quod licet mira doctrina pollens, mentem Doctoris Subtilis, ejusque formalem distinctionem non bene intellexisse, ex multis quæ de ea habet evidenter convincitur.

Gualterii istius errori similem sententiam amplexi sunt Græci quidam recentiores, a Gregorio Palama Thessalonicensium Episcopo ipsorum Coryphæo dicti Palamitæ, distinguentes realiter inter substantiam Dei ejusque operationem; ipsas quoque illius operationes, sive transeuntes, ut sunt actus tam voluntatis, quam intellectus, sive immanentes, ut sunt ex ipsis, justitia, sapientia, bonitas, aliaque attributa, distingui realiter a potentiis arbitrantes sæculo decimo quarto quasi desinente. de his Petavius, de illorum ortu & progressu differens, Tom. 1. Theol. Dogm. lib. 1.

Ab Euomianorum errore non satis recessisse videntur Nominales, omnem penitus distinctionem intrinsecam inter attributa divina & essentiam rejicientes, omnesque divinas perfectiones nihil aliud esse, quam nomina diversa, unam eamdemque rem simplicissimam enunciantia existimantes; etsi, addunt nonnulli, ratione effectus, seu penes diversa connotata, possint considerari ut distincta. Huic sectæ nomen dedere insignes quidam Theologi, inter quos cum Petro de Alliaco non immerito annumeratur Gerson, Academiæ Parisiensis quondam Cancellarius. Nominalium princeps vulgo creditur Guillelmus Ocham e Franciscana familia, Doctor Parisiensis, Doctoris Subtilis suo tempore non ignobilis auditor. Hic nihilominus cum quibusdam aliis, formalem distinctionem ad præceptoris sui mentem admittebat inter proprietates relativas ad essentiam comparatas. in illam opinionem Nominalium, quæ omnibus hodie fere Theologis est invisa, acerbius agit Petavius, dum Nominales vult ad Aetii & Eunomii placita videri implicatos. ipsius judicio hac in re non stare, sicut & in aliis quibusdam, docet prudentia. & eo magis, quod ad Nominales circa distinctionem attributorum satis accedant aliqui præsentis ævi primatum tenentes inter Theologos, quorum authoritati debemus ab omni censura abstinere; quos aliunde a quolibet errore prorsus alienos tenent, quotquot inter eruditos infenso animo in alios absque causa abripi non noverunt.

Gilbertum Porretanum Pictavorum Episcopum duodecimo Ecclesiæ sæculo erroris insimulatum fuisse ob realem quam in divinis admittebat distinctionem, & ob id a Santo Bernardo Abbate Claravallis, doctrina & sanctitate celebri in concilio Rhemensi vehementer impugnatum nullus ignorat. quæ ve-

vero fuerit præcise ipsius mens distinguendo inter Deum & Divinitatem statuere satis difficile. Hunc autem catholice minus locutum fuisse, ipsiusque errorem, quem publice ejuravit, a Patribus Rhemensibus præsidente Eugenio III. qui fuerat Claravallensis Monachus, & Bernardi discipulus fuisse proscriptum, est unicuique notum. in rebus philosophicis versatissimus, a quibus ad senectam usque non cessavit Gilbertus, ac multa proinde dicere assuetus præter usitatum sui temporis morem, in publico quodam Ecclesiæ suæ consessu cum protulisset, Divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est: & in quibusdam ad Boetium de Trinitate commentariis scripsisset, divinam essentiam esse substantiam, qua Deus est, non quæ Deus est, a duobus ecclesiæ Pictaviensis Archidiaconis Arnaldo & Calone delatus est ad summum Pontificem Eugenium III. Gallias petentem, & erroris apud ipsum accusatus. in Synodo Parisiensi anno 1147. præsidente eodem Summo Pontifice, acta Gilberti causa, sed indecisa, ad Rhemense Concilium brevi celebrandum rejecta est. sequenti anno 1148. coram episcopis decem provinciarum præside Eugenio, suam causam iterum aggreditur Gilbertus, fortiter a Sancto Bernardo, aliisque pluribus hoc in concilio impetitus ac pressus; hacque ex utraque parte vario argumentorum genere, tam ex scripturis, quam ex patribus, mature discussa, cognitave plene satis Gilberti mente, ipsius error a patribus Rhemensibus proscriptus est. Apostolicum judicium reverenter excipiens Pictavorum Episcopus, suique erroris damnationi consentiens, publice refutans quæ prius scripserat & affirmaverat, Archidiaconibus in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam Diæcesim remeavit, inquit Otho Frisingensis episcopus, hujus temporis scriptor, genere, morum integritate ac doctrina clarus, lib. 1. de gestis Friderici I. imperatoris cap. 58.

Quidquid actum est in causa Gilberti tum Parisiis, tum Rhemis, scripsere coætanei authores, quibus omnimoda debetur fides, nimirum S. Bernardus serm. LXXX. in cant. Gaufridus Abbatis claravallensis monachus, qui concilio Rhemensi præsens aderat, tam in vita S. Bernardi, tum in epist. ad Cardinalem Albanensem: & Otho mox laudatus, cujus historiæ quæ deerant adjecit Radevicus Frisingensis Canonicus: quos secutus est Baronius in suis ecclesiasticis annalibus ad an. Christi 1147. & 1148. Non levis nihilominus circa Gilbertinum dogma inter doctos remanet controversia: opinantibus nonnullis distinctionem realem suam hunc Episcopum statuisse inter proprietates relativas & essentiam divinam, non vero inter absolutas, tum ad se invicem, tum ad essentiam comparatas, volentibus aliis, illum similiter distinxisse tam inter essentiam & attributa quæcumque, quam inter attributa tum absoluta tum relativa secum collata. Non pauca extant pro utrisque momenta, ex quibus litem componere magis difficile. Rationes quæ pro qualibet parte militant indicabimus, quid probabilius nobis videatur declarantes, rem absolute definire minime confidentes.

ASSERTIO UNICA.

Etsi perplexa satis esset doctrina Gilberti de distinctione quam in divinis admittebat, realem tamen distinctionem quam certum est ipsum admisisse inter essentiam divinam & attributa relativa, eam pariter admisisse tam inter quælibet attributa & essentiam, quam inter attributa ipsa, sive absoluta sive relativa probabilius videtur.

PErplexam fuisse doctrinam Gilberti, ob quam erroris accusatus est apud Summum Pontificem, colligitur, tum ex eo quod causa ipsius, quæ acta est in Synodo Parisiensi, mente ejus in illa non bene cognita, etsi res ventilata esset, nec quidquam satis liquidi appareret, ad Rhemense concilium proxime celebrandum delata est. cujus delationis ad numerosiorem cœtum alia non potuit esse causa, quam obscuritas contortæ Gilberti doctrinæ, potissimum huic synodo cum interesset ipse Summus Pontifex, cujus judicio res penitus absolvi poterat, nisi aliunde obstitisset sententia per se nodosa & intricata. Tum ex eo quod ipsum tergiversantem in concilio Rhemensi, suumque errorem multis sanctorum Patrum testimoniis involvere conantem, ne diverticula quæreret per quæ effugeret, constrinxit Summus Pontifex: *Multa dicis, frater, multa, & ea quæ fortassis a nobis non intelliguntur legi facis; sed simpliciter a te cognoscere velim, anne illam summam essentiam qua tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum.* Gilbertum absque causa sic fuisset allocutus Eugenius, si quid ipse sentiret fuisset patribus Rhemensibus expedite compertum. ab illius doctrinæ perplexitate expeditum desiderans concilium S. Bernardus, eumdem Gilbertum sic alloquebatur, ut refert Gaufridus in epistola ad Cardinalem Episcopum Albunensem. *Quid necesse est circa hujusmodi verba diutius immorari?.. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate.* Nec mirum perplexum fuisse Gilbertum, quem modis loquendi pro suo tempore inusitatis, hominem recenti philosophia instructum, uti solitum observavimus. & inde magis perplexam se exhibebat Gilberti recens loquendi ratio, quod modo de concretis, modo de abstractis quæstio moveretur, juxta quoddam dialecticæ genus in rebus fidei tunc temporis minime receptum: unde fortasse factum est, quod de sua doctrina sæpius interrogatus Gilbertus, titubanter ac varie responderet, ut insinuat Otho Frisingensis.

Ipsum autem realem quam dicimus majorem distinctionem admisisse inter essentiam & personalitates seu attributa relativa est omnimode certum. cum enim postulatus ab Eugenio, ut mox retulimus, anne simpliciter crederet illam summam essentiam, qua unum Deum tres personas profitebatur, esse Deum, *minus præmeditate respondit. non:* inquit Otho. unde colligitur ipsum realem identitatem non agnovisse essentiam divinam inter & personalitates. unum ex ejus dogmatibus erat, ut habetur ex actis concilii Remensis, quod *Cum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum esse dicuntur, nonnisi una divinitate unum esse intelliguntur: nec converti potest, ut unus Deus, vel una substantia vel*

unum

unum aliquid Pater & Filius & Spiritus Sanctus esse dicantur. Hinc est quod ex opposito identitatem realem inter naturam divinam & tres personas statuere diserte volentes Concilii Patres, sic loquantur in confessione fidei. *Cum de tribus personis, Patre, Filio, Spiritu Sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur esse. & e converso cum de uno Deo, unaque divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur*. & revera Gilbertum voluisse naturam divinam de tribus personis non identice prædicari, proindeque distinctionem realem intercedere, non obscure ostendunt sequentia verba quibus confessio terminatur. *Credimus, solum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res (sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, & ejusmodi alia) a Deo esse quæ sint ab æterno, & non sint Deus*. ad quid autem accurata hæc adeo confessio ut penitus tolleretur non identica in sensu reali prædicatio, si realem distinctionem quæ alietatem importat, ut loquuntur Scholastici, in divinis a Gilberto admissam non intellexissent Patres Concilii?

Nec obstat quod dixerit Gilbertus in Synodo Parisiensi, Patrem quidem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc. quid enim per hæc verba ipse intellexerit, cum ea ut a difficultatibus sibi propositis se expediret protulit, non facile dignoscitur. Relationes non esse quid idem quod sunt ipsæ personæ, sed esse numero diversas, ipsum dixisse refert Matthæus Paris ad annum 1199. quod idem testatur Gaufridus ad tertium Gilberti capitulum. Ralationes, inquit, personis tribus attribuit, quæ non sunt ipsæ personæ, sed res sempiternæ, ab invicem & ab ipsa substantia differentes. quod signum est non dubium distinctionis realis majoris, id est rei a re. & eo magis quod diceret relationes in divinis esse assistentes, sive extrinsecus affixas, ut de illo narrant Sanctus Thomas 1. p. quæ. 28. art. 2. addens ipsius errorem fundari in prava notione accidentis. & Alexander Alensis 1. p. quæ. 68. memb. 5. art. 1. dicens Gilbertum ut sic sentiret, motum fuisse ex natura relationum, quæ non dicuntur esse in, sed esse ad, nec consistunt in substantia sicut qualitates & alia accidentia, sed exterius assistunt. & quod sic esse vidit in relationibus creaturarum, sic etiam posuit in relationibus divinarum personarum.

Et frustra diceretur, ut post Petavium & Vasquesium censet Tournely, Doctorem Angelicum, cui ab ipsis jungendi erant Alensis, & plures alii idem cum Divo Thoma sentientes, errore facti deceptum videri cum talia de Gilberto scriberet. Hoc enim verisimile non est, ut æque respondet Suarez: tum quia error ille, & quæ circa illum gesta fuerant, non multo tempore præcessere Alensem & Aquinatem; tum quia hæc ex Gilberti doctrina veluti necessario sequebantur: & aliunde nullum, ut oppositum sentiant Tournely & prælaudati, quibus adhæret, sufficiens suæ opinionis afferunt argumentum. ipsave ratio qua ducebatur Gilbertus, ut distingueret inter naturam & personam divinam, sufficiens suppeditat argumentum asserendi, ipsum posuisse distinctionem realem propriam rei a re. Ratio hæc ipsi erat juxta Othonem

cap.

cap. 56. Ne cum Ario sicut personarum, ita & pluralitatem admitteret essentiarum: vel secundum Sabellium, ad essentiæ singularitatem, Christianæ fidei Religio pluralitatem restringeret personarum. non admissa hujusmodi distinctione inter naturam & personam ipsi videbatur necessario concludendum, sicut ergo persona Filii dicitur indeterminate incarnata & passa, ita & natura divina dicetur indeterminate incarnata & passa; ex qua absurditate inquiebat, facile sensus hæreticus juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans & genita, & eadem se ipsam genuisse. Cui absurditati obviari alio modo non posse censebat Gilbertus, nisi mediante distinctione, quæ realem tolleret identitatem inter essentiam divinam & personas.

Nec alio consilio remissius cum Gilberto agere videntur illi authores cum suis asseclis, nisi ut acerbius agant cum Doctore Subtili & cunctis Scotistis; inde inferentes, quo distinctionem realem propriam seu majorem, non admittebat Gilbertus, & aliunde distinctio illa quæ fuerat ipsi occasio errandi, & tali modo ut hæresi notatus damnaretur in concilio Rhemensi, erat realis distinctio, & ab intellectus operatione independens, alia esse non poterat præter realem formalem Scoticam, distinctio illa quam propugnabat. unde Scoti doctrinam confundentes cum Gilberti sententia, eam similiter definitionibus concilii Rhemensis, & rationibus S. Bernardi confutari contendunt, sicuti cum Gilberto in eodem errore Scotus versaretur. suum intentum nihilominus ii non obtinebunt: nec cuiquam rem attente consideranti erit persuasum, quod ipsi se credere fingunt. Nam, præterquam quod in ipsos, ut pote qui distinctionem virtualem admittant, retorqueri eodem jure posset illam fuisse proscriptam in concilio Rhemensi, cum per considerationem Theologicam qua naturam a persona distinguebat, distinctionem virtualem intelligeret Gilbertus, iisdem momentis suam sententiam firmans, quibus passim utuntur hodierni virtualis distinctonis defensores, ab ipsis non dissimilis eodem modo dicens, justitiam Dei esse Deum ipsum, qui per se totum, non per justitiam justus est: & signum distinctionis quæ inesse debet inter naturam & personam, ut contra Arianos & Sabellianos fides catholica salvetur, esse prædicata contradictoria quæ suscipiunt: certum aliunde est, Scoti doctrinam ab errore Gilberti esse omnimode diversam, ut cuicumque intelligenti fit manifestum ex iis omnibus quæ exposuimus, distinctionis formalis necessitatem & naturam superius ostendentes. Etenim Gilbertus, ut ex dictis constat, tres res in Deo æternas, ab essentia divina & ab invicem in numero differentes dicebat, quæ numeralis distinctio, cum esset individui ab individuo & realis, tollebat identitatem realem; Scotus vero tres personas esse unum re semper catholice dixit, nullo modo per distinctionem ipsius formalem ex natura rei sublata identitate rei cum re, sublata dumtaxat identitate formali, quæ est absolute impossibilis inter duas formalitates vel perfectiones, quarum una nequit esse formaliter altera; alioquin non essent duæ, sed una dumtaxat, ut sæpius dictum est. Hinc identitatem realem non agnoscens Gilbertus, negabat harum propositionum veritatem; *Deus est sua deitas, sua justitia, sua misericordia*, quas corde pleno cum suo Magistro amplectuntur & piæ.

prædicant Scotistæ, volentes propositiones illas esse æternæ veritatis, ex eo quod ex ipsis quæcumque sunt in Deo, cum illo realiter identificantur. quod, etsi sæpe observatum, nimio plus numquam posset iterari, donec iniqua loquentium obstruantur ora, & de discrimine evidenti, quod Gilbertum inter & Scotum liquido intersedit, non amplius contendatur.

Aliud tandem fundamentum asserendi Gilbertum distinctionem proprie realem admisisse essentiam divinam inter & attributa relativa, est decretum quod tulit in concilio Rhemensi Eugenius III. composito dissidio quod ortum erat Cardinales inter & Gallicanos præsules occasione symboli editi ab istis, dictante aut disponente Sancto Bernardo, volentibus Cardinalibus ad ipsos directe spectare, & non ad alios quoscumque, novi symboli editionem, ut videre est apud Baronium post Othonem, & Gaufredum ad an. 1147. & 1148. & apud Natalem Alexandrum, in dissertationibus in historiam duodecimi sæculi. decrevit autem Summus Pontifex, *Ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret: neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi, tantum, sed etiam nominativi*. inter naturam & personam nihilominus tenent communiter Theologi utriusque Scholæ respectivæ, distinguendum esse vel virtualiter, vel formaliter, & ita necessario, ut non admissa una aut altera distinctione, impossibile sit se expedire ab Hæreticorum argumentis circa mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Verbi Divini incarnationis, sicut in præcedentibus observavimus. unde necessario sequitur, vel a Theologis solito defendi quod ne defenderetur prohibuit Eugenius, quod certe nemo concedet, & non potest supponi, vel Gilberti doctrinam, tum a Concilio, tum a Summo Pontifice fuisse intellectam in sensu distinctionis proprie realis excludentis realem identitatem. vim Apostolici decreti hujus se frangere haud dubie non advertunt, qui catholicam Gilberti doctrinam indirecte prædicant, sicque minime a concilio proscriptam, dum hanc de formali distinctione Scotistarum, non vero de proprie reali, intelligendam esse acriter defendunt. Neque enim non catholicam producent de formali distinctione sententiam nostram, quam in ecclesia non male audire, sed publice quatuor ab hinc sæculis in scholis defendi omnibus notum vel id quod occultis consiliis, abjectisve insectationibus tentant, a perito quodam & cordato aliquando probari non sibi plaudent. Nugas garrire, ineptiasve loqui, Scotum Gilberto coincidere qui serio proferret, hodie quis inficiatur? unde non temere dixerim, unum & idem esse, velle Gilberti doctrinam proscriptam fuisse ab Eugenio & Patribus Rhemensibus in sensu distinctionis formalis, pro ut a Scoti diebus defenditur, & velle illius doctrinam ab iisdem minime fuisse intellectam, simulque proscripsisse & damnasse patres illos quod non intellexere: quod non minus inconsiderate quam erronee diceretur. verum quid ultra in his immoramur, quæ ad nauseam usque iterare necessitas pro schola nostra dicendi sola coegit?

Eamdem suam realem distinctionem, a concilio Rhemensi ut novum errorem proscriptam, Gilbertum admisisse inter essentiam divinam & quælibet attributa, nec non inter ipsa attributa secum collata, videtur probabilius. idque de

de eo existimandi ansam præbent quæ scribit sanctus Bernardus serm. 80. in cantica, ex quibus colligitur Gilbertum propugnavisse, Divinitatem, Deique proprietates, tum absolutas, tum relativas, Deum non esse, sed Divinitatem esse formam, qua Deus est; magnitudinem, qua magnus; Bonitatem, qua Bonus; Paternitatem, qua Pater. *Recedant a nobis charissimi*, inquit, *recedant novelli, non Dialectici, sed Hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & bonitatem qua bonus, sed & Sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed divinitas non est Deus. forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est ut faciat Deum. sed si Deus non est, quid est?... jam de magnitudine, bonitate, sapientia, justitiaque, idem per omnia quod de divinitate sentimus: unum in Deo sunt & cum Deo: nec enim aliunde bonus, quam unde magnus; nec aliunde justus & sapiens, quam unde magnus & bonus; nec aliunde simul hæc omnia est, quam unde Deus: & hæc quoque nonnisi se ipso.* quæ Bernardi verba de Dei essentia ejusque attributis præsertim absolutis mentionem faciunt, & ex iis directe concluditur Gilbertum distinxisse inter Deum & ejus essentiam, & omnia attributa etiam absoluta: unde si ut ostendimus, distinctionem realem proprie dictam admittebat inter divinam essentiam & attributa relativa, ipsum eamdem admisisse etiam quantum ad attributa absoluta tam comparate ad essentiam, quam ad invicem collata non improbabiliter judicatur.

Hocque judicium confirmatur ex eodem Bernardo addente, Eugenio III. & Rhemensis concilii Patribus, perversam visam esse, & omnino suspectam expositionem illam verborum Boetii in libro de Trinitate: *Pater est veritas, id est verus. Filius est veritas, id est verus. Spiritus Sanctus est veritas, id est verus. & hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus. O obscuram perversamque explanationem!* exclamat eo loci Abbas Claravallensis. *Quam verius saniusque per contrarium ita dixisset: Pater est verus, id est veritas; Filius est verus, id est veritas; Spiritus Sanctus est verus, id est veritas: Et hi tres unus verus, id est una veritas. quod quidem fecisset, si Sanctum dignaretur Fulgentium imitari.*

Idem de Gilberto sentire nos monent quæ refert Gaufridus Claravallensis scribens ad Cardinalem Albanensem: in qua Epistola testatur, in Concilio Rhemensi Capitulum istud ex libro Gilberti Porretani fuisse prolatum. *Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. quod dum alii atque alii clamantes Authorem arguerent, & adversus eum adhuc tergiversantem non immerito causarentur, Sanctus Bernardus ad Episcopum ait, quid necesse est circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt & docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere: forma Dei & Divinitas, qua Deus est, ipse non est Deus.* quibus auditis ex Graufredo nullus videtur remanere ambigendi locus.

Præterea judicii istius triplex extat argumentum: Primum, ex eo quod verbis istiusmodi distinctionem exprimentibus utebatur Gilbertus. Secundum, quod

quod omnes adversariorum ejus rationes & argumenta eo tendebant, ut distinctionem vere realem proprie dictam everterent. Tertium, quod propter illam damnatus fuerit ab Eugenio, ut supra retulimus. Nec ullum discrimen admisisse videtur, cum diversimode non loquantur, etsi de diversis attributis mentio fiat, tum Bernardus, tum Gaufredus, tum ipse Gilbertus; quod signum est minime dubium, ipsum de quibuslibet attributis tum absolutis tum relativis, sive ad essentiam comparentur, sive sint ad invicem collata, idem promiscue sentisse.

Verum ut dicam quod mihi res esse videtur, si de illa judicium ferre datur concessu: quid præcise intellexerit Gilbertus, quove tenderet distinctio quam admittebat inter Deum & Divinitatem, inter Deum & magnitudinem, sapientiam, bonitatem, &c. statuere multum difficile, ex eo quod intricata esset, ut diximus, ipsius doctrina, sibique constans parum ipse esset, ut colligitur ex actis Synodi Parisiensis & Concilii Rhemensis, & aliunde de rebus mere metaphysicis, sed ad fidem proxime pertinentibus certabatur. certum est Gilbertum varias vocum novitates, de Divinitate differentem introduxisse, ex quibus, velut oppositionibus falsi nominis scientiæ, ut ait Apostolus, (1. *Tim. Cap.* 6.) scandalum sumpsere, qui ipsum audiebant, circa fidem hunc excidisse non immerito existimantes: quapropter ut catholice minus loquens erroris jure damnatus est; ipseque *singulis capitulis* sibi objectis *libere renunciavit*, *hæc eadem verba locutus* coram patribus, de iis quæ dixerat interrogatus: *si vos aliter creditis*, *& ego*. *Si aliter dicitis*, *& ego*. *Si aliter scribitis*, *& ego*. ut testatur Gaufredus. Contraria & secum pugnantia eodem tempore proferebat Gilbertus, ut constant ex istis Bernardi verbis serm. 80. in cant. *Sed dicit hæreticus*, *Deum divinitate esse dicis? Non: sed eamdem divinitatem qua est*, *Deum nihilominus assero*, *ne Deo excellentius aliquid esse assentiar*. compositionem in Deo ac multiplicitatem sonabant, quæ ipse scripserat aut locutus fuerat. quod ita verum est ut de eo loquens Abbas Claravallensis lib. 5. de consider. cap. 7. asserat Gilbertum admisisse in Deo quaternitatem, eo quod præter tres distinctas personas, etiam Divinitatem a Deo ausus sit distinguere. quod quartum jure respuebat Bernardus, ostendens multa ea quæ dicuntur esse in Deo, esse multa unum, ne si diversa putentur, nedum quaternitas habeatur, sed centeneitas. & rursus quod nisi omnia unum in Deo, & cum Deo considerentur, multiplex Deus habebitur. quod cum referat Sanctus Doctor relative ad Gilberti doctrinam quam confutaverat, ejusdem doctrinæ sensus, Gilbertique intentum, ab illo plene deteguntur, etsi aliunde perplexa essent & intricata quæ loquebatur.

Hujusmodi compositionem in Deo importare Gilberti doctrinam ostendit argumentum quo illum premebat S. Bernardus, quodve refertur ab eodem in jam laudato sermone in cantica, his verbis. *Divinitate*, *inquiunt*, *Deus est*, *sed divinitas non est Deus. forsitan non dignatur Deus esse*, *quæ tanta est ut faciat Deum. sed si Deus non est*, *quid est? aut enim Deus est*, *aut aliquid quod non est Deus*, *aut nihil. Equidem non das Deum esse . sed ne nihilum quidem*, *ut opinor*, *dabis*, *quam usque adeo necessariam Deo esse fateris*, *ut non modo*

P *absque*

absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. quod si aliquid est quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat ut aut majorem fatearis, aut parem. sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus. si par, duo sunt summa bona, non unum: quod utrumque catholicus refugit sensus. jam de magnitudine, bonitate, sapientia, justitiaque, idem per omnia quod de divinitate sentimus, &c. Quid huic Bernardi argumentationi responderet Gilbertus, nos latet. quid vero responsurus esset si compositionem & multiplicitatem in Deo non importasset ipsius sententia, facile intelligit quisquis, omnia quæ in Deo sunt, cum ipso & inter se realiter, etsi non formaliter, identificari sentit cum Scotistis, adversus quos nihil habet virium Abbatis Claravallensis ratiocinium Gilbertum non strictim urgens. Huic Bernardi argumentationi similis est ea qua Gilbertum lib. 5. de consider. cap. 7. premit hæc habens: *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid quo Deus sit, & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo ut sit?* Verum in causa Gilberti Porretani hæc dicta sufficiant.

QUÆSTIO TERTIA.

In quo præcise differentia de distinctione quæ in divinis reperitur, tum secundum Thomistas, tum juxta Scotistas, sit reponenda.

QUam non attingere initio Sectionis animo proposueram ob rei difficultatem, accuratius tamen perpendere quæstionem aggredior intricatam, magis utriusque partis hinc & inde concertantium controversiis, quam propria sui ipsius natura. Arduum sane quid, & fortasse plus quam præstare valeam, suscipio, ab iis qui rem à radicibus non rimantur certissime ridendus, vel eo solum quod de insita quatuor ab hinc sæculis fere omnium menti opinione, quos delectat concedere veris, detrudere præsumam: Thomistas & Scotistas, ab invicem in hac parte disjunctissimos, si succederet, conciliaturus. ut ut sit, negata via tentabo iter.

Implacabile illud utriusque Scholæ de distinctione tum formali tum virtuali seu rationis dissidium, cujus causa tot tantaque edita sunt hinc inde volumina, verborum dumtaxat esse, inter eruditissimos non desunt qui suspicati fuerint. idne jure vel immerito ipsis videatur, in medio non relinquamus. in eo præcise fundatur discrimen utriusque sententiæ, Scotistarum videlicet & Thomistarum, quod velint Scotistæ, distinctionem, quam dicunt formalem, esse a parte rei, unde realis denominatur, & ante mentis operationem, ac independenter ab illa; velint ex opposito Thomistæ, distinctionem suam virtualem & rationis, esse dependenter ab operatione intellectus, sed in quantum illa intellectus operatio, ipsaque distinctio habent fundamentum in re, ideoque vocatur distinctio rationis ratiocinatæ, sic differens a distinctione rationis ratiocinantis, carente tali fundamento in re. verum quod illi dicunt reale a parte rei, nonne idem præcise est quod ab istis dicitur

citur fundamentum in re? Ideo a Scotistis dicitur realis a parte rei, quia præcedit operationem intellectus, estque ab illa independens. fundamentum autem in re quo nititur distinctio rationis ratiocinatæ, quæque alio modo dicitur distinctio virtualis fundamentalis, est pariter independens ab operatione intellectus illamque præcedit. actus mentis distinguentis, vel res ut distinctas considerantis, nititur illo fundamento quod est in re, quodve illi suppeditat rationem distinguendi: debet igitur fundamentum illud præcedere mentis actum, & ab illo esse independens. quod ultimum si a Thomistis concederetur, jam manifestum esset utriusque Scholæ dissidium penes verba dumtaxat esse, & utramque distinctionem, formalem nempe & virtualem seu rationis ratiocinatæ, eodem jure realem vocari posse, cum utraque sit a parte rei.

Caput illud, ex quo totius difficultatis solutio pendet, diligentius enodemus oportet, idque ex ipsis Thomistarum principiis, quibus attente perspectis, se eadem loqui cum Scotistis, verbis licet specie tenus oppositis, velint, nolint, advertant. & revera, si juxta Doctorem Angelicum & majorem Thomistarum numerum, rationes illæ objectivæ, quæ sunt intellectui nostro causa distinguendi in Deo, diversasque conceptiones de illo formandi (quas rationes objectivas veterum Thomistarum ad faciliorem intelligentiam Scotus vocavit formalitates) sunt in ipso Deo ex cujus parte se tenent, & in ipso sunt priusquam a mente nostra formentur variæ illæ conceptiones, quid illis deest ut non possint dici reales, ipsaque distinctio in illis fundata non vocetur realis seu a parte rei, eodem modo, eodemque sensu quo formalis Scotica distinctio est realis seu ex natura rei? Hujusmodi autem esse rationes illas objectivas ostendunt ipsa verba Divi Thomæ sic loquentis in 1. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. expendens an diversitas rationum, quas intellectus noster format de Deo diversa attributa illi attribuens, diversasve perfectiones, sit tantum ex parte intellectus nostri, an etiam ex parte Dei, respondet pluralitatem illam contingere, non solum ex parte nostra, sed etiam ex parte Dei. *Et sic patet*, inquit, *quod pluralitas istorum nominum, non tantum ex parte est intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diversæ rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptibus, scilicet plena & omnimoda ipsius perfectio, secundum quam contingit, quod quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo, vere & proprie dicitur; non autem ita quod aliqua diversitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum.* Quid intelligit velim, Angelicus, dum dicit quod pluralitas nominum ex quibus diversæ conceptiones seu diversæ rationes, se tenet ex parte ipsius Dei, in quo summa ejus perfectio est id quod correspondet iis rationibus, quæ vere & proprie de illo dicuntur? Nonne iis verbis directe significatur, quod independenter a mente nostra, & ante ipsius operationem, est vere & proprie aliquid in Deo in quo fundatur pluralitas conceptuum, qui conceptus exprimuntur seu manifestantur per varia nomina divinas perfectiones designantia; quæ perfectiones & attributa fluunt necessario ex pleni-

P 2 nitu-

nitudine omnimodæ ejus perfectionis, quæ in Deo non potest non esse, cum de ratione primaria entis a se quod est Deus, sit esse summe perfectum; quæ summa perfectio, non in quantum est merum nomen, aut pro ut a mente nostra concipitur, sed ut realiter ac proprie complectitur omnia attributa, non virtute aut potentia, sed actualiter & vere, est illud quod correspondet variis nostris conceptibus, ratione cujus illa nomina manifestantia nostros conceptus, & quodlibet attributum sigillatim significantia, dicuntur, non ex nostro intelligendi modo, sed vere & proprie dicuntur de Deo, ex eo quod illas omnes perfectiones, nedum eminenter ac in globo possidet Deus, sed actu & singillatim independenter a nostræ mentis operatione, hæc omnia & plura attributa in Deo concipientis, illaque de eo prædicantis, ipsa plura vere & realiter actu in Deo sunt. Nonne præcise illud sonant verba laudata ex Divo Thoma?

Ne autem ex realitate fundamenti ex quo diversitas conceptuum, quod esse intrinsecum Deo, & independenter a modo nostro intelligendi, ostendunt ipsius verba, inferret aliquis distinctionem realem in sensu Gilberti, quæ sola tunc temporis vocabatur distinctio realis, quasi in Deo admitteret Angelicus aliud & aliud, ex quo poneretur in ipso multiplicitas, vel diversitas compositionem indicans, expresse subjungit; *non autem ita quod ratione istorum attributorum ponatur in re quæ Deus est aliqua diversitas vel multiplicitas:* si vero non aliam inter attributa supponeret Divus Thomas distinctionem, quam illam quæ est penes intellectum, ut quid ipsi erat timendum quod ex illa compositionem in Deo aliquis concluderet? Hanc objectionem quæ supponit aliquid independens ab operatione mentis, & existens a parte rei, antevertens Doctor Angelicus, implicite significat divina attributa esse in Deo distincta inter se plus quam per nostrum concipiendi modum, imo actum mentis inter ea distinguentis, fundari in ipsa distinctione attributorum ab invicem; quæ licet realiter identificentur, non tamen sunt in se formaliter unum & idem. eamdem sibi proposuerat difficultatem Doctor Subtilis, ut alias vidimus, hancque solverat, ostendens ex variis formalitatibus quas admittebat in Deo, & ex distinctione a parte rei quam inter eas statuebat, minime in ipso sequi compositionem, unde non immerito colligi posset, eumdem esse in rei veritate utriusque Doctoris sensum, cum eamdem patiatur difficultatem utriusque respective sententia.

Nec movere debet quod nonnulli Thomistæ velint suum Angelicum præceptorem, dum verba ex ipso relata scribebat, non aliam intellexisse multiplicitatem ac diversitatem attributorum in Deo, præter eam quæ est a mente nostra inter illa ratione distinguente, ita ut nihil sit in Deo præter illam omnimodam perfectionem, per quam essentia Divina, quæ est una & simplex, pluribus tamen æquivalet, legitimumque præbet intellectui nostro, qui ex imbecillitate sua, vel deficientia non valet uno conceptu intelligere Deum ob ipsius Eminentiam, & perfectionis plenitudinem, fundamentum distinguendi. Id, inquam, movere non debet, tum quia non habet ullum verbum Divus Thomas de illa æquivalentia unius rei simplicis ad

plu-

plures ; tum ex eo quod nullibi docet multitudinem , vel pluralitatem attributorum in Deo se tenere ex parte intellectus , ita ut unum sit in Deo attributum, quod multiplex dumtaxat fiat per operationem mentis illud considerantis eodem modo ac si vere multiplex esset. Dicit S. Doctor, esse aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptibus , summam scilicet ejus perfectionem, quæ verba idem sonant ac complexionem cunctarum perfectionum, quas cum limitata mens nostra unico actu capere nequeat , distributive inspiciat oportet perfectiones illas , quæ vere & proprie de Deo dicuntur , quia vere & proprie in ipso sunt , quas collective non intelligit . Et hinc repetitur juxta Angelicum realitas fundamenti, propter quod intellectus noster, non ex arbitrio & ad placitum , sed ex ratione vera , se tenente ex parte objecti , scilicet ex pluralitate perfectionum seu attributorum, vere & legitime illas distinguit, aut ut vere distinctas illas considerat : si Deum comprehenderet humana mens, omnia quæ in illo sunt unico actu intelligeret ac videret idve non ob indistinctionem eorum quæ intelligeret , sed quia omnia illo unico actu mente comprehendente , non esset secundo actui locus, cum nihil ex supposito remaneret circa quod versaretur ; tuncque omnia unico nomine exprimeret juxta illius rationis unitatem , ut fiet in patria , secundum illud Zachariæ: *In illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum*. Verumtamen , inquit Angelicus Doctor , si intellectus videns Deum, per essentiam imponeret nomen rei quam videret, & nominaret mediante conceptione quam de ea habet, oporteret adhuc quod imponeret plura nomina, juxta diversas conceptiones quas de re visa formaret, cum illud nomen unum non significaret bonitatem tantum, nec sapientiam tantum , aut aliquid hujusmodi , sed significata omnium istorum includeret . & id provenit ex eo quod conceptio intellectus creati non potest repræsentare totam perfectionem divinæ essentiæ: unde Angeli laudant Deum , ut dicit Chrysostomus, quidam ut Majestatem, quidam ut bonitatem, & sic de aliis, quia ipsum non vident visione comprehendente. pluralitas igitur nominum correspondentium diversis conceptionibus quas de Deo format mens creata, venit ex hoc quod ipse Deus illam excedat propter plenitudinem perfectionis suæ . & ob hanc perfectionis plenitudinem vel eminentiam diversis nominibus significanda essent ea quæ in se complectitur . ast quare hæc forent diversis nominibus significanda , nisi quia de significatis distinctæ formarentur conceptiones ? Et cur distinctæ formarentur significatorum conceptiones, nisi quia ante mentis ea concipientis actum distincta essent harum conceptionum objecta, quæ sunt totidem rationes fundantes distinctionem: quæ enim sunt formaliter indistincta seu formaliter unum, unico significantur nomine , quia unica eorum formatur conceptio . & illæ rationes fundantes illam distinctionem circa quam exercetur mentis actus, se tenent ex parte Dei, qui est illa res, non multiplex, sed una, in quo est aliquid, nempe plena ejus perfectio, respondens pluralitati istarum rationum, ob quas distinctæ omnes illæ conceptiones, huic rei scilicet Deo aptantur , ut loquitur Sanctus Thomas . Eminentia igitur perfectionis divinæ fit quod omnes omnino perfectiones in gradu eminentiori

ri contineat essentia divina; sed ex ea non fit quod una perfectio non sit alia, illæve inter se & ab essentia distinguantur, sed illud oritur ex natura ipsorum attributorum, quæ licet realiter invicem identificentur, non sunt tamen secundum propriissimam uniuscujusque formam unum quid & idem; ex quo de illis variæ & distinctæ cum legitimo fundamento formantur conceptiones, quarum objecta & rationes sunt in ipso Deo ex cujus parte se tenent, ut sæpe dixit Sanctus Doctor, & hæc vera ipsius doctrina.

Hanc autem ne quis dicat nos non fuisse assecutos, plus realitatis tribuendo hujusmodi fundamento ansam præbenti rationi has varias perfectiones distinguendi, quam Doctor Angelicus illi tribuat, ipse est adhuc audiendus, mensque ipsius plenius est aperienda. sic loquitur in 1. Sent. dist. 2. quæst. 1. art. 2. in corpore. *Dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & hujusmodi, quorum quodlibet est ipsa divina essentia, & ita omnia sunt unum, & quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientiæ, non est bonitatis in quantum hujusmodi, relinquitur, quod sunt diversa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei*. Quibus verbis similia prorsus sunt ea quæ habet variis in locis, pro ut ab ipsis Thomistis referuntur, inter quos Petrus de Godoy Magister Salmanticensis ex ordine Prædicatorum, Oxomensis quondam Episcopus, tract. 1. disput. 5. parag. 6. *Dicendum*, inquit Angelicus Doctor, *quod differunt nomina attributorum secundum rationem, non tamen quæ sit solum in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re secundum veritatem & proprietatem rei*. Duo habemus in laudatis Angelici verbis, & pluralitatem attributorum, quorum unum quodque distributive est in Deo secundum sui verissimam rationem: & eorumdem diversitatem, cum ratio unius non sit ratio alterius; quæ rationum diversitas non est fætus mentis nostræ tantum, pro tempore quo circa ea ut diversa sunt occupatur, sed est etiam juxta proprietatem ipsius rei, Dei scilicet cujus sunt attributa. sic fundamentum distinctionis ex ipso Doctore, se tenet ex parte objecti, & in illo est vere & proprie, & non proficiscitur illud fundamentum ex operatione nostri intellectus de illo cogitantis, quin potius, si accurate perpendatur modus loquendi S. Thomæ, actus mentis distinguentis nititur illo fundamento, non ut per mentem supponitur, sed eo modo quo invenitur ab ea, illique repræsentatur tale objectum, in se vere & realiter continens quam plura attributa, quorum rationes cum sint diversæ, ut jam dictum est, sunt veræ signum distinctionis, & ut revera distinctæ menti repræsentantur.

Ad mentem Doctoris Angelici ipsiusque intentum si attendamus, ipsum voluisse fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ esse reale quid ex parte objecti, ab actu mentis penitus independens, hancque distinctionem ab eo dictam esse rationis per exclusionem distinctionis realis quam admiserat Gilbertus Porretanus, facile erit compertum. Cum Gilberti distinctione non remanente salva summa Dei simplicitate, ne cum illo videretur sentire S. Thomas distinctionem admittens, quæ pluralitatem seu separabilitatem, proindeque veram compositionem in Deo importaret, distinctionem quam non pote-

poterat non intueri inter essentiam & attributa, sicut & inter attributa secum collata, voluit esse secundum rationem, in quantum hæc stat cum unitate reali seu identitate, quam tollebat Gilbertina distinctio. ne autem aliquis existimaret illam distinctionem rationis esse præcise opus mentis, nihilque habere realitatis aliud præter modum intelligendi, actumve intellectus transitorium, docet hanc mentis operationem vere fundari in ipsa re; quod fundamentum, ut nemo non videt, est quid reale præcedens mentis actum, & ab eo independens; quod satis est ut distinctio illa rationis vere & indubitanter dicatur realis, & sit. illud utrumque declarant ista verba ex eodem loco ubi supra. *Ad primum ergo dicendum, quod pluralitas attributorum in nullo præjudicat summæ unitati, quia ea quæ in aliis sunt ut plura, in eo sunt unum, & remanet pluralitas tantum secundum rationem, quæ non opponitur summæ unitati in re.* Quæ verba comparari debent cum iis quæ habet sequenti Articulo tertio, & rem totam perfecte explicant. *Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, sapientia & bonitas, & omnia hujusmodi sunt omnino unum re in Deo, sed differunt ratione. & hæc ratio non est tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.*

Juxta eumdem sensum sibi constans Doctor Angelicus est intelligendus, dum de essentia divina & relationibus agens sic loquitur 1. par. quæst. 28. art. 2. *Manifestum est quod relatio realiter existens in Deo, est idem essentiæ secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, pro ut in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ: patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sed unum & idem.* Quibus verbis veram distinctionem quæ est inter relationes & essentiam minime tollens, solummodo illas non esse in Deo aliud & aliud significat. idcirco subjungit, *non sequitur quod in Deo præter relationem, sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione.* Quod provenit ex ratione generali quam sæpius adduximus, scilicet quia quæcumque sunt in Deo, realiter cum illo identificantur, etsi virtualiter aut formaliter distinguantur.

Sanctum autem Doctorem dixisse distinctionem de qua agitur, distinctionem rationis præsertim ut firmata magis videretur illa realis identitas quæ in Deo est, longiusque a Gilberto recederet, intelligitur ex iis quæ habet quæst. 39. art. 1. „ Respondeo, quod considerantibus Divinam Simplicita„ tem, quæstio ista in manifesto habet veritatem. ostensum est enim supra, „ quod Divina Simplicitas hoc requirit, quod in Deo sit idem essentia & „ suppositum, quod in substantiis intellectualibus nihil est aliud quam per„ sona. Sed difficultatem videtur ingerere, quia multiplicatis personis Divi„ nis essentia retinet unitatem. & quia, ut Boetius dicit, relatio multipli„ cat personarum Trinitatem, posuerunt aliqui hoc modo in Divinis differ„ re essentiam & Personam, quo relationes dicebant esse assistentes, consi„ derantes in relationibus solum, quod ad alterum sunt, & non quod res „ sunt, sed sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt, ita in „ Deo sunt ipsa essentia Divina. Ex quo sequitur quod in Deo non sit aliud „ essentia quam persona secundum rem, & tamen quod personæ realiter ab

„ invi-

„ invicem distinguantur. Persona enim significat relationem pro ut est sub-„ sistens in natura divina. Relatio autem ad essentiam comparata non dif-„ fert re, sed ratione tantum. comparata autem ad oppositam relationem, „ habet virtute oppositionis realem distinctionem. & sic remanet una essen-„ tia & tres personæ. " ex quo relato testimonio, sicut & quampluribus Angelici textibus qui possent afferri. non immerito colligitur, ipsum nihil aliud voluisse per distinctionem rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re, quam unam statuere aut defendere distinctionem quæ opponeretur distinctioni reali, ad sensum juxta quem fuerat præcedenti sæculo proscriptus error Gilberti, cum quo ne ullo modo coincideret, nec verbum quidem distinctionis realis voluit usurpare; apprime intelligens, quidquid habet reale ipsius distinctio rationis, quod in fundamento in re sufficienter exprimebatur, licet hoc verbo velut obtectum, ut male affectis fortasse subriperetur, haud difficile ab hominibus recto judicio pollentibus fore dignoscendum: quos ut non lateret, neve illos alio traduceret simpliciter dicendo, attributa esse diversa vel distingui ratione, addit ea differre, non *tantum ex parte ratiocinantis*, *sed ex proprietate ipsius rei*, ut superius vidimus, quod multoties, non crediderim, ipsum absque industria addidisse.

Verum ut suæ distinctioni quam dicebat rationis, multum nihilominus tribuere realitatis Divum Thomam in mente habuisse plenius innotescat, quædam ex illo hic addere juvat. quare autem circa illam tantopere insistamus mox planum fiet. Sic in 1. sent. dist. 33. quæ. 1. art. 1. distinctionem statuit inter essentiam divinam & relationes dicens, non esse utriusque rationem eamdem, sed aliam & aliam; quamvis verum sit & simpliciter confitendum proprietates esse divinam essentiam, quia in ipsa essentia fundatur relatio quantum ad suum esse, in quo differt a relationis respectu, quo ad alterum refertur. *est natura divinæ simplicitatis*, inquit, *ut in ipsa non nisi unum esse possit esse*, *nec in ea differat esse*, *& quod est*, *& quo est*: quæ loquitur Angelicus Doctor eo loci, ut a Gilberto se recedere omnimode ostendat, ut ex contextu fit manifestum, omnia quæ sunt in Deo unum quid realiter esse cum illo significans. *illud ergo esse paternitatis non potest esse aliud esse quam esse essentiæ*, *& cum esse essentiæ sit ipsa essentia*, *& esse paternitatis sit ipsa paternitas*, *relinquitur de necessitate quod ipsa paternitas secundum rem*, *est ipsa essentia: unde non facit compositionem cum ea*. Huc usque hanc identitatem realem omnium quæ sunt in Deo, ex qua sequitur in illo nullam esse compositionem, statuit. distinctionem deinde, quæ est inter essentiam & relationes non obstante reali illa identitate, quæve non repetitur ex mentis actu, sed fundatur in ipsa re sic ostendit. *Sed quia manet ibi verus respectus pertinens ad naturam*, *relationes quæ non pertinent ad rationem essentiæ*, *ex illo respectu relatio potest distinguere quamvis essentia non distinguatur*, *de cujus intellectu non est iste respectus oppositionem habens*, *& per consequens distinctionem causans*. *& ita dicendum quod proprietates sunt idem re*, *sed differunt ratione*. quæ verba intelligi non possunt nisi de relationibus comparate ad essentiam, cum comparatæ inter se distinguantur realiter. unde sic prosequitur quibusdam

dam interjectis, *dico igitur quod cum dicitur ad aliquid sunt, intelligitur de esse quod est quidditas rei quæ definitione significatur, quia ipsa natura relationis per quam constituitur in tali genere est ad aliud referri, & non intelligitur de esse quod est actus essentiæ... & sic dico quod non oportet quod esse essentiæ divinæ sit ad aliud se habere, quia illud esse in quo paternitas & essentia uniuntur significatur ut esse, quod est actus essentiæ; non autem uniuntur in esse quod significat definitio rei, quia alia est ratio paternitatis, quæ ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ.*

Quid enucleatius superest exoptandum, ut tot invitis verborum involveris quibus amicitur rei cardo, distinctionem, quæ ab Angelico Doctore admittitur inter essentiam & proprietates relativas, esse vere realem, nec ullatenus ab actu mentis pendere dignoscatur? Nonne diversitatem ex natura rei non importat hæc vox, *alia & alia ratio*, ratio nempe paternitatis, quæ ab illo dicitur alia a ratione essentiæ? quæ verba idem reapse sonant cum iis Augustini verbis variis in locis, *aliud est esse Deum, aliud esse Patrem*? Nonne ubicumque reperitur aliud & aliud, quædam non est a parte rei inter utrumque distinctio; permanente nihilominus identitate reali essentiam inter & relationes personales, ob quam licet sint tres personæ divinæ, quarum quælibet Deus est, non sunt tamen tres Dii, sed unus Deus? unde concilianda sunt verba Divi Thomæ, ut integer ex iis habeatur sensus. relatio juxta ipsum, habet duplicem respectum; unum, qui pertinet ad naturam, & ille est, quid absolutum; alterum, qui habet oppositionem, & non pertinet ad rationem essentiæ, & est quid relativum, fundatum tamen in natura, cum omnis relatio, quamvis alio respiciat, & referatur, & referat, fundetur in absoluto: qui respectus oppositionem habens, causat distinctionem. ex quo fit quod proprietates, quæ sunt idem re cum essentia, differant ratione. verum qua ratione? Numquid ratione ex parte ratiocinantis tantum? Nequaquam: sed ex propietate ipsius rei, in quantum scilicet, *alia est ratio paternitatis quæ ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ*. una, quid absolutum dicens, altera, quid relativum.

Ne autem crederetur Divus Thomas incidenter fuisse locutum, ita ut verba juxta sensum mox expositum relata, veram ipsius doctrinam non continerent, vel aliquis superesset de mente ejus ambigendi locus, ut eam magis ac magis aperiat, hæc addit respondens secundo argumento. *sed paternitas habet aliquando in quo non unitur cum essentia, scilicet rationem paternitatis, quæ est alia a ratione essentiæ.* in eo igitur in quo essentia & relatio non uniuntur, revera inter se distinguntur. Quomodo igitur distinguntur, nisi in quantum rationes illarum sunt diversæ. est ne autem illa ratio actus mentis, vel aliquid quod significatur per rationem quæ rem ipsam deffiniat, declarat ad tertium respondens his verbis. *Sciendum quod ratio sumitur dupliciter. quandoque enim ratio dicitur id quod est in ratiocinante scilicet ipse actus rationis... quandoque enim ratio est nomen intentionis, sive secundum quod significat diffinitionem rei, pro ut ratio est diffinitio. Dico igitur, quod cum dicitur quod est alia ratio Paternitatis & essentiæ in divinis, non accipitur ratio secundum quod est*

Q in

in ratiocinante tantum, sed secundum quod est nomen intentionis & significat diffinitionem rei. quibus semper ostenditur, distinctionem relationis & essentiæ fundari in natura rei independenter ab intellectus operatione, excludendo nihilominus, ut dictum est, distinctionem in sensu Gilberti, de qua agit in illo articulo; ideoque addit, *ratio quam dicimus aliam & aliam in divinis non est in re*; quasi in Deo essent duæ res: *sed in re aliquid respondens ei in quo fundatur, scilicet veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur.* ex quibus fit manifestum distinctionem proprietatum ab essentia habere fundamentum reale in ipsa rei natura ante quamlibet mentis operationem, illamque non esse in sola mente quæ cogitat, sed esse ab aliqua ratione ipsis attributis intrinseca.

Hæc igitur est doctrinæ Angelici Doctoris summa circa præsentem quæstionem. quæcumque sunt in Deo, unum quid & idem sunt realiter inter se & cum essentia, nec ulla inter ea potest admitti realis distinctio, quæ separabilitatem importet aut divisionem, vel ex qua sequatur in Deo compositio, ut admisisse videtur Gilbertus. & cum Divo Toma in hac parte stant omnes Theologi. Verum etsi omnia sint unum re, cum in Deo sit unicum esse, sunt tamen diversa ratione; & ex rationum diversitate, quæ non se tenet solum ex parte ratiocinantis, seu humani intellectus, sed etiam, & principaliter se tenet ex proprietate ipsius rei, Dei scilicet ipsiusque perfectionum, quæ sunt totidem divinæ essentiæ attributa, fit quod mens nostra inter hæc omnia distinguat, non ex arbitrio, sed ex fundamento quod reperit in natura ipsius rei; quodve fundamentum, etsi intellectus, ad quem solum pertinet exercere actum suum circa illud, non distingueret inter ea; remaneret nihilominus in ipsa re, quæ ex sua natura est verum ac legitimum fundamentum actus, quem exercet intellectus distinguendo inter ea quæ cum Deo, & inter se realiter identificantur. cum autem illud fundamentum nihil aliud sit quam diversæ rationes quæ sunt in Deo, & secundum quas unumquodque attributum est in Deo secundum sui verissimam rationem, ita ut ratio Sapientiæ non sit ratio Bonitatis, in quantum sunt Sapientia & Bonitas, nec ratio Essentiæ sit ratio Paternitatis, ut diximus post Divum Thomam, distinctio quæ nititur illis rationibus quæ sunt illius fundamentum, vocatur distinctio rationis, non ratiocinantis, quæ tunc nihil aliud diceret præter actum mentis transitorium, sed ratiocinatæ, quæ] habet in re fundamentum permanens & stabile; atque independens a transitorio illo actu intellectus distinguentis, vel considerantis, ea quæ sunt realiter identificata, eodem modo ac si vere & realiter non identificarentur.

Ex sic exposita summatim doctrina Angelici Doctoris quam non ipsius esse nullus veritatis amicus dicet, non facile minus quam necessario colligitur, distinctionem de qua movetur quæstio, etsi dicatur rationis ex iis rationibus quibus nititur, & quæ sunt verum illius fundamentum, quod si tolleretur, hæc distinctio nihil esset præter ens rationis non fundatum, proindeque inane otiosæ mentis commentum, esse realem non minus quam sui fundamentum est reale, cum istius naturam hæc debeat participare. rationes di-

diversæ illud constituentes, nullatenus pendent ab intellectus operatione, utpote quæ sint in natura vel proprietate rei ipsius, ut loquitur D. Thomas; illæque rationes pro ut intelliguntur, vel secundum quod nomen sunt intentionis, ut illius utamur verbis, significent diffinitionem rei; quæ diffinitio, cum explicet rem diffinitam, vere ac realiter fundat illam distinctionem, estque basis actus illius transitorii intellectus distinguentis inter diversas proprietates, quarum diffinitiones seu rationes sunt aliæ & aliæ.

Hinc colligitur insuper, eodem jure illam posse vocari distinctionem realem, quo formalis Scotistica distinctio dicitur realis, ex eo quod diversæ illæ formalitates in quibus fundatur, quæque nihil aliud sunt quam Dei perfectiones, divinaque attributa, quæ ab Henrico nominantur intentiones, a veteribus Thomistis rationes objectivæ dicuntur, habent independenter ab actu mentis diversas rationes suis notas definitionibus; ex quibus fit quod licet vere ac realiter inter se identificentur, & cum Deo, cujus sunt formalitates, sint unum quid & idem, nihilominus distinguntur formaliter, quia ratio unius formalitatis non est ratio alterius, etiam circa illas actum non exercente intellectu. & juxta sensum Doctoris Angelici mox expositum concedebat Doctor Subtilis in 1. dist. 2. quæ. 7. suam formalem distinctionem quam realem seu a parte rei esse volebat, " posse vocari distinctionem seu differentiam rationis, non in quantum ratio accipitur pro differentia formata " ab intellectu, sed in quantum ratio accipitur pro quidditate rei, secundum " quod quidditas est objectum intellectus: posseque pariter vocari distinctio- " nem virtualem, quia illud quod habet talem distinctionem in se, non ha- " bet rem & rem, sed est una res habens virtualiter, sive eminenter quasi " duas realitates; quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud pro- " prium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta. "

Investigata jam vera Doctoris Angelici mente, eadem diligentia qua mentem Doctoris subtilis fueramus perscrutati, utriusque sententia omnibus ponderibus examinata, illorum verbis intentissimo animo pensitatis, ne plus conjecturæ, vel anteceptæ jam animo opinioni, quam veritati tribueremus, quæstionem demum persolvamus.

ASSERTIO UNICA.

Distinctionem rationis ratiocinatæ Divi Thomæ inter & distinctionem formalem Scoti nihil interest discriminis præter phrasim: utriusque Doctoris enim, Angelici & Subtilis opiniones, sermone licet dissonæ, in re tamen penitus congruunt; & quidquid est inveterati inter utramque Scholam ex hac parte dissidii, in utriusque Doctoris interpretes, verba præceptorum ad voluntatem interpretantes, videtur prorsus refundendum.

Circa positam quæstionem quid sentiam vix aperui, & jam innumeros ex omni parte in me asperius deblaterantes audire mihi videor, mentemque meam veluti portentosum quoddam protulerim suggillantes dicere,

Job. cap. 12. *ergo vos estis soli homines , & vobiscum morietur sapientia ?* Verum levis doctrinæ hominibus permultis, qui Divi Thomæ aut Scoti volumina nec etiam a longe salutarunt, quid de hac re videatur non multum interest. Scientibus, ex æquo & bono, minime vero ex studio judicantibus, rem totam committo, assertionem ex jam dictis quasi evidentem breviter confirmaturus.

Distinctionem itaque rationis ratiocinatæ, quam & virtualem Thomistarum dicemus, distinctionemque formalem Scotistarum phrasi dumtaxat differre, reapse tamen eamdem esse juxta utriusque Scholæ principes, ostendunt rationes Angelici Doctoris, a formalitatibus Doctoris Subtilis sermone solummodo discrepantes: illæque nec plus nec minus præ aliis habent realitatis. Diversæ illæ rationes quibus tamquam vero fundamento ex principiis Divi Thomæ, nititur distinctio rationis ratiocinatæ, nihil aliud sunt præter illud quod reperitur tum in essentia divina, tum in divinis attributis, ex quo, prout menti nostræ obiiciuntur, oritur necessario diversitas conceptuum essentiam divinam ipsaque attributa diversimode repræsentantium, ex qua diversa essentiæ & attributorum repræsentatione, quæ necessario sequitur illam conceptuum diversitatem, necessario se tenet distinctio quæ inter ea reperitur. Hæ autem rationes, licet, in quantum sunt objecti repræsentativæ, & pro tempore quo illud repræsentant, vere sint in mente nostra, non producuntur a mente nostra, sed fundantur & salvantur in ipsa re, essentia nempe divina, divinisque attributis secundum veritatem & propietatem ipsorum: & objectum fideliter adeo repræsentant menti nostræ rationes illæ, ut illud differentiant exhibendo illud nobis eo modo præcise quo ipsis obiicitur, & non alio: ex quo fit quod objecta illa quorum sunt rationes, non repræsentantur menti nostræ ut diversa & inter se distincta, nisi quia vere inter se distinguuntur, etiam si ratio in quantum est ex parte ipsius ratiocinantis, circa illa non exerceretur. sed formalitates illæ in quibus fundatur distinctio Scotistica, quæ vocatur formalis ex illis formalitatibus inter quas reperitur, nihil aliud pariter sunt præter id quod, in essentia divina & in divinis attributis, prout menti nostræ objiciuntur, fundat necessario diversitatem conceptuum illa nobis diversimode repræsentantium; & ex hac diversitate conceptuum, quam operatur necessario diversa hæc repræsentatio, repetitur distinctio eorum, quorum conceptus sunt ex natura sua vel a parte rei diversi ante omnem mentis actum; illique conceptus similes rei cujus sunt conceptus, illam fideliter menti nostræ repræsentant pro ut illa est in se, nobis ut distincta exhibendo quæ vere, etiam si menti nostræ sic non repræsentarentur, sunt inter se distincta, ex eo quod conceptus non faciant rem talem, illam sic repræsentando, sed ex opposito illam, dum in mente nostra formantur, sic repræsentent quia in se talis est. certum igitur manet, totum discrimen inter sententiam Thomistarum & Scotistarum de distinctione tum formali, tum rationis ratiocinatæ, esse penes phrasim: & utrumque Doctorem sermone tantum differre, sed re sibi invicem convenire.

Concertent igitur & litigent sive Thomistæ sive Scotistæ: (hæc ad pleniorem

rem afferti intelligentiam & confirmationem addere liceat) penes verba tota lis est. istorum formalitates, illorum rationes objectivæ, sunt unum quid & idem. utræque sunt variæ formæ, seu respectus diversi, juxta quos diversæ rei proprietates, a re cujus sunt, & ab invicem inseparabiles, quia cum illa & inter se realiter identificantur, sigillatim seu individualiter, si ita loqui fas sit, & sub propriissimo respectu considerantur: quæ formæ, qui respectus, dum a mente nostra attinguntur, gignunt & veluti procreant diversos conceptus formales ipsis correspondentes. qui conceptus formales, etsi opus mentis, fundantur realiter in natura rei cujus sunt rationes objectivæ & formalitates, vereque illius quidditatem significant & definiunt, in quantum res ipsa potest definiri; sicque vere in se fundant utriusque Scholæ respectivam distinctionem; quæ, sive dicatur rationis, ut loquuntur Thomistæ, sive dicatur formalis, ut placet Scotistis, eumdem ex utraque parte gradum habet realitatis, cum utriusque fundamentum sint, vel formalitates Scotisticæ, vel rationes objectivæ Thomisticæ, quæ se tenent ex parte rei, & opus mentis dici nequeunt, cum ab actu mentis, qui circa illas exercetur, in re, cujus sunt proprietates, realiter supponantur.

Verum dicet fortasse aliquis, ut quid vocantur formalitates? cui mox respondebitur, & ut quid vocantur rationes objectivæ? Nonne par & eadem utrobique est ratio? De rebus metaphysicis, & ad divinitatem spectantibus, quæque proinde intellectus humani captum quodammodo superant, loquentes homines, non possunt loqui nisi ut homines sunt, ac metaphysico sermone, vocibusque ad arbitrium significantibus utentes; quarum si semel determinetur sensus juxta quem usurpantur a rerum tractatoribus, nec in alienum, rixæ & contentionis amore, detorqueantur, brevi lites cessabunt, ac componentur controversiæ. suæ fundamentum distinctionis dixerit Divus Thomas rationes quæ sunt aliæ & aliæ, secundum quod ratio nomen est intentionis significans diffinitionem rei, quæ menti nostræ ut est in se, his rationibus repræsentatur: suæ vero distinctionis fundamentum Scotus dixerit, diversas formalitates, quæ nihil aliud sunt quam rationes distinctæ quæ sunt in objecto, quas intellectus attingens format conceptus apprehensivos omnino diversos, imo & oppositos, ut sunt in Deo rationes attributales & relativæ, quid interest? rationes objectivæ Doctoris Angelici, ut ostendimus ex ipso, sunt aliæ & aliæ, non per rationem ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei: rationes formales Doctoris Subtilis, ex quibus formantur conceptus formaliter diversi, sunt aliæ & aliæ non per intellectum res formaliter easdem distinguentem, sed ex natura ipsius rei, cujus una formalitas, ut talis considerata non potest esse formaliter eadem cum alia formalitate pariter ut talis est considerata: alioquin non essent alia & alia formalitas, non essent alia & alia ratio, ut loquuntur Angelicus & Subtilis. Differunt igitur utriusque opiniones in verbis & sermone dumtaxat, nullo modo autem in re ac veritate.

Quantum supponat & habeat realitatis Thomistica distinctio rationis ratiocinatæ, ob quem realitatis gradum vere coincidit, & eadem est cum formali distinctione Scotistica, multos Thomistas non latuit, qui ut inter utramque

que discrimen verum statuerent, multo plus realitatis tribuerunt Scotisticæ distinctionis, quam illa patiatur, & ultra Doctoris Subtilis intentum. Nec defuere qui ipsis hac in parte faverent non pauci Scotistæ, suo præceptore longius multo progredientes. ex eo quod omnem actum intellectus præcedere distinctionem suam formalem, quæ est quantum ad sui realitatem ab illo, independens, diceret Scotus, volens divinas perfectiones, quæ cum Deo & inter se realiter sunt identificatæ, quantum ad suum esse formale vere distingui a parte rei, finxerunt adversæ sententiæ patroni, illas formalitates, quæ, ut sæpius observavimus, nihil aliud sunt in rei veritate, quam rationes divinarum perfectionum, fundantes necessario conceptus formaliter diversos, esse in mente illius res & res inter se realiter diversas, & aliquo modo a re cujus sunt & inter se separabiles, proindeque pluralitatem, in sensu veræ compositionis, secum importantes, non avertendo ex ipsis Scoti verbis judicium illud falsitatis argui; ipsum exinde idem, vel fere idem sentire quod voluerat Gilbertus Porretanus audacter divulgarunt; huic judicio licet falso, vires ex quibus vigeret, addentibus Scotistis, multo plus suæ formali distinctioni tribuentibus realitatis quam ipsa vere ex mente Doctoris habeat. quod, ut cum Thomistis, quos distinctionem, mere intellectualem qualibet carentem realitate propugnare putaverunt, non coincideret, vel ad fundandam in Scholis opinionum diversitatem, ex qua Theologiæ non parum utilitatis accedere arbitrabantur, fortasse excogitarunt.

Quod adversus distinctionem formalem sinistre sparsere nonnulli e Thomistica Schola, id idem ex opposito prædicaverunt de distinctione virtuali & rationis inter Scotistas non pauci, contendentes, ex eo quod illa esset opus intellectus, potius vocanda distinguibilitas, quam vera distinctio, hanc nihil aliud esse præter ens rationis, ex qua in divinis vera exurgebat confusio, eo ipso quod cum illa, utpote quæ formalem identitatem non excluderet, omnia remanebant realiter indistincta; quod ex omni parte absurdum videbatur Scotistis, quia tunc simul & secundum eundem respectum inter divinas perfectiones reperiebatur distinctio & indistinctio: quo semel posito Thomistis impossibile erat juxta Scotistas, mysteria Trinitatis & Incarnationis adversus hæreticos defendere. Istorum placita promovebant Thomistæ, summa cum diligentia quidquid speciem poterat præseferre realitatis ante mentis actum, a sua distinctione rationis procul amandantes, ne eo ipso quod in illa aliquid reale agnovissent a mente ratiocinantis independens, Gilberto adhæsisse reputarentur: non advertentes se verbis Angelici præceptoris addendo, ipsius sententiam omnino pervertere.

Hinc factum est, quod illi qui præceptoris utriusque placitis subnectere tentarunt primi, veram Angelici & Subtilis sententiam immutantes, ut alii cum aliis validius congrederentur, illorum verba in alienum sensum detorserunt, ea ex arbitrio interpretantes, ut quod bonum ipsis videbatur, etsi a vero alienum, id illos tenuisse deinceps crederetur. tunc ut quod ipsis in votis erat facilius attingerent, magistrorum scripta commentariis illustrare mentientes, ea falsa interpretatione inverterunt, propriæ mentis phantasmata

in locum Sententiæ illorum subjiciendo. Horum interpretum ingenuitati plus æquo tribuentes qui ipsos audiebant, primigenia Doctorum scripta non adire sensim assuefacti sunt; sicque temporum decursu quænam esset vera illorum doctrina incertum evasit: Thomistis interea cum Scotistis magno impetu concertantibus, suppostitiam sententiam pro patria ac primigenia ad invicem defendentibus. in illos ergo refundendum esse inveteratum illud inter utramque Scholam dissidium quis diffiteretur? verum illius detexisse originem quid juvaret, nisi de illo compescendo reapse cogitaremus?

Ad vos spectat o Thomistæ! vestrum est o Scotistæ! quotquot estis veritatis amantes; vanas simulque deridendas lites tandem componite. Vestros præceptores in eamdem abire sententiam, phrasi licet diversa, si rem ex æquo judicetis, non advertatis est impossibile. ut quid ergo iis quæ scripserunt, absonis interpretationibus odiosas dissensiones in ævum æternaturis, addere vos delectat? audiant Thomistæ unum e suis inter fidissimos Doctoris Angelici interpretes non ultimum, dicentem hanc distinctionem rationis ratiocinatæ vocari distinctionem rationis ex parte rei, quam Scotistæ videntur appellare distinctionem ex natura rei. Divi Thomæ & Scoti scripta attente perlegantur, secum convenire brevi intelligentur. Nec alicui stomachum moveat quod loquor, me potius vera dicentem nullus ex nostris sequi detrectet. ab Angelico non recessit hac in parte Subtilis, qui de semitis antiquis semper investigans, nova nusquam dicere voluit, licet multa nove, perspicuitati consulens, fari potuerit.

Penes verba utriusque Scholæ discrimen dumtaxat esse aliud argumentum est distinctionis tum virtualis Thomisticæ, tum formalis Scotisticæ usus. cum sua respective distinctione utriusque sententiæ patroni idem intentum habere existimant: ab Hæreticorum argumentis cum de Sanctissimæ Trinitatis mysterio, Verbique Incarnatione agitur, illius ope pariter se expediunt! quem ex virtuali distinctione cum fundamento in natura rei attingere scopum contendit Thomistica Schola, eumdem cum formali a parte rei, citius forte, atringit Scotistica Schola. una hac in re alteri non præstat. utraque adversus fidei hostes, clypeo sive formali, sive virtuali munita, æquo marte pugnat: eumdem utraque de illis reportat triumphum: Thomistarum & Scotistarum pro veritate, etsi vocibus diversis, certantium idem est propositum: nec plus nec minus aliquid moliuntur qui formali a parte rei distinctione armati debellant, iis qui virtute distinctionis rationis ratiocinatæ accincti congrediuntur. Verum qui res sic se habere posset si inter utramque hanc distinctionem quædam vera esset ac realis oppositio, & discrimen quod videtur esse inter utramque Scholam non se teneret solummodo ex parte verborum? Rationem istam attente perpendant quibus circa præsentis assertionis veritatem aliquod in mente remaneret dubium: quidquid ad illam ostendendam in medium protulimus diligenter examinent; & nisi opinionum diuturnitate eorum sit animus infuscatus, ipsis erit mirum sane, quod hinc inde a tot tantisque viris, de re facili concilianda negotio, tandiu fuerit decertatum.

Abs

Abs re fortasse non erit si obiter hic advertamus, nonnullos eorum quibus virtualis Thomistica arridet distinctio, Scotistica formali quam detrectant ab eis recte minus intellecta, eumdem realitatis gradum ipsi tribuere quem ista patiatur, dum dicunt illam, veram distinctionem fundamento reali nixam: hunc tamen realitatis gradum, quo merito gaudet Scotistica distinctio, quomodo vere habeat virtualis Thomistica, si solummodo se tenet ex parte intellectus, difficile intelligitur. suam denominationem ex natura fundamenti quo nititur potius quam ex facultate intellectiva actum transitorium circa eam exercente, debet desumere distinctio. Fundamentum illud est, ut vidimus ex Divo Thoma, quid permanens cum sit in natura rei, circa illam occupetur intellectus vel non: & ex illa perpetuitate fundamenti in natura rei, mentis actum antecedente (quod fundamentum est in ipsa quid reale) & non ex alia ratione, realis a Scoto dicta est formalis sua distinctio, ut pote quæ sit a parte rei, seu quod idem sonat, ut pote quæ fundetur in natura rei. idem cum de virtuali Thomistica affirment isti, distinctio realis meliori jure ab ipsis denominaretur quam distinctio mentalis. illudque de tali distinctione pronunciantes, quod scilicet vera sit distinctio, reali fulta fundamento, novas asserto addunt vires, utramque distinctionem, Thomisticam & Scotisticam, phrasi magis quam re discrepare ostendentes. utriusque intrinsecum est fundamentum; extra mentem humanam sita est illius ratio, quæ si non daretur, nulla esset menti causa legitima distinguendi, proindeque fictitium quid & vanum esset hujusmodi mentis actus intrinsecum illud fundamentum dicatur a quibusdam supereminens varios effectus producendi virtus, quid interest, modo illud non esse opus intellectus, sed independenter ab illo esse in subjecto vel in rei natura concedatur. Gratis ergo in nos garriunt qui veros Scotistas fingunt, quidquid realitatis habet formalis distinctio, illud repetere ex multiplicitate entitatum in subjecto eodem realiter existentium. Neque enim entia realia reputamus omnes illos gradus qui metaphysici vocantur, quorum naturam apte explicare erit semper difficillimum. illos ut proprietates rei cui insunt & a qua separari nequeunt, considerantes, de iis loquimur veluti essent entitates quædam, ut jam superius exposuimus, idque ut quamdam de illis nobis efformemus ideam pro ut fieri potest. varias illas proprietates, quarum una certissime non est formaliter alia, vere ac realiter inesse subjecto ac inseparabiliter, idve independenter a mentis actu sic se habere, contendimus: distinctionem, quæ inter eas reperitur, cujus signum infallibile est diversitas nostrorum conceptuum rei naturam ut in se est exprimentium, realem exinde non immerito vocantes, cum illius fundamentum sit vere quid reale, & a nostro intellectu independens, nempe realitas illarum diversarum proprietatum in subjecto vere ac realiter existentium, etiam si de illis nihil cogitaret intellectus, ut sæpius diximus, vel inter illas non distingueret, quoquo modo illæ in subjecto existant inconfusæ, quod perfecte intelligere frustra sibi blandiretur humana mens. Nihil aliud tenent veri Doctoris Subtilis discipuli, quodcumque superest, a Magistri doctrina alienum procul amandantes, & in

& in pseudo Scotistarum deliria refundentes. ex quibus bene, ut illa exponere tentavimus, intellectis evidenter colligitur quod ostendendum susceperamus, veros nimirum Thomistas, fidosque Scotistas a præceptorum placitis non recedentes, si res ut in se est consideretur, nec verbis ac sententiæ utriusque Magistri aliquid ex interpretum arbitrio addatur, sermone dumtaxat hac in parte differre, & in re omnino inter se consentire; quidquid ex pervetusta menti insita opinione contrarium permultis, re minime ex æquo librata, vulgo videatur. quapropter inveteratum illud inter utramque Scholam dissidium, in utriusque Doctoris interpretes verba præceptorum ad nutum ac lubidinem interpretantes, esse prorsus refundendum, non fuit temere aut inconsulto pronunciatum: quin potius id certum esse res ipsa clamat.

In resolvendis argumentis quæ adversus assertum a perpetuis disputatoribus opponi possent, non est quod immoremur, cum nihil sint præter sophismata & cavillationes, quæ nullius sunt momenti, nec quidquam absolvunt, modo ut oportet percipiatur, quid per rationem ratiocinatam, per fundamentum in rei natura, per proprietatem rei, significare voluerit Doctor Angelicus: quidve per formalitates, per entitates, per realitates, quæ non nisi improprie dicuntur entia, cum per se stare non possint, aut a re cujus sunt separari, sed solummodo in quantum sunt in subjecto ante actum intellectus, & independenter ab illo, res vel entia diminutive vocantur, intellexerit, ac intelligi voluerit Doctor Subtilis. unde quidquid opponeretur, ex iis quæ mentem utriusque Doctoris aperientes huc usque exposuimus, prompte, nulloque negotio enodabitur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Opiniones temporum decursu multum ponderis consenescendo inter eruditos obtinere quis inficiatur? Hinc plus honoris ipsis deberi ex auctoritate qua valent, ita ut ab iis recedere, potissimum ex quo usu vulgari apud illos sunt acceptæ, nimiæ temeritati plerumque tribuatur, consentiunt omnes. Errore nihilo secius veritatem numquam vincente, res altius repetendo, æquæ diligentisque censuræ face armata manu antiquiora etiam tempora perscrutando, quod Majoribus fuerit acceptum rimari, contra communem quoque pugnare opinionem hominibus eruditis semper licitum est. & modo ultra leges discreti censoris non tendat opus, placita etiam acceptissima libere refellere nusquam fuit vetitum. quidlibet in hac parte audendi talibus æquam semper fuisse potestatem nos scientes, qui hanc veniam petimus & vicissim damus, etsi nobis parum confideremus, artem quæsivimus qua de Thomistis ac Scotistis bene mereri possemus, utrorumque inimicitias interfecturi, ambosque, medium parietem materiæ solvendo, reconciliaturi: quod ut efficacius assequeremur, percelebrem hanc tractantes distinctionem tum virtualem tum formalem, perpetuæ inter utramque Scholam discordiæ fontem, post maturam & accuratam rei inquisitionem, litem

ad judicem rursus deferre non habuimus ambiguum, ut vera ac germana cujusque familiæ principis mente patefacta, de rei summa cautius simul ac tutius ab iis ad quos spectat pronuntiaretur. prospere an infauste id nobis cesserit, scietur temporibus suis.

Interea vitio nobis verti non existimamus, si de iis conqueramur, qui sententiam Scotistarum, dum a Doctoris Subtilis mente non recedunt, distinctionem formalem ex natura rei in divinis propugnando, recte minus accipientes contumeliose arguunt, nigroque calculo inscite notant. Illam in fide parum tutam & securam esse, eique non consentaneam, aut ab Schola veræ Theologiæ deportandam & expellendam, unde habent novi recentesque illi Theologi, pauca ex veritate, multa ex suorum opinione æstimantes? ut quid de re sibi ignota temere ac præcipitanter judicant? propius, inquiunt, ad Gilberti errorem illa accedit: sed illud quomodo probant? quam gratis id a nonnullis fuerit assertum, suo loco ostendimus. Hos uno verbo ut elingues reddamus, ipsis ex abundanti dicemus, nec Scoto nec Scotistis ignotum esse principium istud cui nullomodo contradicunt, quod in Divinis nulla datur distinctio realis, nisi ubi intercedit relativa & formalis oppositio. ipsorum igitur esset ostendere hujusmodi principii firmitatem stare non posse cum formali a parte rei distinctione, prout illam intelligit ac defendit Doctor Subtilis cum fidis suis discipulis; id autem qui ostenderit, erit mihi magnus Apollo.

Veram & accuratam distinctionis formalis ideam velut a puero habentes, illam ut certam, ac in fide quolibet ex capite tutissimam proposuimus; nec a nobis recedere quis poterit illam a vero abesse subodorans, nisi in illa exponenda & accipienda penitus deficiat. quo sensu realis hæc denominetur & sit, non obscure aperuimus; quod sine negotio intellecturi sunt, quotquot præjudicatæ opinioni vale dicentes, quantum sibi Doctores Angelicus & Subtilis invicem in rei veritate cohæreant, diligenter investigabunt, nobis imposterum, ex adversis, re comperta, futuri amici. id si, ut par erat, studiose perpendissent cujusdam familiæ eruditi non pauci, Scoti Sententiam, quam recte minus capiebant, acerbius non taxassent, sed cautius ac prudentius facientes, ut inquit ex eis unus, propter Subtilissimi Doctoris authoritatem, & totius Scotistarum Scholæ, de Theologia optime meritæ, a censura temperassent, pro ut suadebat ratio, æquitasve dictabat. Nec mirum cuiquam videri debet, quod diutius huic insistam rationi, impatiens contumeliæ Magistrum qui ulciscar, ut animus est elocuturus; vel potius, qui ex adverso sunt, a præjudicata opinione reduces facturus in veritatem.

In Deo omne quod dicitur, idipsum esse credentes cum Sancto Augustino, summæque ipsius majestati quæ ineffabilis est, honorificum potius silentium, quam ullam humanam vocem competere confitentes (omnia enim licet de Deo dici possint, nihil tamen de illo digne dicitur) Divinas ipsius perfectiones pro modulo nostro consideramus, de illis tacere indignum arbitrantes, etsi ut in se sunt, quandiu a Deo peregrinabimur, eas cognoscere non valeamus. non mirum igitur si de rebus divinis differentes, vocabula

cabula humana ipsis tribuendo, remotis nihilominus quibuslibet imperfectionibus, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio. multa in Deo esse quis non affirmaret? sed hæc multa, unum quid dicere quis renueret? ex multis quæ Deo insunt perfectionibus quamdam exurgere compositionem, ita ut in ipso esset aliquid perfectibile aut perficiens, asserere nefas. quæ inter illas reperitur distinctio, vera licet & a parte rei, quemcumque antecedens mentis actum, nullam divisionem dicit aut separabilitatem. Diversos esse illorum attributorum conceptus, oppositaque de illis prædicata quandoque verificari, ex quibus necessario colligitur illa omnia, in Deo licet & cum Deo realiter vereque identificata, in suo esse formali non esse stricte loquendo rem eamdem in sensu sæpius exposito, ille solus negaret qui ab Anomæorum partibus non recessisset. ex illa tamen conceptuum diversitate, aut prædicatorum oppositione in Divinis aliud & aliud, rem & rem non defendet nisi cui arrideret contra Catholicam Fidem Gilbertina distinctio. utrumque vitiosum illud extremum sapienter devitantes Thomistæ ac Scotistæ, a quibus nullus discedet veritatis amicus, mediaque incedentes via, illam in Deo admittunt distinctionem, quæ ipsius attributorum divinam multiplicitatem deceat, illæsa semper summa ipsius simplicitate: quæ distinctio, sive formalis vocetur, sive dicatur virtualis nihil interest, modo fundata sit in rei natura, ac in ipsa radicata juxta veram Doctoris tum Angelici tum Subtilis mentem, quorum sententiæ, prout ab ipsis tenetur, dum nihil addent Scotistæ ac Thomistæ, aut ab illa detrahent, feliciter a bellis invicem vacabunt.

SECTIO TERTIA.

De variis Dei attributis sigillatim spectatis.

DEum, quem unum & unicum, fide ac ratione ducibus, adversus Gentiles & Hæreticos suo loco ostendimus, quibuscumque dotatum attributis quæ perfectionem quocumque modo sapiant, præcedenti sectione sæpius commemoravimus. De iis omnibus, ut pote quæ aut incognita nobis, aut ineffabilia ex omni parte, disserere frustra vel temere magis tentaremus. De iis solummodo sigillatim investigabimus, quæ ad hominum captum utcumque accommodata videntur, ne plusquam oportet sapere arroganter præsumamus. illud Augustini Serm. 117. de Verb. Joan. 1. præ oculis mentis perpetuo habentes, in rebus divinis piam ignorantiam meliorem esse quam præsumtam scientiam. Divina illa attributa nominibus positivis exprimantur, perfectionesve formales & positivæ dicantur, vel negationes præseferant, in quantum omnem defectum cunctamque imperfectionem ab illo perfectionum pelago penitus removent, parum ad nostrum propositum interest. in hujusmodi quæstiunculis & veluti tricis immorari quid juvat? quæ scitu digna sunt, vel quæ ignorare indecorum, ea dumtaxat attingemus, qui de Deo nostro non nisi grandia proloqui deberemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quo sensu Deus sit infinite perfectus.

DEum esse illud quo nihil majus, melius, & perfectius excogitari potest jam dictum fuit: ex quo illum infinitum dicendum esse videtur sequi, cum omni finito aliquid melius, majusve, atque pefectius possit excogitari, illud nimirum quod sine quolibet ac termino careret, seu quod idem est, illud cujus summa perfectio nullo limite circumscriberetur. Deum in præsenti quæstione secundum essentiam suam considerari, & in quantum natura sua omni perfectionis genere gaudet ac ditatur, non est quod admoneamus: de infinita ejus virtute ac potentia infra agemus. talem essentiæ infinitatem Sociniani a Deo auferunt, quibus inter Calvinianos consentit Vorstius.

Duplicis ordinis dantur perfectiones, quarum aliæ ita Deo sunt propriæ, ut eas creatura nusquam sit participatura: hujusmodi sunt æternitas, immensitas, immutabilitas, aliæque iis similes, quas Deus formaliter, nemine renitente continet: aliæ a creaturis participantur, ut sapientia, justitia, intellectio, etsi illas in gradu perfectiori, infinito videlicet cujus incapax est creatura, Deus possideat. ex istis nonnullæ vocantur simpliciter simplices, nullam includentes imperfectionem, nullamve aliam sive majorem sive æqualem perfectionem excludentes; & a Theologis post S. Anselmum in Monolog. dicitur vulgo talis perfectio, ea quæ melior est ipsa quam non ipsa, vel quam melius est habere quam non habere: nonnullæ vero vocantur perfectiones simplices secundum quid; habent enim ex se aliquid imperfectionis, vel cum æquali perfectione aut majori stare nequeunt. Hinc intelligitur relationes divinas, quæ sunt incompossibiles in eodem subjecto, esse perfectiones simplices secundum quid, & non simpliciter quia non meliores sunt ipsæ quam non ipsæ; cum in Deo melius non sit habere Paternitatem quam Filiationem: quæ duæ perfectiones æqualis sunt dignitatis & sese invicem excludunt.

Perfectiones cujuscumque sint ordinis potest continere Deus vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter. formaliter, secundum rationem specificam propriamque perfectionis formam vel naturam, sic anima est formaliter in homine. virtualiter, secundum causalitatem; sic effectus quilibet est in sua causa. eminenter, secundum modum perfectiorem gradumque eminentiorem; sic anima vegetans & sensitiva dicitur eminenter in rationali anima contineri. formaliter in Deo contineri perfectiones simplices quæ aliquid imperfecti habent, ita ut Creaturæ omnes proprie ac vere de Deo possent prædicari, sicque Christus in vero ac litterali sensu diceretur agnus, leo, ostium, lapis, vitis, & alia hujusmodi, delirans Almaricus finxit, cujus errorem vel potius insaniam Concilium Lateranense quartum sub Innocentio III. proscripsit. quo sensu igitur in Deo sint rerum omnium perfectiones, & quomodo infinitus ille dicatur est aperiendum.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Deum esse in omni genere perfectionis infinitum ille solus inficiatur qui veram non habet Supremi illius, unicique Numinis ideam.

DEum infinitum in omni genere perfectionis, nedum eo sensu quod quælibet ejus perfectio infinita sit in genere suo, sed etiam quod quamcumque veram perfectionem in eminentissimo vel infinito gradu ipse contineat, testantur Sacræ Scripturæ. quid enim aliud indicant ea quæ habentur apud Job cap. 11. *forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* quid significant hæc Psalmistæ verba, psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis*, si ipsius infinitatem in omni genere perfectionis illa non prædicant? Horum verborum magnificentia motus Augustinus sic exclamans loquebatur enarrat. in psal. 144. *Quantum dicturus erat? quæ verba quæsiturus? quantam conceptionem conclusit in uno valde?* seu nimis, ut habet Vulgata. *Cogita quantum vis, quando autem potest cogitari, qui capi non potest? laudabilis est valde, & magnitudinis ejus non est finis: ideo dixit valde, quia magnitudinis ejus non est finis: ne forte incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire cujus magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare eum, cujus magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare. Nonne ergo melius est, ut quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius finiatur? illius magnitudo sine fine est, & tua laudatio sine fine sit. De magnitudine ejus quid dictum est? magnitudinis ejus non est finis. De tua laude quid? Laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. ergo sicut ejus magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis.*

Sacram verborum Scripturæ sublimitatem Dei infinitatem prædicantis frangere putantes Sociniani, quæ retulimus, iisque similia volunt per exaggerationem & metaphorice de Deo esse dicta; vel de potentia virtutis ejus intelligenda esse, & non de naturæ illius infinitate: vel relative ad nos, qui cum brevi limite contineamur, ea quæ sunt in Deo, infinita & immensa reputamus. sed quam futile sit illud impietatis effugium quis non videt? Multa de Deo in Scripturis Sanctis metaphorice prædicari quæ juxta litteram nec possunt, nec debent intelligi nemo nescit; ut cum ipsi corpus & membra ad instar hominis, aliaque ejusmodi tribuuntur; aut passiones, ut sunt odium, ira, æmulatio, cæteraque id genus, quibus homines moventur, Deo affinguntur, quæ in ipsum cadere nusquam possunt, ut ipsa ratio suadet. Nonnulla pariter esse per allegoriam dicta de eo, quæ ad litteram intellecta sensum vacuum offerant, cuicumque etiam non multa librorum Sacrorum lectione exercito notum est. Ergo ne quæcumque in iisdem libris possent absolute loquendo metaphorice sumi, non erunt juxta litteram intelligenda, sed in sensu metaphorico dumtaxat accipienda? quis talia fari potest, nisi omnia Christianæ Religionis capita de industria convellere in animo habuerit? cur jux-

juxta litteralem sensum in canonicis Scripturis non intelligerentur quæcumque sic valent intelligi quin facilioribus eorumdem testimoniis vis ulla inferatur? Nonne sic omnia fidei nostræ Mysteria evacuabuntur? metaphorice sumantur quæ de sanctissima Trinitate, de Verbi divini incarnatione; Christique vitæ, passionis, mortis ac resurrectionis Mysteriis omnibus Divinæ Scripturæ loquuntur; vel allegorice intelligantur, ut Antichristianis, aut Hæreticis nonnullis placet, nihil aliud præter nomen vacuum aut inane dicet Christiana Religio; ipsave Scriptura divinitus inspirata, quam per sensum privatum non licet interpretari, nihil erit præter congeriem allegoriarum cuilbet intelligentiæ obnoxiarum, sicque ex omni parte vincet impietas, ut deflenda nimis docemur experientia. Desinant igitur Sociniani talia nobis opponere; quæ audire Christianæ aures exhorrescunt, quæque omni carent fundamento. ipsos se proprio gladio jugulare noverint cum dicunt, Scripturæ verba de infinitate virtutis operativæ, non de infinita Dei natura esse intelligenda. Quonam modo erit Deus infinitæ potentiæ ac virtutis, si naturæ non est infinitæ? Nonne essentiæ modum & rationem sequuntur proprietates? esto tandem nonnulla nobis videri infinita, quæ tamen non sunt infinita, sed tantum infinitatem respectivam habent, ex eo nempe quod illorum terminum aut limites cognoscere non valeamus, ut cum stellas, aquas maris, tamve quæ est in ejus littore arenam, quæ præ multitudine numerari non possunt, infinitas quadamtenus reputamus, & de illis etiam humano more juxta mentis nostræ captum loquuntur Libri Sacri: exindene sequetur non aliam ab illa esse infinitatem Dei cjusque divinarum perfectionum? Nequaquam. Nec in utriusque diversitate advertenda mens nostra laborat, etsi veram infiniti aut infinitatis ideam habere non possimus. & in eo præcise quod de ea, ut in se est, sentire impares sumus, imbecillitatem nostram quæ illam nequit attingere confitentes, hanc magnificentius exaltamus, & reverentius celebramus.

Alia tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum testimonia, quibus adhuc ostendi posset Dei infinitas tam in suo esse quam in proprietatibus & perfectionibus, hic addere esset superfluum, cum Deum infinitum prædicare recuset solus impius, qui ipsum Deum, si possibilitas afforet, negare vellet, quique aut Scripturæ aut Patribus nihil authoritatis concedit ut ipsis credamus. & quid mirum si Scripturam, Patres & Ecclesiam non audiat, qui nec ipsi rectæ rationi vult in hac parte consentire? cujus naturale dictamen, si quantum in ipso est non obrueret, Deum, ex communi omnium idea & notione ens perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest, simpliciter & ex corde tandem agnosceret. Sed quomodo ens perfectissimum quo melius nullum posset excogitari Deus haberetur & esset, si in quocumque perfectionis genere non esset infinitus? præterea si Deus quia a se ipso est, nullamque sui causam habere potest, infinitus non esset, unde limites haberet? neque enim ab alio, cum omnium sit ipse causa; neque a se ipso: etenim repugnat ens a se existens certas ac limitatas sibi definire perfectiones: & in aseitate, seu totali a quocumque independentia fundatur, &

ne-

necessario, omnimoda Dei infinitas tam in suo esse, quam in modo essendi. id ipsa suadet ratio cuilibet habenti veram supremi, uniusque Numinis illius ideam; ad quod attendens Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. dicebat quod, *videtur inter Dei nomina primas tenere*, qui est *: totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse, velut pelagus quoddam substantiæ infinitum & interminatum*. & revera, ex eo quod Deus sit a se ipso, & essentia ejus constituatur per aseitatem quæ infinitatem secum importat, consequens est ut omnes perfectiones quæ ab aseitate, in quantum dicit Dei essentiam, necessario fluunt, eamdem participent cum essentia divina infinitatem; sicque verum est quamlibet Dei perfectionem esse in genere suo infinitam, Deumque quamcumque veram perfectionem continere in eminentissimo infinitoque gradu: ex quo Deus dicitur recte & est simpliciter infinitus.

Nec opponatur Deum non esse summum infinitum, quia ipsius perfectioni aliquid addi potest, nimirum perfectiones creaturarum, ex quibus cum Deo uniuntur necessario augeri debet supremi illius Numinis perfectio. id enim falsum est, ex eo quod nihil boni habeat creatura ab omni imperfectione liberum, quod non sit formaliter in Deo; & aliunde creaturæ in ipso eminenter continentur: unde ex earum aggregatione cum earum creatore ille non fit perfectior, quia non est quo crescat perfectio illius. *Corpora adjunctione sua crescunt*, inquit Hipponensis lib. 6. de Trinitate cap. 8. *in rebus autem Spiritualibus, cum minor majoribus adhærescit sicut creatura creatori, illa fit major quam erat, non ille*. Rationem reddit Angelicus Doctor dicens, *illud quod est optimum simpliciter, nullo addito potest fieri melius*. quod ultro libenter confitetur quisquis de Deo, ut ab homine intelligi potest, etiam solo lumine naturali duce, ut par est cogitat, & loquitur.

Ex asserta tamen supremi Numinis infinitate nemo concludat illius perfectiones esse numero infinitas, cum id non ferat assertio, nec verum esse queat. Siquidem Divinæ perfectiones, vel sunt positivæ, quas Deo tribuimus cum quadam analogia ad perfectiones creaturarum, quæ numerice sunt finitæ: vel sunt negativæ, & removent a Deo creaturarum defectus, qui cum non sint numero infiniti, nec infinitus esse valet numerus perfectionum ipsis correspondentium. illæ autem ex Scriptura & Patribus a Theologis solito numerantur; Aseitas, infinitas, simplicitas, immensitas, omnipotentia, immutabilitas, æternitas, ineffabilitas, invisibilitas, & incomprehensibilitas. eo igitur sensu infinitus in suo esse Deus, intelligitur in suis perfectionibus infinitus, quod unaquæque earum, positivæ sint vel negativæ, sit formaliter infinita.

AS-

ASSERTIO SECUNDA.

Perfectiones simpliciter simplices esse Divinum formaliter continet, perfectiones vero secundum quid simplices in illo eminenter vel virtute continentur.

DAto perfectiones simpliciter simplices eas esse, ut omnes fatentur, quæ meliores sunt ipsæ quam non ipsæ, vel quarum possessio realem dicit in subjecto perfectionem, quarumve carentia dicit necessario imperfectionem, eas in Deo formaliter contineri & necessario, ipsa ratio dictat; qui enim aliter Deus, qui entis est plenitudo, ens summe perfectum jure denominaretur & esset? insuper Deum formaliter continere quidquid recte de illo prædicari potest, nullus diffitetur: de illo ergo cum prædicari possint quælibet perfectiones simpliciter simplices, dicitur enim de eo quod sit justus, misericors, sapiens, restat Deum hæc omnia formaliter continere, & quidquid est pure ac simpliciter perfectum absque ulla imperfectionis umbra aut admixtione. Hinc est quod in Scripturis Sanctis dicatur fortis, potens, bonus, longanimis; ipsique inesse consilium, æquitatem, prudentiam, fortitudinem, cæteraque hujusmodi legatur. quod cum a nemine cordato in dubium revocetur, id ulterius probare foret omnino superfluum.

Ad perfectiones secundum quid simplices quod spectat, ex eo quo Deus est ens summe perfectum, & infinitam ejus perfectionem participare necessario debeat quidquid in ipso formaliter est, illas formaliter in Deo non contineri, ut pote quæ in suo conceptu formali quamdam involvant imperfectionem, consequens est. Illas tamen eminenter in Deo esse certissimum est, modo nempe nobiliori, quidquid in eis esse potest imperfectionis in quantum in se ipsis considerantur, vel pro ut sunt in Creaturis, excludente. ex illa plenitudine entis quæ in Deo est, vel melius quæ Deus est, oritur in illo etiam plenitudo quarumcumque perfectionum quibus alia quælibet entia possunt ditari; ita ut, si ex impossibili ens unum, quodcumque sit, posset habere unam perfectionem veram, quæ, secluso illo quod imperfectionem redolet pro ut est in ente creato & finito, eminenter in Deo non esset, ipse etiam deficeret: cum enim tunc ens perfectissimum non esset ex supposito licet impossibili, nullo modo esset, quia infinitas perfectionum, vel summa perfectio etiam possibilis, includitur necessario & absolute in idea & essentia Dei: unde Deus perfectissimus est, vel non est, quod repugnare alias ostendimus.

Hinc fortasse incredulis quibusdam suggestum est supremi illius Numinis negare existentiam. Decepti per philosophiam falsam, & inanem fallaciam secundum elementa mundi, ut loquitur Apostolus Paulus, colos. cap. 2. existimarunt ad summam perfectionum possibilium perveniri numquam posse, nullumque proinde ens posse excogitari existens quibuslibet perfectionibus possibilibus dotatum, quia ipsis videbatur, ad quemcumque perfectionis gradum devenisset illud ens, alterum quemdam gradum superaddi posse; & cum aliunde

de ipsis videretur in idea Dei includi necessario ultimum gradum possibilem perfectionis (& in hoc certe non errabant) harum idearum specie oppositarum quas conciliare nequibant pugnantia delusi, circa Dei scientiam errantes, naturali rectæ rationis dictamini alte de Deo loquenti Rom. cap. 1. obturaverunt aures suas; sicque evanuerunt in cogitationibus suis, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt veritatem Dei in injustitia detinentes. & reipsa stulti, in eo quod intelligere volebant id quod inintelligibile merito experiebantur; illudque minime capientes ob humanæ mentis imbecillitatem, illius existentiam negaverunt, cujus nihilominus non existentiæ impossibilitatem quidquid existit in rerum natura ipsis evidenter significabat.

Deum ergo quamlibet perfectionem, seclusa quacumque imperfectionis nota, formaliter vel eminenter continere certum est. quidquid per creaturas, quarum vis nihil aliud est quam divinæ potestatis quædam participatio, ipse præstat & operatur, per se præstare potest, & quidem nobiliori excellentiorique modo; quod verum non esset, si rerum omnium simplices perfectiones eminenter ac virtute non contineret Deus. ad eminentiam harum omnium perfectionum attendens Augustinus, sic serm. 384. loquebatur. *quid est omnipotens Deus? quid, nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia? omnem enim creaturam suam excedit, omnem facturam præterit, universa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur sicut legitur in Scripturis, qui fecit fortia fortior est; & qui fecit pulchra pulchrior est illis*. Sap. cap. 13.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Deus sit simplex & incompositus.

DEum esse incompositum, & necessario ens simplicissimum ex eo quod quamdam imperfectionem secum importet quælibet compositio vera, licet ipsa doceret ratio, eo vesaniæ devenerunt permultæ gentes, ut Deum homini similem existimaverint, ipsique corpus sensibile ab humano, licet illo longe perfectius, parum dissimile tribuerint. Rudes & idiotas sensibilia dumtaxat sapientes, nihil nisi corporeum intelligere valentes, crassissima hac ductos fuisse opinione, est magis quod defleamus quam quod miremur. verum quis non stuperet permultos etiam inter philosophos, ut de Stoicis & Epicureis fertur, Deum mole corporea circumdatum putantes audiens; quodve fidem excedit omnem, nonnullos inter Christianos eadem labe aspersos videns, ut de Manichæis Deum infinita mole diffusum insanientibus taceamus, ipsos Monachos ineptissimæ huic opinioni in Aegypto deditos, qui quarto Ecclesiæ Sæculo exorti, Antropomorphitæ dicti sunt, eo quod membris humanis Deum constare sentirent?

Priscis omnibus philosophis qui Deum substantiam universam ex qua cuncta constarent, huncque universalem materiam, ac totius mundi animam prædicaverant, novissimis hisce temporibus audentior Benedictus Spinosa Amstelodamensis Judæus, in Athæum impie transformatus, ridiculum illud humanæ mentis commentum, vetustate velut obsoletum, cujusve fere occiderat memoria, de novo excitavit & ordinavit in Ethica sua, illudque ad instar systematis efformavit, cujus specie delusi quamplures, redivivæ huic impietati novas vires addiderunt. Unicam itaque in rerum natura fingit ille substantiam, cujus duplex est. Modus essentialis ac necessaria proprietas, magnitudo videlicet & intelligentia. Neque enim juxta ipsum duæ aut plures substantiæ ejusdem naturæ vel attributi dari possunt: cum si plures essent, necessario inter se distinguerentur, vel ratione attributorum, vel ratione affectionum. si essent diversæ soluinmodo per attributa, non erit nisi una ejusdem attributi: si penes affectiones, cum substantia sit prior natura suis affectionibus, in se considerata vel ut est revera, non poterit concipi distincta ab alia, sicque unica erit substantia, non plures.

Hac posita propositione, quæ est quinta apud Spinosam, ejusque sistematis veluti fundamentum, sequitur, quæcumque in hoc universo extant corpora diversos esse modos illius substantiæ, pro ut extensionem habet, omnesque intelligentias ejusdem esse substantiæ modos, in quantum est intelligens. Hæc unica substantia Deus est, a quo omnia ducunt originem, & ita immediate ut ab ipso non differant, sed ipsius sint modi, atque ex necessitate illius naturæ quæ infinita est infinitis modis proficiscuntur. Unde præter Deum nihil erit, cum in tali supposito Deus sit omnis natura, & quodlibet ens individuale, sive extensum, sive cogitans, nihilque sine illo poterit esse aut concipi. erit nihilominus secundum Spinosam Deus æternus, infinitus, immutabilis, immensus, perfectissimus, omne perfectionis genus complectens, idemque semper manens. illud licet portentosum Sistema, quod ultimum delirantis impietatis complementum dicere possumus, methodo Geometrica ab auctore expositum, ut aliquid evidens a nonnullis quos nihil credere delectat, aliquot ab hinc annis defenditur. Verum illud ex qualibet parte deficere, vanis ac futilibus nixum sophismatibus, potius quam validis probatum argumentis, quis id secum parumper reputans non videt?

Spinosæ variis temporibus præiverant, ut observavimus aliqui Philosophi, inter quos de Schola Peripateticorum Strato Lampsacenus annumeratur a Seneca apud Augustinum lib. 7. de civit. Dei, cap. 10. Marcus Cato ex Stoicis apud Lucanum lib. 9. Alexander Epicureus apud Pereirum lib. 5. de communibus principiis; Almaricus apud Prateolum in elencho hæreseos; tandemque David de Dinando apud Theophilum Raynaldum in Theologia naturali, & Divum Thomam ad cap. 17. libri primi contra Gentiles, existimans Deum esse materiam primam, quia inquiebat, si Deus & materia non essent unum quid & idem, esset inter utrumque differentia quædam, entique proinde simplicia non essent, ex eo quod quælibet differentia

tia

tia aliquam faciat necessario compositionem in eo cui inest. Illorum omnium commenta impugnabuntur, si falsitatem ac impietatem Sistematis Spinosæ ostendamus. quod cum attigerimus, Deum omnis physicæ compositionis expertem, ac proinde ens Spirituale simulque Simplicissimum propugnabimus.

ASSERTIO PRIMA.

Unicam esse in rerum natura substantiam, Deumque unicam illam & universalem esse mundi substantiam, gratis & renitente ratione non minus quam fide impius fabulatur.

ETsi eruditissimis ab hominibus penitus contritum fuerit impium Spinosæ Sistema, cujus falsitas fuit invictissime quolibet ex capite manifestata, cum de illo omnimode his temporibus tacere Theologum dedeceret. propositionem illam qua nititur ipsius impietas convellemus, de aliis perversis ejus dogmatibus tacentes, ne falcem in alienam quodam modo messem mittendo, jam actum iterum agamus.

Quam fatiscens & caducum sit illud Spinosæ Sistema unicam admittens in rerum natura Substantiam, ex qua coalescant omnia quæ in mundo suis temporibus existunt, quam universalem mundi substantiam Deum esse impie fabulatur, ex illa quam tradit substantiæ definitione ex qua in ipsum arguere est facillimum, prima fronte intelligitur. Substantiæ nomine illud significat quod in se est, & per se concipitur: scilicet id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat. mancam esse hujusmodi definitionem ex eo quod omni definito non conveniat, quod est contra primas logicæ regulas, quis non videt? & aliunde ut certum supponit quod ipsi probandum incumberet, nempe aliam non esse substantiam præter eam quæ est in se vel a se, cum illud solum per se concipiatur quod nullam sui causam habere potest, cujusque proinde conceptus nullo alio præcedente conceptu indiget ut quid sit intelligatur. Deum solum si haberet pro objecto illa definitio, quæ ipsi adhuc aperienda erat ob propositionis ambiguitatem, absolute loquendo posset admitti: certum enim est Deum essentialiter esse in se & per se, ac independenter a quocumque alio concipi, cum ex opposito cætera omnia in Deo sint, & nisi dependenter ab illo possint concipi, ex eo quod ab ipso necessario sint, qui solus est rerum omnium prima & efficiens causa. Deinde data, sed non concessa, prædicta definitione substantiæ duplicis generis vel speciei substantiam esse necessario colligitur, substantiam videlicet extensam, & substantiam cogitantem, cum utraque in se sit, per se concipiatur, & conceptus unius non formari indigeat per conceptum alterius. Neque enim quis fatebitur cogitationis conceptum efformandum esse per conceptum rei extensæ, vel conceptum extensionis proficisci a conceptu substantiæ cogitantis; quin potius illi duo conceptus invicem opponantur, & in eadem numero substantia repugnent. substantiam extensam nihil aliud dicere quam partium diversitatem, motum, quietem, figuram, om-

omnemque sensibilem aut insensibilem partium modificationem, quæ etsi in infinitum variaretur, nullum ad cogitationem ordinem umquam dicet, nullaque ex hac in infinitum variatione exurget in æternum vel minima cogitatio, ipsa ratio dictat; sicut etiam substantia cogitans nullum dicit ordinem ad extensionem; in infinitum usque varientur cogitationes, quæ sunt velut totidem spiritualis seu cogitantis substantiæ modificationes, motus, quietis, figuræ, aliarumque substantiæ extensæ passionum idea ex iis nusquam exurget. & per hanc conceptuum evidentem diversitatem, quam nemo sensatus negabit, evidenter ostenditur & invictissime probatnr substantiæ utriusque, cogitantis & extensæ necessaria diversitas.

Nec reponatur substantiam in quantum præcise est substantia, nec extensam esse nec cogitantem, sed utrumque advenire substantiæ velut illius modos & attributa. esto quod substantia metaphysice & in abstracto considerata, quæ definitur illud quod per se subsistit, nullo alio indigens cui inhæreat, nec extensionem dicat nec cogitationem, quid inde quod Spinosæ faveat? Nihil certe: cum in præsenti hipotesi, ut talis est in se physice, & in concreto sit spectanda substantia, utpote quod omnia cujuscumque ordinis entia ex ea coalescere dicantur, cum nihil præter ipsam esse supponatur. & revera ut extensa & cogitans ab illo consideratur. etenim juxta ipsius principia quælibet entia singularia necessario sequuntur ex aliqua divini attributi modificatione: hæc autem sunt necessario vel entia extensa, vel entia cogitantia, cum extensio vel magnitudo, & intelligentia seu cogitatio, sint attributa illius substantiæ, & quidquid aliud est, modus sit vel affectio diversa illorum attributorum. unde eidem substantiæ essentialiter competit esse simul extensam & cogitantem, quod repugnat.

Ex bene intellectis Spinosæ principiis, si tamen principia jure possunt vocari delirantis rationis inventa, sequitur unicam de qua loquitur, & quam Deum esse fingit substantiam, nihil aliud esse præter materiam quæ est æterna, nec ens aliquod admittit quod majus illa sit & a quo fuerit producta: proindeque nullum alium Deum esse quam orbem universum. ex eo quod omnia sequantur ex necessitate naturæ divinæ, restat in rerum natura nullum dari contingens, sed omnia ex necessitate divinæ illius naturæ determinata esse ad existendum certo modo & operandum: nec propter ullum finem quidquam Deum fuisse operatum, resque omnes nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuisse quam productæ sunt: quæ omnia Spinosæ commenta quantum a ratione & a fide deficiant, facile agnoscit quisquis est ab illa alienus impietate, quæ sub ementito Divinitatis nomine, Deum e medio tollit, substantiam unicam vere inexplicabilem, attributis duobus vel modis imcompossibilibus ditatam ipsi substituens. quot absurditates ex illo Materialistarum Sistemate, a quo recta ratio fidesque Christiana simul abhorrent, necessario sequantur videre est apud illos a quibus ex professo quolibet ex capite fuit ultimis temporibus impugnatum. ad nos quod spectat, satis est impii Sistematis summam aperuisse, ut illud non minus rectæ rationi quam fidei adversari cuilibet innotescat. Legatur S. Thomas Davidem de Dinando

con-

confutans lib. 1. contra Gentiles cap. 17. iisdem ex maxima parte convellitur argumentis Spinosa. Hoc unum advertere liceat, intelligi non posse, quomodo, ex supposito quod omnia sint unica substantia quæ sit ipsemet Deus, in ipsum non refunderentur nefanda hominum scelera, sicut illorum recte facta, ex necessitate divinæ substantiæ pariter manantia, cum sint divini cujusdam attributi modificationes. Verum quid diutius in iis immoramur? Hujusmodi impietati, qua sapientia, consilio, providentia, libertate, mente, intelligentia Deus non inconsulto spoliatur, totius naturæ vocem refragantis quis non audit?

ASSERTIO SECUNDA.

Deum ens simplicissimum, cujuscumque compositionis physicæ expertem esse, seu incorporeum fides simul & humana ratio testantur.

Fidei hanc vocem esse testantur quæcumque sacræ Scripturæ verba Deum dicentia Spiritum, vel Deo attribuentia quæ soli enti Spirituali convenire possunt. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei*, inquit Isaias, cap. 40. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*, ait Christus Dominus apud Joannem cap. 4. *Dominus autem Spiritus est*, dicit Apostolus 2. corinth. cap. 3. ex quibus colligitur nec certis locis, nec quibusdam cæremoniis necessario alligari cultum, qui vero Deo debetur, ut crasso ducti errore putabant Samaritani: Nec modo carnali ad Simulachrorum instar Gentilium more illum esse adorandum quasi corpore constaret. *Numquid non cælum & terram ego impleo dicit Dominus?* Jerem. cap. 23. *ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* inquit Salomon 3. Reg. cap. 8. quibus verbis Deum nullis limitibus circumscribi cum significetur, quod enti spirituali cunctæ physicæ compositionis experti solummodo potest convenire; omne quod corpus est nonnullis limitibus necessario circumscribitur, ac in loco determinato contineri per se exigit. illum esse incorporeum, & incompositum, proindeque ens simplicissimum ostenditur. Hinc Anthropomorphitas Deum corporeum arbitrantes, inter Hæreticos annumeravit Ecclesia: & adversus alios de Divinitate catholice minus sentientes declaravit in Concilio Lateranensi quarto sub Innocentio III. cap. firmiter; unam esse Dei essentiam, substantiam, seu naturam omnino simplicem.

Et hæc fuit constans Sanctorum Patrum doctrina, qui prioribus potissimum Ecclesiæ sæculis adversus Gentiles ac Idololatras scripsere deorum pluralitatem impugnantes, uniusque Dei existentiam ac incompositionem validis argumentis stabilientes. Sic Origines lib. 1. de principiis cap. 1. *Non ergo*, inquit, *aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura, simplex, nihil in se omnino adjunctionis admittens, uti nec majus aliquid & inferius esse credatur, sed ut sit ex omni parte Monas, & ut ita dicam,* to-

totus est mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. Illudque multis Scripturæ testimoniis probat Origenes, qui, Socrati ac Sozomeno si credamus, Aegyptiorum Monachorum in odium venit eo quod omnimodam Dei incorporeitatem propugnavisset.

Dogma idem defendens S. Gregorius Nazianzenus orat. 34. sic loquebatur: *an Corpus eum esse dices? quonam vero modo Corpus erit hoc quod est infinitum, interminabile, figuræ expers, quod nec tangi, nec videri potest? . . . . . . quid causæ esse dicemus, quin ex elementis constet, & in ea resolvatur iterum, & omnino dissolvatur? Nam compositio principium est pugnæ: pugna autem dissidii: dissidium solutionis: solutio vero prorsus aliena est a Deo primaque natura: quocirca nullum est dissidium, ne sit aliqua solutio: neque pugna, ne dissidium oriatur: nec compositio, ne pugna existat. Ac proinde nec corpus quidem est, ne sit compositio.*

Eamdem confirmat Sanctus Augustinus veritatem Epist. 148. quæ est ad Fortunatianum Siccensem Episcopum, authoritate Majorum ostendens, Deum oculis corporis nec visum fuisse, nec posse videri cum sit incorporeus: & illorum relatis testimoniis, hæc scribit cap. 4. *Denique in iis omnibus, quæ de opusculis Sanctorum atque Doctorum commemoravi, Ambrosii, Hieronymi, Athanasii, Gregorii, & si qua aliorum talia legere potui, quæ commemorare longum putavi, Deum non esse corpus, nec formæ humanæ habere membra, nec eum esse per locorum spatia divisibilem, & esse natura incommutabiliter invisibilem, nec per eamdem naturam atque substantiam, sed assumta visibili specie sicut voluit, apparuisse iis quibus apparuit, quando per corporis oculos in Scripturis Sanctis visus esse narratur, in adjutorio Domini inconcusse credo, & quantum ipse donat intelligo.* & lib. 12. de Trinitate cap. 7. de imagine Dei ad quam in Scripturis dicitur factus homo, disserens, hæc habet: *non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem. Cogitatio quippe vana turpiter est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri.*

Aliorum Patrum testimonia hic congerere quid necesse? ratio ipsa pro veritate clamat; huicque testimonium perhibuere consensu fere unanimi, clariores Philosophi, ut de Platonicis observat Hipponensis lib. 8. de civit. Dei. cap. 6. quorum opinioni omnium dicit dogmata Philosophorum esse postponenda, ex eo quod nulli nobis, quam isti, propius accesserunt, inquiebat cap. 5. & revera ratione duce, Deum simplicem & incorporeum demonstrat S. Joannes Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa cap. 4. ex ejus infinitate, interminabilitate, invisibilitate, impassibilitate, immutabilitate, incorruptibilitate, quibus gaudet essentialiter Divina natura, & quæ substantiæ corporeæ non competunt. Hanc eamdem viam tenuerunt non pauci e Sanctis Patribus, qui ejus incorporeitatem & incompositionem rudioribus populis a Gentilitate ad fidem Christianam conversis ostenderunt, ex eo quod in Deum cadere non possunt affectiones vel qualitates a materia & corpore inseparabiles.

Enimvero, eritne Deus compositus ex materia & forma? sed illæ partes

tes

tes imperfectionem arguunt & dependentiam in composito, quod satis est ut de Deo talis nequeat prædicari compositio. materia esse non potest nisi per modum perfectibilis, & est indifferens ad plures formas, ad quas passive se habet. forma erit per modum perficientis, etsi dependenter a materia per quam veluti sustentatur: & utraque in quolibet composito potest ab invicem separari; ergo indivisibilis non erit Deus. & aliunde a quo orietur talis in Deo compositio, nisi ab alio ente quod sit illo majus aut potentius? quot, data hac fictitia & impossibili compositione, absurditates!

Erit ne compositus ex anima & corpore ad instar hominis, vel ex partibus tum integrantibus tum quantitativis? sed quantum exinde imperfectionis? animæ illius ac corporis unio compositum constituens, majorem aut saltem priorem supponit a quo illa procedat, cum causam supponat quilibet effectus: Neque enim improductum quid, & a se, dici poterit talis partium componentium unio, quæ partibus compositi est necessario posterior. & exinde quot entibus incompletis Deus constabit; hujusmodi enim erunt respectu illius, sicut respectu hominis, anima & corpus, cunctæque partes illæ, integrantes, sive quantitativæ, a quibus erit dependens Divinum illud compositum, si factitium tali modo Deum, unico etiam instanti posset ratio ferre.

Ex subjecto & accidente illum quis fortasse dicet compositum. Sed quid dicet ille esse accidens in Deo? audiat Augustinum lib. 5. de Trinit. sæpius dicentem, quod *quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur*. etenim, *accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei cui accidit amitti potest. quamobrem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit, quia nihil in eo mutabile est*. Dicatur Deus suarum perfectionum ac proprietatum subjectum, nihil implicat; modo pro ut in rebus mutabilibus subjectum quid vocatur, id non in Deo, qui ens est absolutum & per essentiam, nihil in se admittens imperfectionis, intelligatur. quidquid qualitatem sapit vel accidens, est procul a Deo. *quidquid secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum*, inquit idem Sanctus Doctor.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

I. *OBjectio*. Compositionem Physicam simul & corporeitatem a Deo non esse alienam duplici ex capite probant divinæ Scripturæ; tum ex eo quod ad imaginem Dei ejusque similitudinem dicatur factus homo, qui physice compositus est, & anima ac corpore constat; tum quia innumera de Deo prædicantur quæ extensionem, verasque partes extra alias, ut sunt humani corporis membra, variasque corporum affectiones supponunt ac designant: oculi enim, manus, pedes, auditus, odoratus, situs, aliaque id genus ipsi sæpissime tribuuntur: nec non diversæ animi affectiones, ut sunt ira, dolor, gaudium, zelus & similia Deo inesse commemorantur: ac de illo juxta vulgarem Scripturæ loquendi modum semper verba faciunt Sancti Pa-

Patres, dum de diversis ipsius operibus, variisque ejus proprietatibus differunt: quæ omnia de Deo prædicata si absolute incorporeus & incompositus esset Deus, rationabili carerent fundamenro, indeque necessario circa Divinitatem homines, potissimum rudes & illiterati, perpetuos in errores inducerentur, quod nequidem decet cogitare. unde assertio vana sit.

Resp. Innumeris Scripturæ Sacræ locis quæ in confirmationem propositæ difficultatis laudari potuissent, etsi propria unicuique, ex Sanctis Patribus, abhiberi posset responsio, idque facile, verumtamen ne in infinitum progrediamur in iis quæ levioris sunt momenti, ex eo quod hominibus etiam indoctis, modo non mente captis, sint intellectu facilia, generalem quæ nihilominus difficultatem solvat, satis erit si adhibeamus responsionem. ad similitudinem igitur quod spectat hominis cum Deo, ad cujus imaginem factus est, hæc in sensu proprio litterali & physico vera esse dici posset cum Tertulliano lib. de Resurrectione Carnis, si ad futuram Divini Verbi incarnationem attenderemus, de qua hominem cum anima & corpore formans Deus vere cogitabat; *quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus:* vel si cum Prudentio in Apotheosi, & quibusdam ex veteribus, censendum existimaremus, in hominis formatione Deum sibi corpus quoddam adaptasse, cujus similitudinem in humana configuratione exprimeret. sed cum hæc Prudentii opinio sufficienti careat fundamento, & mysticum seu moralem sensum offerat relata Tertulliani expositio, difficultatem directe magis solvere arbitramur, si hanc hominis cum Deo similitudinem ex parte mentis, quæ in sensu verissimo dici potest spiraculum illud vitæ, Genes. cap. 2. quod insufflavit Dominus Deus in faciem hominis quem formaverat de limo terræ, & virtute cujus factus est in animam viventem, repetamus cum Sancto Augustino, loco jam supra laudato de Trinit. lib. 12. cap. 7. qui cogitationem turpiter vanam dicit eam quæ imaginem Dei ad quam homo factus est secundum formam corporis intelligeret, quasi membrorum corporalium lineamentis circumscriberetur & finiretur Deus, ut assertionem probantes retulimus: unde quibusdam adductis ex Apostolo in suæ confirmationem sententiæ, sic, veluti concludens, pergit: *Si ergo Spiritu mentis nostræ renovamur, & ipse est novus homo qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est, non secundum corpus, neque secundum quamlibet animi partem, sed secundum rationalem mentem, ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad Imaginem ejus qui creavit eum.* Et cum Augustino consentiunt fere omnes Sancti Doctores, quorum vices veluti gerens Mediolanensis Ambrosius dicebat exposit. in Psal. 118. num. 12. *invisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo utique quod non videtur.* Et hæc sufficiunt quantum ad primam objectionis partem.

Ad aliam quod pertinet, dum opponitur multa in Scripturis de Deo prædicari quæ corpus ipsi inesse videntur indicare, cum aliud non sint præter corporum affectiones, perfacile solvitur. nullus enim est qui absque labore non intelligat illa omnia in sensu improprio & metaphorico de supremo illo Numine narrari, minime vero in sensu proprio ac litterali. Nec mirum quod

quod per Prophetas suos, aliosque inspiratos homines nobis de se loquens Deus in Scripturis Sanctis, ad captum nostrum sese accommodaverit: ut quid alioquin de rebus spiritualibus ipsum verba facientem intellectu conse queremur? sicque se gerens nobiscum Deus, nostræ servit infirmitati, consulitque utilitati, ut ea dignoscere possimus quæ ab illo speranda vel timenda habemus; nec nos lateat quod ipse possit ad bonos præmiandos aut malos puniendos: vel etiam de ipsius attributis ejusque operationibus quamdam veluti imaginem ut habeamus, & ut de illo, in quantum nobis conceditur, loqui non indigne valeamus & cogitare.

Quod autem sic intelligendæ sint divinæ Scripturæ, non vero ad litteram accipi debeant, dum Deum nobis ad instar hominis repræsentant, os, aures, manus, pedes habentem, docemur a Sancto Augustino, qui pro omnibus Sanctis Ecclesiæ Patribus, ingeniose rem explicat Epist. 148. superius laudata ad Fortunatianum Siccensem Præsulem, hæc scribens cap. 4. *de membris Dei, quæ assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus formam & figuram nos esse crederet similes Deo, propterea eadem Scriptura, & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus: sic & cum audimus manus, operationem intelligere debemus; & cum audimus pedes, præsentationem; & cum audimus oculos, visionem qua cognoscit; & cum audimus faciem, notitiam qua innotescit; & si quid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritaliter intelligendum.* Ne autem recens aut singularis cuiquam videretur illa in sensu spirituali Scripturæ interpretatio ab Hipponensi adhibita, admonet Sanctus Doctor se nec solum, nec priorem esse in tali expositione, quæ est etiam omnium qui qualicumque intelligentia spiritali resistunt eis, qui ob hoc Anthropomorphitæ nominantur: quod ut ostendat, testimonium habet ex Sancto Hieronymo, ut exinde nosset Episcopus ille, cujus nomen tacet, sed cujus occasione ad Fortunatianum commonitorium istud, seu Epistolam scripserat Augustinus, a prioribus illo sic fuisse intellectam Scripturam.

Hunc locum Hieronymi in psal. 93. pro ut ab Augustino laudatur, hic addere non abs re erit ad nostræ responsionis confirmationem. *Cum ergo*, inquit Augustinus ibid. *ille vir in scripturis doctissimus* (Hieronymus) *psalmum exponeret ubi dictum est, intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite; qui plantavit aurem, non audit, aut qui finxit oculum, non considerat: inter cætera*, " (iste locus, inquit, adversus eos maxime facit, „ qui Antropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum habere membra, quæ etiam „ nos habemus: verbi causa, dicitur Deus habere oculos: quia oculi Domi- „ ni respiciunt omnia, manus Domini facit omnia. *& audivit*, inquit, „ *Adam sonum pedum Domini deambulantis in paradiso*: hæc simpliciter audiunt, „ & humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem di- „ co quod Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus „ oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, quia omnia operatur. „ Totus pes est, quia ubique est, ergo videte quid dicat. qui plantavit au- „ rem non audiet, aut qui finxit oculos non considerat? & non dixit qui

„ plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet; non dixit, ergo ipse oculos „ non habet: sed quid dixit? qui plantavit aurem non audiet, qui finxit „ oculos non considerat? membra tulit, efficientias dedit: “) Hæc Hieronymus; ex quibus collatis cum Augustini verbis facile intelligere valet etiam indoctus & rudis, quo sensu habere membra Dominus Deus in Scripturis sanctis commemoretur.

In sensu pariter improprio ac Metaphorico de Deo prædicari varias animi affectiones, humanis affectibus quasi similes, remota quacumque imperfectione, ostendunt ea quæ habet idem Augustinus lib. 1. confess. cap. 4. Deum sic alloquens. *immutabilis mutans omnia, numquam novus, numquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos & nesciunt; semper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans & implens & protegens, creans & nutriens & perficiens, quærens cum nihil desit tibi. Amas, nec æstuas; Zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium.* quod disertius adhuc ostendit dum lib. de patientia cap. 1. hujusmodi passiones quoad effectum, non vero quoad affectum aut internum animi motum Deo inesse significat his verbis: *Dei patientia qualis & quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, immo etiam patientissimum dicimus, verbis explicare quis possit? ineffabilis est ergo illa patientia, sicut Zelus ejus, sicut ira ejus, & si quid hujusmodi est. Nam si tamquam nostra ista cogitemus, in illo nulla sunt.... sicut autem zelat sine aliquo livore, irascitur sine aliqua perturbatione, miseretur sine aliquo dolore, pœnitet eum sine alicujus suæ pravitatis correctione: ita est patiens sine ulla passione.* quod pariter ostendit lib. de fide, spe & charitate cap. 33. exponens quid sit ira Dei de qua salvati sumus in sanguine Christi. *Cum autem Deus*, inquit, *irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, iræ nomen accepit.* quomodo in Deo sint omnes illæ affectiones, quæ in hominibus animi perturbatione quamdam nusquam carent, ratione cujus imperfectum quid necessario dicunt, fusius exponit Hipponensis lib. 2. de diversis quæst. ad Simplicianum, quæst. 2. ea quæ scribit cum longius esset referre, legantur apud ipsum Tom. 6. pag. 112. & seq. & his lectis, cito evanescet quidquid difficultatis habere posset objectio, quam solvisse jure arbitramur Sanctorum Patrum dictis constanter inhærentes.

Nihil ergo, dum de hujusmodi passionibus, quæ in Deo esse nequeunt nisi penes effectum, secluso semper affectu, quæstio movetur, juxta litteram accipiatur; quod de illo in Scripturis prædicatur, improprie dumtaxat & per metaphoram dicitur; & digne minus de Deo sentiret, qui ea omnia de illo humano more intelligenda arbitraretur. Hunc a suo errore revocabunt quæ scribit Sanctus Ambrosius lib. de Noe & Arca, cap. 4. in illud geneseos, *delebo hominem quem creavi, a facie terræ.... pænitet enim me fecisse eos: Neque enim*, inquit, *Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia; neque irascitur quasi mutabilis; sed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam; tamquam eo usque increverit culpa,*

culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam. & juxta hunc sensum accipienda sunt varia tum Scripturæ, tum Patrum verba, quemdam animi motum & affectionem in Deo significantia: ab ipso enim est procul amandandum quidquid vel umbram imperfectionis sapit, ut rusticorum etiam mentibus inculcare debent illi qui ex officio vel ex charitate populis præsunt in spiritualibus, ne vincibili crassaque ignorantia ductum indoctorum vulgus, de Deo recta minus indigne cogitet. tuncque vere in perpetuos errores inducerentur illitterati, non ex Scripturæ aut Sanctorum Patrum, hominibus juxta eorum captum verba facientium, vitio, sed ex culpabili & pudenda tum rectorum, tum institutorum incuria, de Deo imprudenter tacentium coram populis, qui illum ut par est numquam sunt dilecturi, circa quem supina ignorantia turpiter laborabunt.

2. *Objectio*. Compositionem ex subjecto & accidente in Deo admittunt plures e Sanctis Patribus, ut cum dicit Athenagoras, quod bonitas secundum accidens Deo inest, & simul existit, ad instar coloris in corpore sine quo non est. Augustinum alias audivimus affirmantem, non omnia quæ de Deo dicuntur, secundum substantiam dici. & aliunde actiones Dei ad extra, ut creatio, variæque volitiones, cum in ipso non sint ullomodo necessariæ vel essentiales, cum ad res mere contingentes; ut sunt creaturæ, ac transitorii quidam effectus terminentur, non possunt in Deo considerari nisi ut quid accidentale.

Resp. Nullius ponderis erit proposita difficultas, si nomen accidentis legitimo sensu accipiatur, & secundum communem usum. tunc enim nullo modo Deo inesse potest, quia ipsi nihil advenire potest, sicuti nec aliquid ille valet deperdere, qui nullam, cujuscumque supponatur generis aut speciei, mutationem potest experiri. quidquid Deus est aut habet, illud ab æterno est habetque immutabiliter, ut in sequentibus dicemus, & jam etiam ex Augustino compositionem accidentalem in probationibus impugnantes observavimus. quod si dicat omnia de Deo non prædicari secundum substantiam, nihil inde sequitur quod compositioni de qua agitur faveat, cum substantiam tunc relationi opponat, non vero accidenti, quod in Deo locum minime habere ipse affirmat. insuper cum de substantia aliquando loquitur Dei, quasi ab aliis attributis Divinis præscindens, tunc substantiæ nomine intelligit, ut cum ipso etiam nunc intelligunt Theologi, attributum illud primarium quod essentiam divinam præcise constituit, & ex quo esse essentialiter ac necessario fluunt quælibet entis divini perfectiones, quæ licet ab essentia inseparabiles, non includuntur in formali conceptu illius, ut satis superque dictum est Sectione præcedenti. sic Deus dicitur secundum substantiam, Pater autem vel Filius secundum relativum; *quod tamen relativum non est accidens*, inquit S. Doctor lib. 5. de Trin. cap. 5. *quia non est mutabile. & nibil in eo secundum accidens dicitur, quia nibil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur.* quod Deus sit ens per se subsistens a quolibet alio independens, ens necessarium, illud est quod primo concipitur in Deo, estque illa

aseitas, ut vidimus, gradus ipsius constitutivus: & hæc, ut Augustini utamur verbis, tantummodo videtur significare substantiam. quod vero ille sit æternus, sapiens, bonus, his videntur significari quæ sunt circa substantiam, vel hujus substantiæ qualitates: licet ut recte admonet Hipponensis lib.15. cap. 5. nequeant qualitates reputari. *non ita est*, inquit, *in illa ineffabili simplicique natura. quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. absit enim ut Spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem: sed utrumque secundum substantiam.* & revera; cum sit essentialiter seu substantialiter bonus, sapiens, &c. improprie ergo locutus erit & largo modo Athenagoras de bonitate Dei, in mitiorem partem exponendus, Deum aliunde asserens ingenitum, æternum, immutabilem, impassibilem, quæ attributa cum congerie accidentium non cohærent. ad Dei actiones ad extra quæ opponuntur quod attinet, dicemus ubi de ejus immutabilitate, ad quam ordinem magis habere videntur.

ASSERTIO TERTIA.

Neque etiam compositionem metaphysicam in Deo censemus admittendam, quem omnimoda simplicitate, quæ soli Deo competere potest, gaudere ipsa dictat ratio.

Etsi nonnullis eximiæ notæ Theologis quos non improbamus, videatur tuto admitti posse in Deo aliquam compositionem metaphysicam, ut pote quæ nullam, ipsis dicentibus, importet per se aut necessario imperfectionem, diversimode sentiendum nobis judicamus auctoritate ducti Doctoris subtilis, omnem & quamcumque compositionem etiam metaphysicam a Deo eliminantis in 1. dist. 8. quæ. 3. ipsique omnimodam simplicitatem possibilem aut realem tribuentis. Neque enim aliquid esse potest in Deo per modum actus & potentiæ. Deus est actus purissimus, nullam potentiæ admixtionem patiens; nihil in eo est perfectibile aut perfectivum, cum sit ipse perfectissimus, nec quidquam ei possit accidere. Hinc est quod neque ex genere & differentia compositus dici queat, cum unum se habeat ad aliud per modum perficientis, ut differentia, & aliud se habeat per modum perfectibilis, quæ de Deo nullo modo possunt prædicari. quod aliquid sit in Deo per modum generis & differentiæ illud dicit imperfectionem in ipso juxta Scotum, quia genus ut genus importat ex se limitationem: unde ratio infinitatis in Deo illud excludit, sicut etiam ratio entis necessario existentis; quod variis argumentis Doctor subtilis ostendit concludens Deum non esse in genere, indignumque Deo reputans cum Augustino, vel potius cum Honorio Augustodunensi lib. de cognitione veræ vitæ apud Augustinum cap. 3. illum contineri sub aliquo ex his decem prædicamentis, quibus cuncta humana conditio includitur & a quibus proprietas summæ essentiæ evidenti ratione penitus excluditur.

Quomodo vero possit in Deo admitti hæc metaphysica compositio vix in-

telligitur, cum compositio quæcumque dicat unionem disjunctorum in composito, quæ nullo modo in Divinitate locum habet, ex eo quod omnia cum illa & inter se realiter identificentur quæ in illa sunt. Detur distinctio virtualis in divinis, detur distinctio formalis, quam necessario admittendam invicibiliter ostendimus, nihil obstat, quandiu cum illa remanebit, ut in rei veritate manet realis identitas, nulla esse poterit disjunctio, proindeque nulla excogitari compositio. & quare a Deo non exularet quæcumque compositio metaphysica, etiam compositio rationis seu per mentem quam finxere nonnulli? quare non omnimoda simplicitate ille gauderet? Numquid ipse non est, ut centies diximus, ens perfectissimum? cur ergo illi non adscriberetur maxima quæ potest excogitari simplicitas? si verum est quod dicit Divus Thomas lib. 1. contra gentiles cap. 18. in quolibet genere, tanto aliquid esse nobilius quanto simplicius, & illud quod est in fine nobilitatis omnium entium, in fine simplicitatis esse oportere, cur Deus, qui est illud quod dicitur in fine nobilitatis omnium entium, non esset inter illa ens simplicissimum, omni & quacumque, etiam mentali ab illo remota compositione?

Et illam, qua gaudere Deum ratio dictat, omnimodam simplicitatem, ipsi soli competere cum Doctore subtili merito assertum est, & quantumvis simplex supponatur creatura quædam, Dei simplicitatem nusquam poterit participare vel adæquare. quia etsi daretur & vere datur creatura simplex, hoc est non composita ex rebus, tamen inquit ibid. quæ. 2. nulla creatura est perfecte simplex, quin aliquo modo sit composita, vel componibilis; & vere composita est ex positione, & privatione, actu, & potentia objectiva & est componibilis alii creaturæ: in Deo autem summa ejus simplicitas excludit omnem etiam componibilitatem, ita ut in alterius compositionem ille venire non possit, cum æqualis, sit imperfectionis in compositionem venire alterius, ac aliquam in se admittere compositionem. unde mirum videri non debet, si nonnulli e Sanctis Patribus, ut Clemens Alexand. Cyrillus Alexand. Maximus Martyr, Anselmus, aliique quibus addi potest Augustinus, compositionem generis & differentiæ ita sollicite a Deo removeant, ut ipsum in prædicamentis ullo modo contineri negent, ne summa ejus perfectio lædi aut imminui videatur.

Nec aliquid nocet assertionis veritati quod quidam inter Sanctos Doctores varia prædicata generica & specifica tribuere Deo videantur: ex eo quod ea ipsi tribuant quantum ad prædicari solum, non quantum ad esse; vel improprie & largo modo, non autem in rigore logico & metaphysice. quapropter recte de Deo sentiebat ille qui dicebat, illum non esse genus, neque differentiam, neque speciem, neque individuum; ea enim omnia ut in se sunt, imperfectionem per se important, quia ut sunt logice & metaphysice considerata, vel in se, limitationem dicant. & licet verum sit, Deum absolute loquendo, aliquid habere quod illi quadamtenus commune dici potest cum creaturis. nempe quod sit ens, & aliud habeat per quod differat ab illis, nempe quod sit (ibid. q. 3.) ens a se ac necessarium; illud tamen, inquit Scotus. non est commune ut genus, quia genus sumitur ab aliqua realitate,

quæ

quæ secundum se est potentialis ad realitatem, a qua accipitur differentia. nullum autem infinitum est potentialem ad aliquid, quia eo quo est infinitum, non potest habere nec a quo, nec unde perficiantur, nec etiam ab alio infinito, quod repugnat, cum propter infinitatem ipsi propriam omnimoda polleat perfectione. nullus ergo conceptus, etiam entis, potest esse communis ut genus Deo & creaturis, cum in istis conceptus ille dicat limitationem, in Deo e contra infinitatem necessario importet. Dicatur igitur Deus ens, substantia, spiritus: etsi multa sint entia, multæ substantiæ, multi Spiritus præter Deum, nullum ex istis prædicatis habebit rationem generis. ob infinitatem Deo essentialem, & creaturæ cuicumque absolute incommunicabilem.

Frustra in nos argueretur dicendo, ex illa Metaphysica simplicitate in Deo redundare maximam imperfectionem, quia quo minus erit Metaphysice compositus, eo paucioribus gaudebit perfectionibus, cum illa Metaphisica compositio in Deo nihil dicat aliud quam perfectionum omnium complexionem: unde data in Deo Metaphysica hac simplicitate, una tantum in eo admittenda erit perfectio, & simplicissima, illeque proinde non erit ens perfectissimum, quod nullo modo defendi potest. puerilia sapit hæc argumentatio quæ præter verborum ambiguitatem qua laborat nihil dicit. in complexione perfectionum minime sita est Metaphysica compositio, ut satis intelligitur ex cunctis quæ diximus talem compositionem a Deo removentes. in immensum succrescat divinarum perfectionum numerus, modo sint ab essentia divina sicuti ab invicem inseparabiles, ex qua inseparabilitate realis resultet necessaria identitas; infinitatem pariter participet quælibet ex his perfectionibus, illamque reapse participabit cum sit entis infiniti perfectio, quo posito non possit una nec indigeat perfici ab alia, nulla usquam ex hujusmodi complexione perfectionum exurget in Deo compositio. falsum pariter intelligitur ex simplicitate Metaphysica sequi quod unica & simplicissima perfectio sit admittenda in Deo. etenim multiplicitas attributorum non adversatur divinæ simplicitati, ut dictum est; illam tolleret, si eodem modo quo illa non sunt formaliter identificata, non identificarentur realiter. quod cum non possit dici, etenim ut alias observavimus, non identitas formalis non secum importat realem non identitatem, Deum Metaphysice simplicem propugnabimus, illumque nihilominus quibuscumque ditatum perfectionibus in suo genere infinitis, & eadem ratione ens perfectissimum prædicabimus, quo nullum majus aut perfectius excogitari potest, & cujus simplicitati non magis opponitur proprietatum seu attributorum pluralitas, quam trinitas personarum.

QUÆ.

QUÆSTIO TERTIA.

An circa Dei incorporeitatem Melito Sardensis, Tertullianus, Audius, S. Epiphanius, Theophilus Alexandrinus in suspicionem merito venerint.

DE crassissimo illo errore corpus physicum materia & forma constans Deo tribuente permultis in suspicionem venisse Melitonem Sardensem Episcopum, Tertullianum, Audium, Epiphanium, Theophilumque Alexandrinum, historiæ testantur. verum jure vel immerito sinister is rumor de illis fuerit sparsus, vereque in Antropomorphitarum ineptias ierint, diffident Theologi, quorum judicium sive affirmans sive negans probabili non caret fundamento. cum illis mitius agere non levibus argumentis nos moventibus, ab illo errore prænominatos, ut fieri potest vindicabimus.

ASSERTIO UNICA.

Nec Melito, nec Tertullianus, nec Audius, nec Epiphanius, nec Theophilus, ab illorum qui Deo corpus physicum tribuunt, partibus stetere, etsi durius vel incautius quidam inter eos de Deo fuerint locuti, aut scripserint.

QUamvis prænominatorum eadem sit causa, eos ab omni suspicione liberare non est adeo facile, cum alii aliis durioris vel mitioris hac de re fuerint sermonis, ut videbimus.

I. *A crassissimo illo errore dimittitur Melito Sardensis.*

LEvissima ducti videntur conjectura quibus in suspicionem venit vir ille, qui secundo Ecclesiæ sæculo pietate ac doctrina fuit insignis, cujus honorifice Eusebius & Hieronymus meminere. Hic librum edidit cui titulus, *de corporato Deo:* ex quo prædicti erroris illum insimulandi ansam sumpsit Origenes apud Theodoretum quæstione vigesima in Exodum, veluti in corpore reposuerit imaginem illam Dei ad quam factus est homo. & Origenis moti auctoritate nonnulli, pro certo habuere, re minime librata, id de quo diligentius fuissent inquisituri: Origenis autem, etsi omnium sui temporis summorum feracis ingeniorum eruditissimi, judicio dum de Militone agitur, non stare nos admonent quicumque inter antiquos probati Scriptores, ut sunt Eusebius, Hieronymus, ipseque Theodoretus textum Origenis referens, obquem prædicto errori adhæsisse a non paucis creditur Sardensis Episcopus, aliique dum de Melitone loquuntur, qui illum magnifice commendant, nec ullibi de tali errore illum accusant, quos in hac parte fuisse deceptos benignius cum ipso agentes gratis fingeretur. insuper S. Augustinus & S. Epiphanius qui hæreses omnes commemorant quæ ante ipsos prodierant, hunc er-

errorem Melitoni non tribuunt, cum tamen de Tertulliano loquatur Hipponensis. Quod indicium est non obscurum Origenem deceptum fuisse inscriptione libri quem ediderat Melito, non de Deo corporeo ut multi legunt cum Origene apud Theodoretum, sed ut supra retulimus de Deo corporato, seu de Deo homine facto: eo magis quod librum, inter quam plures, de incarnatione verbi, a Melitone fuisse conscriptum narrat Eusebius Hist. lib. 4 cap. 26. vel, quod probabile est, Sixto Senensi si credamus, latinam versionem Theodoreti accuratam non esse, & a græco textu dissentire. Unde cum solus Origenes Melitonem erroris insimulat, de illo tacentibus aliis, illum ab Antropomorphitarum ineptiis omnimode alienum pronunciare æquum videtur. & nullus potest improbare qui noverit Melitonem inter eos quorum scripta apostolicam doctrinam vere sapiunt fuisse ab Eusebio annumeratum.

Nec merito nigro calculo notandus censeretur Sardensis Præsul ob catenam græcam, Massiliensemve Gennadium, a quibus Antropomorphitis accensetur. illa enim nullius est authoritatis, cum a quo, & quo tempore fuerit edita plane sit incertum: iste vero e Semipelagianorum grege, veteres præcipiti judicio damnare solet, ut nullus ignorat. iis opponere liceat quæ de Melitone Sardensi Episcopo loquebatur Palicrates scribens ad Victorem Summum Pontificem. *quid porro*, inquit, *Melitonem Eunuchum recenseam, qui Spiritus Sancti instinctu totus afflatus, vitæ suæ tempus pie, sanctèque exegit, qui Sardis conditus est?*

II. *Ab eadem insania jure vindicatur Tertullianus.*

Durius quam fides recta exegisset videtur Tertullianus scripsisse, si verba ipsius secundum id quod prima fronte sonant sumere velimus; unde non absque fundamento quam pluribus in suspicionem venit circa Dei incorporeitatem, ita ut nonnulli putaverint ipsum, corpus physice compositum ad mentem Antropomorphitarum, Deo revera tribuisse. Huneque prave circa Dei simplicitatem vel potius spiritualitatem sensisse libentius pronuntiarunt, quem noverant in multis a fide catholica aliunde defecisse. verum si res attentius consideretur, ab Antropomorphitarum partibus minime stetisse Tertullianum facile dignoscitur: neque enim verba ejus prout sonant, sed prout significant, accipienda sunt: eoque magis quod ipse mentem suam aperuerit eisdem in locis in quibus dubius videtur; unde quare in illo a crasso errore vindicando adeo desudaverint nonnulli vix intelligitur, cum in eo nulla fere sit difficultas, viamque aperiat S. Augustinus illum a prava hac suspicione expediendi, ostendens lib. de Hæres. num. 86. quo sensu dicere is potuerit Deum esse Corpus.

Tertullianum Deo Corpus tribuisse, membra, atque etiam passiones, non est quod diffiteamur. Sed in eo etiam quod a communi Christianorum loquendi ratione Verbo tenus recedit, ab Antromorphitarum vesania se non minus alienum demonstrat, sui ipsius factus interpres; idque manifeste adeo, ut

ut nullus verba ipsius, etsi aliunde incomposita & nova, pensans attente, circa illius mentem anceps possit remanere. sic lib. adversus Praxeam cap. 7. dum dicit, *quis negabit Deum esse corpus, etsi Deus Spiritus est?* Verum quæ sequuntur inspiciamus, & ad ipsius scopum attendamus, brevi quodcumque evanescet dubium. *Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie*, inquit, *sed & invisibilia illa, quæcumque sunt, habent apud Deum & suum corpus & suam formam*. Quis ejusmodi verba concilians dum audit Tertullianum eodem tempore asserentem, Deum qui Spiritus est, Corpus esse, quod contradictionem importat, Spiritumque esse Corpus sui generis, cunctaque invisibilia Dei corpus habere ac formam, statim non advertit, corpus in latissima significatione sumi, nempe pro quacumque substantia, & pro eo omni quod non est inane & vacuum; quod ex industria & veluti coacte protulisse Tertullianum comprobat illius institutum. Praxeam impugnabat, qui Verbum Dei per quod facta sunt omnia, aliquid inane & vacuum, merumque vocis sonum, & aerem offensum dumtaxat esse volebat, non vero quid reale ac subsistens, e substantia Patris, ejusque sinu ab æterno egrediens; quo posito Filius in Deo non erat a Patre distinctus. illius errorem convellens Tertullianus, hunc eo adducere conatur, ut Verbum quod erat in principio apud Deum, & sine quo factum est nihil quod factum est, veram confiteatur Substantiam, & Trinitatis Personam a Patre distinctam; quo ut ducat, omnia quæ in Deo sunt, corpus esse seu substantiam dicit. *Non vis*, inquit Praxeam alloquens, *eum* (*filium*) *substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res & persona quædam videri possit . . . . quid enim dices sermo* (*Verbum Dei*) *nisi vox & sonus oris, & sicut grammatici tradunt, aer offensus? ..... cæterum nescio quid vacuum, & inane & incorporale. At ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse . . . . nec carere substantia quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit . . . . . quale est ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est? ut inanis solida, & vacuus plena, & incorporalis corporalia sit operatus*. Quisquis hæc Tertulliani verba attento perpendit animo, quam plenum habeant sensum, quamve Praxeam premat illud argumentum statim intuetur, corpusque ibi sumi pro substantia quacumque, pro ut per se subsistens nihilo ac inani opponitur, non vero specifice pro re quadam extensa & materiali, pro certo habet. quod confirmatur ex iis quæ sequuntur; postquam enim asseruit, ut supra retulimus, omnia etiam invisibilia quæ sunt apud Deum, corpus & formam habere, quasi a fortiori concludens de Verbo Divino, *quanto magis* ait, *quod ex ipsius* (*Dei*) *substantia missum est, non erit sine substantia?*

His auditis, quæ Tertulliani mentem non ambigue aperiunt, etsi aliquod dubium de ea posset remanere, nonne illud plene resolvitur, attenta phrasi ipsius non insolita, ex iis quæ scribit variis in libris, quæque nihil relinquere videntur quod supersit desiderandum? sic lib. adversus Hermogenem cap. 35. *ipsa substantia corpus est rei cujusque*. lib. de carne Christi cap. 11. *omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est*. lib. de anima generatim pronuntiat quod nihil sit, si non corpus. ergone dicetur Tertullianum sic lo-

quentem nihil medium agnoscere inter corpus proprie dictum seu substantiam extensam quæ materia vocatur, & illud quod non est? id enim concludent necessario qui ex verbis jam relatis colligunt ipsum Deo affinxisse corpus proprie dictum, materia videlicet & forma constans. audiant quid respondeat Hermogeni existimanti materiam æternam esse, nec spiritalem, nec corpoream: *quæ est ista ratio recta*, inquit eodem cap. 35. *quæ nihil recti renunciat, id est nihil certi? Nisi fallor enim, omnis res aut corporalis aut incorporalis sit necesse est: (ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis dumtaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cujuscumque) certe post corporale & incorporale nihil est tertium*. Duplicis generis res ibi distinguit Tertullianus, alias corporeas, alias incorporeas vel spirituales, substantiam tamen quamcumque late ac improprie corpus dici posse affirmans. in rerum incorporearum genere Deum reposuisse manifestant relata in principio hæc illius verba, *etsi Deus spiritus est*. quæ satis essent ad fidem illius vindicandam.

Verum quid ultra laboramus ad ostendendum Tertullianum non credidisse Deum esse corporeum, saltem ad mentem Antropomorphitarum, cum ipse quadruplex ad sinistram hanc suspicionem repellendam nobis suppeditet argumentum, dum Deum partes non habere sed indivisibilem, nec in loco esse, neque passibilem sed impassibilem esse docet, & aliunde rectam de Sanctissima Trinitate fidem tenet. Primum habemus ex eo quod Hermogenem negantem Deum ex semetipso mundum facere potuisse, quia omnia quæ fuisset Deus operatus, partes ipsius fuissent, irridet Tertullianus cap. 2. quasi mundi creatio absque ulla præexistente ab æterno materia, Dei indivisibilitati ac immutabilitati aliquo modo officere potuisset, quod inepte formidare videbatur Hermogenes. Deum nullo circumscribi loco, sed infinitum & immensum esse affirmat contra Praxeam cap. 5. respondens vanæ, ac puerili huic quæstioni sæpe sæpius propositæ, ubinam erat Deus, & quid faciebat antequam orbem conderet: *ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia*. Deum pariter impassibilem, corporis consequenter expertem docet Tertullianus Praxeam cap. 29. stultitiæ arguens quod vellet Patrem qui in se pati non poterat, in Filio carne induto compassum fuisse, ut delirantes Patripassiani, e quorum grege erat Praxeas, contendebant. *Stulti & in hoc*, inquit, *quid est enim compati, quam cum alio pati? porro si impassibilis Pater, utique & incompassibilis: aut si compassibilis, utique passibilis ..... Tam autem incompassibilis Pater, quam impassibilis etiam Filius, ex ea conditione qua Deus est*. Ut vero dignoscatur quantum probet pro Dei incorporeitate istud Tertulliani argumentum, addenda sunt ea quæ habet lib. de anima cap. 7. ostendens omne corpus esse passibile. *in corporalitas nihil patitur, non habens per quod pati possit: aut si habet, hoc erit corpus. in quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile est, corporale est*.

Hæc varia Tertulliani verba, quibus & alia addi possent, perpendant qui illum Antropomorphitarum errore tenent implicatum, & dicant qui ea cum Dei corporeitate queant cohærere. Hunc aliunde rectam circa Sanctissimæ Trinitatis mysterium tenuisse fidem quis ignorat? & qua ratione, quo sensu ve-

verum ac physicum corpus Deo tribuisset, quem unum esse Spiritum, unum Deum in tribus personis ejusdem naturæ ac substantiæ, ejusdem gradus, ejusdem status atque potestatis prædicabat: *Hunc* (Dei filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam & Deus Spiritus;* inquit Apolog. cap. 21. *Tres sunt, non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis quia unus Deus:* ait adversus Praxeam cap. 2. *Spiritus est Trinitas unius Divinitatis, Pater & Filius & Spiritus Sanctus:* lib. de pudicitia cap. 21. Ambigua ne sunt hæc Tertulliani testimonia, ut diutius de ipsius fide ab Antropomorphitarum insania omnimode aliena fas esse possit dubitare?

Verum opponunt non pauci; membra & passiones quæ corpus physicum, materia & forma constans, necessario supponunt, Deo tribuit Tertullianus variis in locis, præsertim lib. 2. contra Marcionem cap. 16. id jam de illo nos in principio testati sumus; hunc nihilominus diverse omnino ab Antropomorphitis sentire, ut indubitatum quid propugnamus, & merito. quamplures jam superius vidimus e Sanctis Patribus, membra pariter, passionesque Deo tribuentes: sed fuitne hæc ratio fundamentum sufficiens quo sinistre de illorum fide judicaverimus? Nequaquam. illos omnes ea improprie seu per metaphoram de Deo prædicasse quis non fatetur? quid illis licuit quin ipsis errori verteretur, cur & Tertulliano non licuisset, ac inculpate? Nonne mentem suam ipse aperuit, unde se improprie de Deo & metaphorice loqui ostendat, humanis divina comparando, in quantum illud fert veritas, hominibus de Deo loquentibus, nonnisi humano more, ut capi possint, verba facere valentibus? Deum dixit Tertullianus sceleftis, ingratis, superbis irasci, itemque errantium misereri. ne autem iis quæ quoad effectum Deo tribuebat abuteretur Marcion de affectu ea intelligendo, indeque legitime concludendum existimaret, Deum esse ad instar hominis mutabilem, qui ulcisci, exacerbari, extolli, æmulari possit, proindeque corrumpi & mori, ut jam ipsi objiciebat Marcion, hæc addit Tertullianus: *quæ omnia patitur suo more, quo eum pati condecet, propter quem homo eadem patitur, æque suo more.* Longiusque progrediens eumdem stultitiæ arguit, quod de Deo idem sapiat ac de homine, in quo passiones cum sint & quod affectum, signum infallibile sunt mutabilitatis ac defectionis. *Stultissimi*, inquit, *qui de humanis divina præjudicant, & quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco & in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantia, & suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. quanta erit diversitas divini corporis & humani sub iisdem nominibus membrorum, tanta erit & animi divini & humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum; quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.* Cui, ex his verbis, non innotescit mens Tertulliani, ea quæ juxta litteram

de homine loquitur, per metaphoram de Deo pronunciantis? quisve circa ea allucinari potest non volens? & quomodo textus ille, Tertulliani fidem in hac parte vindicantibus, in argumentum verti possit, quo ipsum Deo verum tribuisse corpus ostendatur, nescio.

Si ex illo modo loquendi erroris Antropomorphitarum merito insimularetur Tertullianus, libenter pronuntiabo vix unum esse inter Sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores, qui variis erroribus non possit jure notari. & ne a præsenti proposito digrediamur, S. Phoebadius Agennensis, qui fuit unus ex Patribus a quibus in Concilio Nicæno Arius cum suo errore damnatus est, agens contra Sabellium, qui Filium Dei dicebat quid indistinctum a Patre, non subsistens per se, sed merum & inane nomen, eodem fere argumento illum convellit quo Praxeam Tertullianus, ut videri potest Tom. 4. Biblioth. PP. iisdem fere verbis, ostendens verbum in Deo non esse sonum vocis, sed rem substantivam, & per substantiam, corpulentivum, corpus enim Spiritus, inquit, sed corpus sui generis. Deus Spiritus est, non tamen inane, & vacua res Deus. Nemo tamen Sanctum hunc Episcopum Antropomorphitarum errore inquinatum excogitavit, ut optime observat Carolus VVitasse. quare ergo cum utriusque eadem sit causa, utriusque idem sit sermo, sive contra Praxeam, sive contra Sabellium, nihil interest: quare, inquam, dispar esset de utroque judicium? insuper etsi verum esset Tertullianum, a quo mox laudatus præsul Agennensis non est dissociandus, ob incompositam & novam loquendi rationem; sinistre aliquantulum de se sentiendi causam dedisse quantum ad Dei incorporeitatem, implexumque & intricatum esse ipsius sermonem adeo ut nonnisi difficile exponi posset; nonne omne dubium tollunt, cunctamque solvunt difficultatem ea pauca verba quæ ex ipso retulimus lib. de carne Christi cap. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est?* concisis his, sed significantibus verbis mentem suam ipse aperit; ipsaque nobis ad intelligentiam eorum omnium quæ de Dei aut animæ hominis corporeitate vel incorporeitate scripsit, certus tutusque sunt aditus: quidquid in iis potest occurrere difficultatis per ea est resolvendum; & a veris rectæ prudentisve criticæ regulis deflecteret qui diversa incederet via. His obiter notatis, non est quod amplius immoremur in conciliandis variis quæ opponuntur ex eodem Tertulliano momentis? ex iis enim quæ dicta sunt facili negotio solventur.

Sed adhuc reponunt: Sanctus Augustinus, S. Fulgentius, S. Thomas, Tertullianum Antropomorphitarum errore, vel potius insania notatum affirmant. Nec id visum fuisse his percelebribus Sanctæ Christi Ecclesiæ Doctoribus, nos contradicimus. Sed durioribus ac novis Tertulliani verbis offensos illos & deceptos hujusmodi judicium, re non radicitus excussa, tulisse existimamus, ipsius mentem si altius fuissent rimati; adversarios quos impugnabat secum cogitantes, alioversum opinaturi. aliunde non immerito diceretur Augustinum, etsi hujus erroris Tertullianum insimulaverit, tum lib. 10. de Genesi ad litteram, tum lib. de Hæresibus, tum Epist. 190. ad optatum,

tum, tum lib. de anima & ejus origine; ancipitem nihilominus fuisse, ex absurdis quæ sequebantur admissa semel a Tertulliano corporeitate Dei. Siquidem dato quod Deus corpus esset, illum passibilem erat dicturus, cum jam asseruisset omne corporale passibile esse. Nec arbitrari poterat Augustinus ita desipuisse Tertullianum, ut etiam Dei naturam passibilem credidisset, Christumque non in carne tantum & anima, sed in ipso verbo Deique natura passibilem & commutabilem fuisse. Hæc de illo habet de Genesi ad litteram lib. 10. cap. 25. de eodem loquens lib. de Hæresibus num. 86. memoransque illum animam dixisse immortalem, etsi eam diceret corpus, idem de Deo existimans, dicit tamen non hinc factum hæreticum, quia, inquit, potuit putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas; sed ubique totus, in sua natura atque substantia immutabiliter permanet. quibus ut videtur illum aliquo modo excusat Augustinus, quod illum indicat de mente Tertulliani dubitantem. unde benignius & nos de illo judicare nihil vetat; quin potius illud nos æquitas postulat, quibus videtur indubitatum, Tertulliani verbis attente perpensis, ipsum Deo tribuentem corpus, nihil aliud intellexisse quam veram substantiam, pro ut hæc inani, & vacuo opponitur; & quæcumque in Deo corpus verum videntur significare, metaphorice accepisse. Nec ab hac opinione nos revocant ea quæ scripsit de anima, quæ licet duriora sint, & plus habeant difficultatis, nihilominus cum animæ spiritualitate quam tenebat immortalem, optime conciliari possunt: quod ostendere haud difficulter possemus si præsentis nostri esset instituti, cujus fuit dumtaxat Tertullianum ab Antropomorphitarum errore vindicare, salva quæ debetur præcitatis Sanctis Doctoribus, & aliis contra sentientibus reverentia.

III. *Antropomorphitarum insaniæ particeps Audius non videtur.*

ETsi quamplures fuerint in Ægypto Monachi tantæ ingenii rusticitatis, ob quam, ut observat S. Augustinus lib. de Hæref. num. 50. eos ab hæresi excusandos censuit S. Epiphanius, ut Deum carnali cogitatione sibi finxerint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, decepti fortasse opinione quorumdam inter veteres, qui, ut jam notavimus, arbitrati sunt Deum quando hominem formavit, assumpsisse sibi corpus ad cujus similitudinem humana membra componeret, unde juxta litteram intelligenda essent hæc Geneseos verba, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, exinde minime sequitur Audium, a quo orti sunt Audiani, a Patribus latinis ex litterarum transpositione dicti Vadiani, inter quos sæculo sequenti quamplures crassissimo Antropomorphitarum errore sunt infecti, turpi hac insania laborasse, licet aliunde existimaret præfatam similitudinem hominis cum Deo esse in corpore constitutam. quomodo apud multos in suspicionem venire potuerit difficile intelligitur, cum illam ab eo prorsus removeat S. Epiphanius Audii coætaneus, qui illum ejusque sectam proprius inspexit, & de illo

illo ejusque placitis agit hæresi 70. cujus proinde testimonium omnibus præstare debet, etiamsi Epiphanium Antropomorphitarum errori favisse nonnulli imperite ex calumnia asseruerint.

Affirmat igitur S. Epiphanius Audium extitisse virum egregiæ pietatis, multorum cœnobiorum, in quibus austerior vigebat disciplina, parentem, qui de Sanctissimæ Trinitatis mysterio Catholicam prorsus sententiam tenuit, & ab Ecclesia orthodoxaque doctrina numquam recessit; id unum a communi fidelium sensu habens alienum, quod dure nimis ac præfracte defenderet in hominis corpore potissimum relucere Dei imaginem ad quam homo dicitur factus. quod revincens Epiphanius, dicebat inde absurdum aliquid sequi, nempe Deum habere corpus humano corpori simile, quod non adinisisse Audium ostendit Epiphanii argumentatio, quæ alioquin omni sensu fuisset vacua, illumque nullomodo urgeret. alterum in quo reprehendendum Audium dicebat Epiphanius erat, quod pascha cum Judæis luna decima quarta celebraret; circa cujus celebrationem valde per aliquot annos disceptatum est, ac plura concilia habita sunt, donec tandem, Ecclesia sic disponente, usus præsens invaluit.

Nec in nos retorqueri possunt, cum Audium ab Antropomorphitarum errore vindicamus, ea quæ de Audianis sentiunt & referunt Theodoretus, Facundus Hermiannensis, S. Thomas, aliique, illos crassi hujus erroris, vitæque depravatæ accusantes. id enim verum esse posse de permultis Audianis non diffitemur: at de ipso Audio, primisque illius discipulis quos S. Epiphanius viros omni virtutis & pietatis laude commendabiles fuisse narrat, illud minime concedimus, & revera Audianos qui Sæculo quinto extitere, longe in omnibus diversos fuisse, sive de fide, sive de moribus agatur, ab iis qui quarto sæculo degebant, scriptores illius ævi non obscure indicant: unde facili negotio conciliantur istorum præconia, & probra illorum. Non inficiabor tamen Audium probatæ fidei virum, & Sanctitatis laude spectabilem, multorum sibi parasse invidiam: & mirum si res aliter cessisset: homo austerus, Ecclesiasticæ disciplinæ amans, in Clericorum vitia liberius declamabat, inquit Epiphanius; sicque in multorum odium cum incurrisset, & errori Antropomorphitarum esset affinis ejus opinio, qua imaginem Dei in ipsa hominis corpore constituebat, hunc ei tamquam ex illa consectarium affingere potuerunt, postquam fuit hac vita functus, nonnullis ex ejus discipulis in illam insaniam jam delabentibus. His omnibus rite perpensis, & Sancti Epiphanii locupletissimi testis auctoritate ducti, Audium ab omni suspicione liberum in hac parte prædicamus.

Hic obiter liceat observare, illum a quibusdam fuisse gratis schismate accusatum: id enim falsi arguitur, ut vidimus, ex Epiphanio, qui Audium, cujus dogmata ex professo inquisierat, & quæcumque de eo sunt non potuit ignorare, cum eadem vixerit ætate, testatur ab Ecclesia & fide catholica non recessisse. & sibi contrarius in hac parte est Carolus VVitasse, haud dubie ex non advertentia aut amanuensium incuria: qui, relato S. Epiphanii testimonio, quo nixus Audium ab Antropomorphitarum errore vindicat, illum deinde

de schismaticum fuisse dicit, veluti alio modo schismaticus quis fieret, quam sacrilega discessione, & hæreticus sacrilego dogmate, ut loquitur S. Augustinus lib. 2. contra Gaudentium Donatistarum Episcopum cap. 9. De Antropomorphitis aliud esto judicium. eos se separasse a communione catholica ex Epiphanio refert Hipponensis lib. de Hæresibus, " quamvis sint, inquit, qui eos in Ægypto Ecclesiæ catholicæ communicare asseverent. " unde circa Vadianos, de his enim loquitur, quoddam dubium esse potest, re nihilominus de Audio a schismate & errore illo vindicato certa remanente.

IV. Epiphanium & Theophilum Alexand. absque causa in illius erroris suspicionem venisse ostenditur.

Sancti Epiphanii & Theophili Alexandrini causa adeo connectitur ut non sint ab invicem disjungendi. Sanctum Epiphanium & Theophilum Alex. ita Antropomorphitis favisse existimant nonnulli ex Socrate lib.6. hist. cap. 10. & Sozomeno lib. 8. cap. 14. ut velint hunc errorem in concilio Alexandriæ celebrato, agente Theophilo hujus Ecclesiæ Patriarcha, & in concilio in insula Cypri habito, præsidente S. Epiphanio, fuisse confirmatum, & in utroque fuisse damnata scripta Origenis, eo quod in iis sæpe docuisset Deum esse incorporeum, quod in causa fuerat Origenem a Monachis illis summo odio fuisse habitum. longiusque aliqui progredientes volunt Theophilum Patriarcham, qui Antropomorphitis quam maxime adversabatur, in eorum tandem partes Epiphanii auctoritate ac studio fuisse pertractum, quem tamen Theophilus antea insimulaverat tamquam abjecte sentientem de Deo, quem humana specie præditum esse arbitraretur Epiphanius. His pro ut a Socrate & Sozomeno relata reputantur auditis, Epiphanium nihilo secius, simulque & Theophilum hujusmodi erroris suspicione jure merito posse absolvi quis crederet? id tamen validis probatur argumentis, præsertim si in his quæ scripta narrantur, vera a falsis discernantur.

Ac 1. quidem ad ea quæ scripsisse memorantur Socrates & Sozomenus quod spectat, non eo videtur recurrendum ut dicatur cum multis magni nominis Theologis post doctissimum Valesium, errore facti laborasse illos historicos dum narrant, in memoratis Alexandriæ & Cypri duobus conciliis damnata fuisse Origenis scripta, quia Deum omnimode incorporeum purumque Spiritum esse passim affirmat; illosque commentum istud ab Origenista quodam hausisse, a quo decepti dicuntur ob odia in quæ vicissim exarserant Antropomorphitæ & Origenistæ, sese hæreseos nota, prout affecti erant, invicem inficientes, unde imprimis erat, quod Catholici omnes, qui Antropomorphitarum insaniæ adversabantur, ab his veluti contumeliosa nuncupatione Origenistæ dicebantur: eo inquam minime recurrendum: tum quia illud effugium inane esset. quæstionem minime solvens, nec Epiphanium aut Theophilum ab illata purgans suspicione: tum quia fides Socrati & Sozomeno est hac in parte habenda, qui diebus illis quibus hæc duo concilia habita sunt vixere, Constantinopoli ubi quid in eis actum fuerat nemo ignorabat, de-

degentes; unde non erat quod ab Origenistis potius quam ab eorum adversariis, utriusque concilii acta reciperent. quapropter utrumque Historicum deceptum circa illud factum testes refellere, ut commentitium quid ac æquitati repugnans respuitur.

Et ut quid eo diverticuli recurreretur cum res in promptum habeatur? falsum igitur est Socratem & Sozomenum narrasse Origenis scripta in his conciliis ob incorporeitatem Dei, quam perpetuo tenuit, fuisse proscripta & damnata. condemnationem scriptorum Origenis narrant, de causa ob quam, vel de consilio illa damnantium tacentes. rem hanc altius rimemur: id Epiphanii ac Theophili causæ debetur. Sanctum Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum a Theophilo fuisse insimulatum, eoquod Deum humana specie prædituum esse arbitraretur, jam memoravimus. illos deinde amicitiam secum redintegrasse dicit Socrates, quem ea quæ gesta sunt narrantem audire juvat. " cum „ ergo Theophilus de Deo ita sentiret, inquit, eosque reprehenderet qui „ Deum humana figura præditum esse censebant, præ odio tamen quo in „ alios ferebatur " (Dioscorum scilicet, Ammonium, Eusebium, & Euthymium quos fratres longos vocabant designare intendit Socrates, quos ex Ægypto fugare volebat Theophilus, & hac de causa Monachis Ægyptiis, qui maxima ex parte Antropomorphitæ erant, quosque adjutores in hac parte volebat, se adjunxit) " ea quæ sentiebat palam abnegavit: iniitque tunc „ amicitiam cum Epiphanio, quocum antea dissentiebat, perinde ac si pœ„ nitentia ductus cum illo sentiret de Deo. Episcoporum quoque synodum „ in Cypro ab eodem fieri curavit, qua Origenis libri condemnarentur. Epi„ phanius vero ob singularem pietatem, summa morum simplicitate prædi„ tus, Theophili litteris facile inductus est: collectoque Episcoporum totius „ insulæ Concilio, lectionem librorum Origenis prohibuit. Misit etiam lit„ teras ad Joannem Episcopum (Jerosolymitanum), quibus eum hortabatur, „ ut & ipse a legendis Origenis libris abstineret, & convocata Synodo Epi„ scoporum, idem cum ipso decerneret. Theophilus itaque cum Epiphanium „ pietatis nomine celeberrimum in suam sententiam pertraxisset, rem sibi „ ex voto succedere animadvertens, sumpta majore fiducia, plures Episcopos „ convocavit, & libros Origenis, qui ante ducentos ferme annos mortem „ oppetierat, eadem qua Epiphanius condemnationis sententia perculit; non „ quod revera id agendum sibi proposuisset, sed ut Dioscorum fratresque „ ejus ulcisceretur. " Hæc Socrates, a quo non recedit nec uno verbo fere Sozomenus, quem adibit curiosus lector.

Ex hac Socratis narratione duo habemus. unum, verum non esse his in Conciliis confirmatum fuisse errorem Antropomorphitarum ut ferunt qui istius erroris Epiphanium, Theophilumque insimulant, cum de eo nec ullum habeant verbum præfati historici. Alterum, falsum pariter esse damnata in iis scripta Origenis fuisse quia Deum affirmat incorporeum; horum enim damnationis causa siletur. esto quod ea fuerit mens Theophili, idque promiserit Monachis Antropomorphitis, animo eorum amicitiam sibi conciliandi ut illos citius ac vehementius commoveret in fratres longos quos summo proseque-
ba-

batur odio; illud tamen vel suis Episcopis scripsisse vel Epiphanio, omni caret probabilitate; nec ex Socratis aut Sozomeni narratione id legitime colligi potest. id, inquam, omni caret probabilitate, quia de ratione illa concilii congregandi nihil habet ipsius ad Epiphanium epistola quæ habetur apud Hieronymum: & aliunde certo sciebat se numquam convocatos Episcopos adducturum ut hac de causa Origenis scripta damnarent; tunc enim temporis, testantibus Socrate & Sozomeno, soli imperiti & simpliciores, inter quos plures ex Monachis regionis illius, qui præ imperitia verba Sacræ Scripturæ simpliciter & incaute accipiebant, Deum esse corporeum arbitrabantur.

Antropomorphitarum insaniam in his duobus memoratis Conciliis approbatam non fuisse vel confirmatam aliud suppeditat S. Hieronymus argumentum, quod ad vindicandum ab illa Epiphanium & Theophilum non parvi videtur momenti. Si enim uterque Deum corporeum juxta Monachorum Ægypti mentem existimasset, & clandestinis illorum consiliis in Origenis scripta damnatorium judicium in conventibus Episcoporum Alexandriæ ac Cypri fuisset datum ex eo quod incorporeitatem Dei ubique hæc scripta sonabant, quod veram errori opposito adhæsionem illiusque confirmationem indicaret, quomodo S. Hieronymus, quem nemo Antropomorphitis favisse narrabit, probasset ea quæ in duobus his conventibus Episcoporum a Theophilo & Epiphanio gesta fuerant in damnando Origene ejusque scriptis proscribendis? est autem absque dubio Sanctum hunc Doctorem epist. 67. & septem sequentibus, horum Conciliorum, præsertim Alexandrini mentionem habentem, illorum acta laudare, simulque Epiphanium & Theophilum prædicare, ut cuilibet legenti fit manifestum. & aliunde Antropomorphitas idem Hieronymus simplicitate rustica errasse scribit, hæreseosque stultissima reos dicit epist. 61. ad Pammachium. Hieronymo addi posset Sulpitius Severus dialogo primo de virtutibus Monachorum Orientalium qui loquitur de controversia quæ Alexandriæ, ubi degebat, efferbuit de libris Origenis inter Theophilum Alex. & Monachos. cum præsentis instituti nostri non sit Origenis causa, quæ celebris multo tempore extitit in Ecclesia, & de eo valde disceptatum hinc inde fuerit, huic diutius immorari non juvat. prælaudatum auctorem, sincerumque historiæ scriptorem consulet studiosus lector, qui, quod Epiphanium ac Theophilum ab errore jure vindicaverimus, nobis gratulabitur.

Nec 2. gravi nituntur fundamento qui volunt rationem saltem occultam ob quam de damnando Origene solliciti fuere Epiphanius ac Theophilus, fuisse quod uterque errore Antropomorphitarum laboraret, cujus sufficiens indicium est, inquiunt, quod Theophilus, qui vere Deum incorporeum alias docuerat, & Epiphanium, ut vidimus, contra sentientem reprehenderat, suam mutaverat sententiam, ut Monachorum benevolentiam consequeretur, ipseque incorporeitatis Dei defensores postea calumniabatur: Epiphanius vero rectam & catholicam dicebat fidem Audii & Audianorum, quos Deum tenere corporeum habebat compertum. quam leve sit hujusmodi argumentum caduca hac fretum conjectura facili negotio ostendetur. Theophilum vere ac sincere, qui de Dei incorporeitate catholice sentiebat, suam ex adverso mutasse sen-

tentiam verisimile non est. Palam abnegaverit, id est oretenus, quæ antea sentiebat, ita ut a priori discessisse opinione, oppositam tenere simulans his Monachis videri voluerit ut eos deciperet, & in suos adversus fratres longos partes traheret adeo ut simulata ejus mutatione illum crediderint Antropomorphitæ suum, sicque ultro ei insidiari destiterint, quod futurum speraverat Theophilus dum ipsorum amplecti sententiam illis promiserat, simulque de damnandis Origenis libris spem fortasse illis dederat, id indicant Socrates & Sozomenus, & absque probabilitate non videbitur iis quibus est compertum quid in homines possint livor & odium. attamen ipsum animo sincero in illorum partes aliquando venisse, nulla extat causa sufficiens id affirmandi. Nec satis est ut de eo sinistre in hac parte liceat judicare, quod vir fuerit in quibusdam dubiæ famæ, tempori rationes suas accommodans, atque etiam contra fas omne, ut dicitur, Sanctum Joannem Chrysostomum fuerit insectatus. imo Cassianus collat. 10. dicit Theophilum apud plerosque Monachos Ægyptios invisum semper fuisse, quod aliter ac ipsi de Deo sentiret, & Deum esse corporis expertem doceret, ita ut eum quasi hæresi gravissima depravatum, pars maxima seniorum decreverit detestandum.

Sanctus vero Epiphanius nusquam credidit Audium docuisse Deum esse porporeum, ut liquet ex iis quæ diximus de mente Audii superius inquirentes; unde immerito concludendum videretur Epiphanium non fuisse ab illo errore penitus alienum. hujus enim consequentiæ falsitas brevi demonstraretur, ex eo quod sciens S. Epiphanius Audium reponere in Adami corpore imaginem illam Dei ad quam homo primus factus narratur, quod sentiebant cariter Catholici non pauci, qui tamen Deum tenebant incorporeum, ipsum reprehenderit, ut observavimus, ostendens illi ex tali sententia vel modo Scripturæ Sacræ verba intelligendi, sequi quasi necessario de Deo affirmari posse quod haberet corpus humano corpori simile, quod absurdum esse dicebat Epiphanius, quodque indicat in absurditatem illam non incidisse Audium, vel etiam de illa fortasse non cogitasse, multoque magis a tali sententia, quam solos imperitos & simplices tunc temporis tenuisse testantur Socrates & Sozomenus, Epiphanium fuisse vere alienum. Nec aliquid in contrarium deducitur, ex eo quod scripserit Epiphanius Audium a recta fide & Catholica doctrina non recessisse: idem enim fertur judicium de pluribus, etiam inter scriptores ecclesiasticos, qui etsi existimaverint hanc hominis cum Deo similitudinem quadamtenus se tenere ex parte corporis, non arbitrantes tamen Deum corpus habere, non fuere hæresi notati, nec a catholicæ fidei doctrina dicuntur recessisse: quapropter jejune ex illo capite adversus Epiphanium argueretur.

Verum in causa Sancti istius Episcopi adhuc insistamus, argumento, ut dicunt, positivo ostendentes illum Deum incorporeum firmiter tenuisse. Epiphanium in suspicionem quamdam venisse, veluti errori adhæsisset Antropomorphitarum, mirum videri non debet, cum Origenistas fuerit vehementer insectatus, & in damnandis peritissimi illius, ut loquitur Severus Sulpitius, Sacrarum Scripturarum tractatoris libris multum insudaverit: satis enim erat die-

diebus illis Origenistis adversari, ut sinistre quis audiret, ac favens Antropomorphitis reputaretur. se tamen ab omni erroris illius liberum suspicione manifestavit Epiphanius, cum auditis eis quæ locutus fuerat Joannes Jerosolymitanus illum suspectum facere volens stultissimæ illius hæreseos, ut loquitur Hieronymus, *surrexit, salutataque & voce, & manu ecclesia;* (verba sunt Hieronymi factum narrantis epist. 61. ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani) *cuncta* inquit, *quæ locutus es collegio frater, ætate filius meus, contra Antropomorphitarum hæresim, bene & fideliter locutus es, quæ mea quoque damnatur voce: sed æquum est ut qui modo hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis perversa Dogmata condemnemus.* quibus Epiphanii verbis ab Hieronymo relatis, si addamus ea quæ ipse scripserat revincens Audium hæresi 70. quæ est Audianorum, penitus evanescet quidquid dubii vel suspicionis circa ipsius fidem posset adhuc superesse. *Nec minus*, inquit, *& aliorum rejicienda sententia, qui corpus ad imaginem Dei esse factum prædicant. Nam qui fieri potest, ut quod aspectabile est ei simile sit quod videri non potest? aut corporeum corporis experti? aut quod contrectari potest ei quod apprehendi nequit?* attente igitur perpendantur ea quæ adduximus momenta, de quorum veritate nemo est qui certus fieri non possit, statimque gratum unicuique erit quod Epiphanium ac Theophilum ostenderimus ab illorum partibus non stetisse, qui Deo corpus physicum vesania potius quam impietate tribuebant.

QUÆSTIO QUARTA.

An Deus immutabilis sit & æternus.

CUm ille solus immutabilis vere sit qui est æternus, æternitatemque secum importet immutabilitas, ita ut una pro alia videatur concludere necessario, de utraque divina illa perfectione simul disserere juvat. veram de Deo nusquam habuisse ideam qui illum immutabilem ac æternum non existimarunt, aut aliquid aliud præter ipsum arbitrati sunt immutabilitate vel æternitate gaudere, recta docet ratio, a qua recessisse, Stoicos apud Origenem, Deum mutationi & alterationi obnoxium reputantes; Hermogenem materiam increatam ac Deo coæternam affirmantem, ne creans illam Deus in tempore mutabilis esset dicendus; Socinianos & alios quosdam Deum, non secundum substantiam quidem mutabilem, sed in voluntate sua ac decretis, unde nova in eo succedat volitio, putantes, non immerito affirmatur. Valentinum delirantem cum sua triginta Aeonum in pleromate seu Divinitatis plenitudine existentium fabula, non est quod hic commemoremus. Hunc, ejusdemque furfuris variorum temporum homines, qui nihil quod rationem sapiat commenti sunt, si essemus impugnaturi, in immensum succrescerent præsentes nostræ exercitationes, in quibus, ab iis omnibus quæ nullius sunt utilitatis, & vanam curiositatem dumtaxat alere possunt, judicamus abstinendum.

Omne principium, omnem finem, omnem successionem excludi ab æternitate

tate probat quicumque potest intelligere æternum. quod enim aliquando non fuit aut non erit, vel habet prius & posterius, quomodo reputari posset æternum? quidquid ergo a se ipso non est, aut non existit necessario, vera non donatur æternitate: siquidem fuit tempus in quo non erat, & eo tempore quo est posset non esse, cum non sit in eo necesse esse. ergo nihil creatum dicetur æternum. solius igitur Dei erit esse æternum & immutabilem. utrumque de illo affirmabimus, etsi nec æternitatem capere, nec capi posse, cum de illa loquimur, præsumamus.

ASSERTIO UNICA.

Immutabilitas & æternitas ita sunt Deo propriæ, ut ipse solus sit immutabilis & æternus.

UNanimis adeo est circa assertam veritatem hominum consensus, ut a ratione deficere judicetur quisquis de ea videtur dubitare. Divinitati enim ita essentialiter competit utraque illa perfectio, ut facilius concederetur, si rationi non minus quam fidei id repugnaret, Deum non existere, quam illum existentem fateri, & æternum ac immutabilem illum non prædicare. Maximam imperfectionem arguit mutabilitas: principium sui esse necessario postulat quod æternum non est, ideoque & majus se aliquid supponit. cum ergo Deus sit necessario, ut sæpe dictum est, illud quo majus, aut melius, aut perfectius nihil potest excogitari, immutabilis simul & æternus necessario agnoscatur consequens est. Nec in confirmanda ex fidei principiis aut motivis propositione tantam præseferente evidentiam est quod immoremur immutabilitati Dei ejusque æternitati testimonium undequaque perhibent sacræ Scripturæ. Deum æternum, immutabilem, pleno ore celebrant Sancti Doctores. in Dei æternitate ac immutabilitate quam inseparabiliter comitatur summa ipsius veracitas, fundari nostræ Religionis firmitatem nullus ignorat. ne autem istud fidei caput insolito præteriisse videamur, pauca ex innumeris quæ allegari possent momenta audiamus.

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut Filius hominis, ut mutetur. Num. cap. 23. *ipsi peribunt, tu autem permanes: mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* psal. 101. *ego Dominus & non mutor.* Malach. cap. 3. *apud quem* (Deum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Jacobi cap. 1. *vivo ego in æternum.* Deuter. cap. 33. *potestas ejus* (Dei) *potestas æterna.* Dan. cap. 7. *a sæculo & usque in sæculum tu es Deus.* psal. 89. *Dominus in æternum permanet* psal. 9.

Immutabilitatem Dei commendans pluribus in locis Augustinus, hæc scribit confess. lib. 1. cap. 6. Deum alloquens: *Tu autem Domine qui & semper vivis, & nihil moritur in te, quoniam ante primordia sæculorum, & ante omne quod vel ante dici potest, tu es, & Deus es Dominusque omnium quæ creasti: & apud te rerum omnium instabilium stant causæ; & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ vi-*

vivunt rationes. egregia ſane ſunt quæ loquitur lib. 13. cap. 16. *ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. & eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter, & ſcientia tua eſt & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt & ſcit incommutabiliter*. de Dei æternitate ſimul & immutabilitate ſic loquitur in epiſt. Joan. cap. 3. Tract. 4. Num. 5. *Noſtis quid vocatur: eſt quod vocatur, & non ſolum vocatur, ſed vere eſt, incommutabile eſt: ſemper manet, mutari neſcit, nulla ex parte corrumpitur: nec proficit quia perfectum eſt; nec deficit quia æternum eſt.*

Viva & germana Divinitas nec de novitate, nec de vetuſtate, ſed de ſua veritate cenſetur. Deus ſi eſt vetus, non erit; ſi eſt novus, non fuit: novitas initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus eſt ab initio & fine, quam a tempore arbitro & metatore initii & finis. Hæc Tertullianus lib. 1. contra Marcionem. *Deus & erat ſemper, & eſt, & erit: vel ut rectius loquar, ſemper eſt. Nam erat & erit, noſtri temporis, fluxæque naturæ ſegmenta ſunt. ille autem ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat cum in monte Moſi oraculum edit. univerſum enim id quod eſt in ſe complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum:* inquit S. Gregorius Nazian. orat. 38. unde Deum immutabilem & æternum corde ſincero confitetur quilibet Chriſtianus, juxta definitionem Concilii Lateranenſis extra. de ſum. Trin. & fide catho. Patribus ſic loquentibus: *firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, incommutabilis.*

Ex his & ſimilibus tum Scripturæ tum Patrum teſtimoniis, in aſſertæ veritatis confirmationem multiplex ratio Theologica poſſet educi ſi opus eſſet. etenim vel Deus, ſi mutabilis eſſet, tranſiret a meliori in deterius, vel a deteriori in melius. quo modo autem hujuſmodi mutationem poſſet experiri ille qui eſſentialiter ac neceſſario eſt ſummum bonum, omnem & quamcumque perfectionem in gradu perfectiſſimo complectens? & eadem ratione qua illud ſummum bonum quod Deus eſt, immutabile eſt, æternum debet eſſe. ſiquidem ſupponatur habere principium, mutabitur de non eſſe ad eſſe: ſupponatur finem habiturum, mutabitur de eſſe ad non eſſe. omnimoda immutabilitate gaudere Deum ratio clamat, tam in ſuis decretis, quam in ſua ſubſtantia: illam neceſſario importat æternitas: æternitatem oſtendit immutabilitas: utramque ſibi indefectibiliter ineſſe poſtulat Divinitas.

Has autem perfectiones ita Deo proprias diximus, ut iis nequeant gaudere creaturæ, ſitque Deus ſolus incommunicabiliter immutabilis & æternus. plures ſunt divinæ perfectiones quarum per gratiam participes fieri poſſunt, ſaltem ex parte, creaturæ ſecundum menſuram donationis Dei. quot enim modis omnipotentiæ ejus atque præſcientiæ participes non ſunt effecti Sancti Prophetæ, Apoſtoli, aliique, futurorum prævisione, poteſtate miraculorum, ſignis & prodigiis Divinitatem ſapientibus, inter homines merito commendati? ad Dei perfectionem inchoative ſaltem attingere poſſunt & debent Chriſtiani, dicente Chriſto, *eſtote perfecti ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt*. ipſius etiam ſanctitatem poſſunt atque tenentur æmulari juxta id quod ſcriptum eſt, *Sancti eritis quoniam ego Sanctus ſum*. at immutabilitas, æterni-

nitas, ſicut & infinitas, ſunt abſolute incommunicabiles, non ſuſcipiunt magis & minus, neque gradibus valent computari: hæ omnimodam ex parte ſubjecti cui inſunt (ſi fas ſit de Deo ita loqui) ſupponunt ac poſtulant independentiam; ideoque ſoli enti a ſe, ac neceſſario exiſtenti poſſunt competere; ſicque Deus ſolus immutabilis, æternus, nec non infinitus prædicari poteſt: omnem & quamcumque limitationem excludunt illæ perfectiones, quæ ſoli enti undequaque illimitato propriiſſimæ ſunt.

Juxta hunc ſenſum de Deo loquens Apoſtolus Paulus 1. Timot. cap. 6. dicit, *qui ſolus habet immortalitatem*, æternitatem ſimul ac immutabilitatem intelligens, ut obſervat Auguſtinus Tract. 23. in Joan. his verbis: *quid ergo eſt quod ait Apoſtolus de Deo qui ſolus habet immortalitatem: niſi quia hoc aperte dixit, ſolus habet incommutabilitatem, quia ſolus habet veram æternitatem?* quibus omnimode conſonant quæ loquitur lib. de natura boni contra Manichæos cap. 39. *illa eſt autem vera æternitas, quæ vera immortalitas, hoc eſt, illa ſumma incommutabilitas, quam ſolus Deus habet, qui mutari omnino non poteſt.* ſic autem de Deo fuerat locutus cap. 1. *ſummum bonum, quo ſuperius non eſt, Deus eſt: ac per hoc incommutabile bonum eſt; ideo vere æternum, & vere immortale.* Hipponenſem talia fantem ſatis ſit audiviſſe; cum eo enim omnes Patres, cunctoſve audivimus Doctores, quorum omnium una eſt mens, idem eſt loquendi modus.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Mutabilem Deum oſtendunt opera ejus ad extra quibus multa in tempore operatus eſt, ex quibus novæ ipſi acceſſere denominationes, ut ratio Creatoris ex quo mundum condidit, creaturas ſive viſibiles ſive inviſibiles, tum materiales tum intellectuales pro arbitrio producens, quæ ab æterno eſſe non poſſunt. cum ergo tempus fuerit in quo nec Creator nec Dominus erat, cum nihil adhuc produxiſſet in quod ſuum exerceret dominium, quodve illum oſtenderet Creatorem, ex quo neceſſario ſequitur in ipſo eſſe prius & poſterius, cum ex non operante factus ſit operans, mutationem quamdam ipſi accidiſſe fatendum eſt, ſine qua ab uno ſtatu ad alterum tranſire minime potuiſſet.

Reſp. Magnum quid contra Dei immutabilitatem ſibi videntur moliri qui ipſi Deo quamdam mutationem accidiſſe temporanea mundi creatione volunt, non intelligentes quidquid mutabilitatis reperitur ſe tenere ex parte rei creatæ, quæ a non eſſe tranſiit ad eſſe, nullatenus vero ex parte Dei creantis, qui novitatis iſtius cauſam in æterno habuit conſilio, ut loquitur Auguſtinus; ex cujus immutabilitate conſilii manente mundum ex tempore factum eſſe, dubium non eſt, Deumque in eo faciendo æternum conſilium & voluntatem nullomodo mutaſſe. quid enim tali operatione qua factus eſt mundus qui antea non erat, acquirit de novo Deus aut deperdit? nihil certe *quanto facilius*, inquit lib. 5. de Trin. cap. 16. *de illa incommutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter*

poraliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei aliquid accidisse intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur. in humanæ mentis imbecillitatem, res quæ supra ipsam sunt metiri volentis, refundendum esse novum illud quod in temporanea mundi creatione mutationem significare videtur, indicat idem S. Doctor, respondens quibusdam Philosophis mundum æternum opinantibus, & sæculorum revolutionem secundum quam universa in eumdem ordinem eamdemque speciem sunt reditura credentibus, quique primam rerum generationem non intelligentes, nec totalem mundi futuram dissolutionem, circumitus temporum inducebant, quibus eadem semper fuisse renovata atque repetita in rerum natura, atque ita deinceps fore sine cessatione asseverabant. " quid autem mirum est, inquit, lib. 12. de civit. cap. 14. si in his „ circumitibus errantes, nec aditum, nec exitum inveniunt? quia genus „ humanum atque ista nostra mortalitas, nec quo initio cœpta sit sciunt, „ nec quo fine claudatur; quandoquidem altitudinem Dei penetrare non „ possunt: quia cum ipse sit æternus & sine initio, ab aliquo tamen initio „ exorsus est tempora, & hominem quem numquam ante fecerat, fecit in „ tempore, non tamen novo & repentino, sed immutabili æternoque con„ silio. quis hanc valeat altitudinem investigabilem vestigare?... Numquid„ nam existimandum est subito Deo placuisse hominem facere, quem num„ quam antea infinita retro æternitate fecisset, cui nihil novi accidere po„ test, in quo mutabile aliquid non est?..... sentiant homines quod pu„ tant, & quod eis placet opinentur & disputent ... valde quippe altum „ est, & semper Deum fuisse, & hominem quem numquam fecerat, ex ali„ quo tempore primum facere voluisse; nec consilium voluntatemque mutas„ se. " quibus verbis retundens Augustinus hominum superbiam altiora se sapere cupientium, Deo nihil accidisse mutationis per temporalem hominis creationem, qua & rerum omnium creatio etiam significatur, ostendit.

Ut autem facilius intelligatur ex productione creaturarum nullam in Deo resultasse mutationem, nec dici posse illum transisse ab uno statu ad alium cum ex non creante factus est Creator, ita ut in ipso admittatur prius & posterius, observandum in Deo duplicem distinguendam esse operationem: unam immanentem seu intra Deum & æternam, quæ ab ipso Deo non distinguitur, estque ipsa ejus voluntas immutabilis, illiusque consilium stabile quo ab æterno decrevit illud aut illud in tempore producere, quin exinde aliquid ei de novo adveniat; alteram transitoriam & externam, quæ tendit & terminatur ad creaturam, ex cujus temporanea productione contingenti & libera, quæ est effectus vel terminus æterni illius consilii, quo in semetipso voluntate immutabilis statuerat illam tempore determinato & tali modo producere, licet Deus novam habuerit denominationem extrinsecam, Creatoris videlicet ac Domini, intrinsece tamen non est mutatus, utpote qui nullam inde intrinsecam acceperit perfectionem, vel novam non exercuerit actionem. unde prius & posterius quod ibi videtur esse, non in Deo esse potest, qui nusquam intrinsece transit ab uno statu ad alium, sed solummodo in rebus ab ipso productis, quæ antea non erant, & postea fuerunt. stulta autem es-

ſet cogitatio, ſi, ut veteres illi Philoſophi de quibus poſt Auguſtinum mox loquebamur, Deum diverſimode fuiſſe affectum cum mundum creavit ac erat ante creaturarum productionem, diceremus. " Nobis autem fas non e Dcredere, aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur; inquit S. Doctor „ ibid. cap. 17. quia nec affici dicendus eſt, tamquam in ejus natura fiat „ aliquid quod non ante fuerit. patitur quippe qui afficitur, & mutabile eſt „ omne quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, deſidia, inertia; ſicut nec in ejus opere labor, conatus, induſtriæ. „ Novit quieſcens agere, & agens quieſcere. poteſt ad opus novum, non novum, ſed ſempiternum adhibere conſilium; nec pœnitendo quia prius ceſſaverat, cœpit facere quod non fecerat. ſed & ſi prius ceſſavit, & poſterius operatus eſt, hoc procul dubio quod dicitur prius & poſterius, in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit. in illo autem non „ alteram præcedentem altera ſubſequens mutavit aut abſtulit voluntatem, „ ſed una eademque ſempiterna & immutabili voluntate res quas condidit, „ & ut prius non eſſent egit, quamdiu non fuerunt, & ut poſterius eſſent, „ quando eſſe cæperunt. " quibus bene intellectis, omni mutatione ſe tenente ex parte termini operationis Dei tranſitoriæ, quæ eſt veluti continuatio ad extra operationis ipſius ad intra & immanentis, nihil accedente præter extrinſecam denominationem, quæ nihil aliud dicit quam connotationem repetendam in creante a rebus creatis in tempore juxta æterni ſui decreti omnimodam immutabilitatem, tota ruit propoſita difficultas, & nullatenus urget argumentum.

2. *Objectio*. Niſi admittatur quoddam mutabilitatis genus in voluntate Dei ejuſque decretis, intelligi nequit quomodo ipſi nova aliquando adveniat determinatio ut velle deſinat quod ſe velle oſtenderat, ut colligitur ex Scriptura Sacra, tam circa mortem Regis Ezechiæ, de quo apud Iſaiam cap. 38. quam circa Achab cui mala plurima, jubente Deo, Elias Propheta comminatus fuerat, quæ tamen ipſi non evenere, ut habetur lib. 3. Reg. cap. 21. & Ninivitarum deſtructionem quam effugere ob pænitentiam, ſicuti narratur apud Jonam: hæc, aliaque iis ſimilia, cum omnimoda conſilii divini immutabilitate conciliare quis poſſet?

Reſp. De iis quæ Dei ſunt ex imbecillitate noſtræ mentis non eſſe judicandum me aliquando dixiſſe memini. ergone res in Deo ſic vel aliter ſe habebunt, quod modum juxta quem ea ſe habent capiamus vel non? Deo novam quandoque advenire determinationem, ex qua ultima ejus voluntas præcedenti volitioni illius ſit contraria, vel Deum nobis videri velle aliquid nunc cujus contrarium ſe oſtenderat volentem, eſt quid valde diverſum. primum mobilitatem importat, & eſſe in Deo nequit. ultimum, quod totum ſe tenet ex parte intellectus noſtri, nullam dicit in Deo mutabilitatem; nec quidquam habet imperfectionis. Nec eo recurrendum ut dicatur cum multis Theologis, ea quæ Ezechiæ ac Ninivitis, Deo imperante, denuntiata ſunt, voluntatem ipſius conditionatam non vero abſolutam deſignare: hujuſmodi enim voluntates conditionatæ, ſi vere in ipſo eſſe poſſent, illimitationem ac infi-

infinitatem cognitionum ejus redarguere videntur, nec cum absoluto ipsius in creaturas omnes imperio stare intelliguntur: *consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet;* ait Dominus apud Isaiam cap. 46. adveniat in homine quæcumque mutatio, consilium nec voluntatem mutabit Deus: quæcumque illa ab æterno decrevit, hæc erunt. & ut per homines in tempore fiunt quæ ab initio cum eis facienda ipse decrevit, ipsis ex æterno consilio suo tamquam essent ventura nuntiare facit ea quæ illis nusquam est ipse facturus. cujus rei alia non potest reddi ratio quam immutabilis ejus voluntatis firmum ac stabile decretum, cujus profunditatem ac misericordiam qui vellet investigare, mox investigando deficeret.

Unde dicendum est allatis in exemplis & similibus, unicam & stabilem fuisse in Deo determinationem; quæ ut suum sortiretur effectum, per Prophetas suos loqui fecit, ut inter homines ex Prophetarum comminatione per omnipotentissimam suam gratiam mutatos in melius quod ab æterno statuerat adimpleret. id vero quomodo fiat exponit de Ezechia sic loquens Augustinus de genesi ad litteram lib. 6. cap. 17. " Hoc necessario futurum est „ quod Deus vult, & ea vere futura sunt quæ ille præscivit. nam multa se„ cundum inferiores causas futura sunt; sed si ita sunt & in præscientia „ Dei, vere futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, „ sicut ibi sunt, ubi qui præscit falli non potest... secundum quasdam futu„ rorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos „ ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum „ esse præsciebat, & in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit quod fu„ turum non erat; hoc enim magis erat futurum, quod se facturum esse „ præsciebat... secundum igitur aliquas causas inferiores jam vitam finie„ rat: secundum autem illas quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui „ ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat, (& hoc vere futu„ rum erat) tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam. quia etsi oran„ ti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi opor„ teret ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat.

Ad Ninivitas quod spectat id evenisse quod per Prophetam promiserat Dominus, non secundum hominum intelligentiam sed juxta æternum ipsius Dei consilium, perbelle narrat idem S. Doctor serm. 361. de resurrectione mortuorum cap. 21. his verbis. " Eversionem solam minatus & prænuntiavit „ (Jonas)... & pepercit Deus. sed quid dicemus? quia Propheta mentitus „ est? si carnaliter intelligas, falsum videtur dixisse: si spiritaliter intelligas, „ factum est quod dixit Propheta. Eversa est enim Ninive. Attende quid „ erat Ninive, & vide quia eversa est. quid erat Ninive? Manducabant & „ bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, perjuriis vacabant, „ mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corruptionibus: hæc erat Ninive. At„ tende modo Ninive: plangunt, dolent, contristantur, in cilicio & cinere, „ in jejuniis & orationibus. ubi est illa Ninive? Nempe eversa est, quia non „ in illis superioribus actibus constituta est. " & ab illa expositione non recedit dum de pœnitentia & conversione Ninivitarum peccata sua pœnitendo

destruentium loquens lib. 21. de civit. cap. 24. hæc habet. " factum est quod
" prædixerat Deus: Eversa est Ninive quæ mala erat, & bona ædificata est,
" quæ non erat. stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas
" in perditis moribus. Ac sic quamvis Propheta fuerit contristatus, quia non
" est factum quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum: factum
" est tamen quod fuerat Deo præsciente prædictum; quoniam noverat qui
" prædixit, quomodo in melius esset implendum. " Eodem modo de Achab loqui possumus, ab expositione Augustini memorata non recedentes: qua posita, optime cum immutabilitate divinæ voluntatis conciliantur ea quæ narrant Libri Sacri, quacumque mutabilitate quæ occurrit, repetenda ex parte creaturarum, firmo ac stabili, ut jam dictum est, remanente æterno Dei Consilio, juxta quod infallibiliter eveniunt quæcumque ventura ipse præscivit vel ordinavit. unde validius non argueretur adversus Dei omnimodam immutabilitatem, ex eo quod aliud in veteri Testamento, aliud in novo sibi jussit offerri, ut variis in locis optime ostendit Augustinus; juxta cujus mentem multa ad illustrandam præsentem responsionem loqui possemus circa utriusque legis, veteris ac novæ diversitatem, ex qua nihil mutabilitatis in Deum redundat, qui pro diversa temporum ratione potuit non mutato consilio, alia & alia hominibus præcipere secundum æterna Sapientiæ suæ judicia. verum in iis diutius non vacat immorari.

3. Objectio. Cum immutabilitate divini decreti minime conciliatur summa Dei libertas juxta quam sicuti mundum creavit, potuit illum non creare, æque ac illum modo libere conservans posset ab illius conservatione cessare. Neque enim dicet quis Deum necessario mundum jam creasse vel modo conservare. non potest autem censeri liber circa mundi creationem & conservationem quin carere possit actu illo quem libere exercet illum creando vel conservando: nec potest illo actu libero carere quin mutaverit voluntatem quam habebat dum illum creavit ac hunc conservat. posita igitur Dei libertate circa opera illius ad extra, non remanebit immutabile ipsius decretum: vera enim libertas ex se postulat ut volitio illa possit esse in Deo vel non esse, alioquin volitio illa esset necessaria, quod est absurdum.

Resp. Dei immutabilitatem omnimodam cum perfecta ipsius libertate conciliare hominis non esse non diffitemur. ut enim id attingeret humana infirmitas, necessum esset ut veram nobis possemus efformare ideam summæ Dei libertatis, de qua recte minus judicabimus quandiu de ea comparate ad hominis libertatem differemus. Deum liberum esse simul ac immutabilem docet fides, ratio dictat. quomodo simul stare possint illa duo attributa, quæ in creaturis essent incompossibilia, definat sensus æstimare mortalis. multa locuti sunt circa ea Theologi, alii aliis contrarii, & ex eorum sermonibus intricatior evasit difficultas. multiplices ineuntes vias ut essentiam actus liberi in Deo explicarent, ab illa se expedire minime potuerunt: & imbecillitatem suam nonnulli prudenter confitentes, concordiam divinæ libertatis cum ejus immutabilitate, ænigma sacratissimum mortalibus cunctis adhuc incognitum non insipienter prædicaverunt. Nec in illo resolvendo aliquid præstat quod

quod decreta libera in Deo sint perfectiones vel non status quæstionis est, utrum illa decreta libera admittenda sint in Deo salva ejus immutabilitate. vel quod idem est, utrum Deus qui immutabilis supponitur & est, potuerit aut possit non velle quæ vult, & non facere quæ fecit, adeo ut volitio libera firmitatem æterni ipsius consilii non evertat, & qua ratione illud fieri possit. Deum nihil velle ab æterno nisi quod est in tempore actu libero ad extra operaturus, certissimum est: Neque enim est sicut homo ut nova ei succedat cogitatio seu volitio: quidquid est in ipso, æternum est. actus Dei liber, cujus temporaneus non vero æternus est terminus, est ipsemet actus Dei æternus & necessarius, in quantum connotat & habitudinem non necessariam dicit ad creaturas. & ex ea parte qua ille non distinguitur ab alio nisi penes terminum vel effectum, aliquo modo intelligitur, in quantum scilicet limitatæ intellectus nostri sphœræ conceditur, quomodo immutabilitas divini decreti stet cum ipsius libertate circa actum liberum. qui longius progreditur, altiora se quærit, & nihil inveniet præter sacratissimas tenebras, quas dispellere ausu non minus vano quam temerario frustra tentaret. & libenter assererem illos, qui parum difficultatis inveniunt in conciliandа immutabilitate in Deo eum libertate, ex eo quod decreta libera nullam in ipso dicant perfectionem, quod verissimum nobis videtur, potius ab illa recessisse quam illam solvisse. igitur Deum libere mundum creasse & conservare confitemur: ab utroque illo actu libero apud ipsum esse abstinere non inficiamur: ipsum vero circa mundi creationem ac temporalem conservationem decreto suo absoluto ac immutabili moveri, quo posito irrevocabili decreto æterno, cujus est executio creatio mundi temporalis, sicut & illius conservatio, ab utroque illo actu, libero nihilominus remanente, Deum non debuisse abstinere ex æternæ suæ sapientiæ legibus existimamus. qui autem fieri possit quod Deus novam acquirere determinationem non valeat suam mutando voluntatem, licet circa suæ voluntatis æternæ temporalem executionem sit vere liber, ignoramus. quod res sic se habeat, nullomodo ambigimus: quare & quomodo sic se habeat, ille nobis aperiat qui vias suas scire solus potest. an vero ratio libertatis in Deo postulet quod potuerit carere ea volitione libera qua voluit creare mundum, an non, investigabimus ubi de voluntate Dei disseremus. pro nunc ea sufficiant quæ dicta sunt.

Quæritur, An æternitas in Deo dicat durationem ac successionem, sintque res omnes actualiter Deo præsentes atque æternitati coexistentes.

Resp. Æternitatem stricte loquendo, nec durationem nec successionem admittere certissimum est: unde improprie loquuntur Scholastici dum æternitatem dicunt esse mensuram durationis divinæ: neque enim mensurari potest quod initium nec finem habet, cum de ratione rei mensurabilis sit quod limitata sit, nec de eo quod nequit mensurari duratio proprie queat prædicari. quod est intellectu facile, si attendatur ad ideam quam de æternitate sibi cum Boetio lib. 5. de consolatione philosophiæ prosa 6. finxere cum Philosophis Theologi, eam dicentes interminabilis vitæ totam simul & perfectam possessionem: ex qua idea, non nisi imperfecte repræsentante rem quæ vere

ac proprie non potest repræsentari menti nostræ, quæ ob sui limitationem nihil æternum vel infinitum capere valet, sequitur proprie dictam durationem ac successionem ab æternitate excludi. ubi enim nec prius est, nec posterius, nec præteritum, nec futurum, sed nunc perpetuum & interminabile, in quo, velut in uno puncto indivisibili, omnia tempora perfecte simul continentur: si tamen dum de æternitate habetur sermo, tempora commemorari possint. *in æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum est... æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi jam non sit, nec erit quasi adhuc non sit*, ait Augustinus lib. de vera Religione cap. 50. ibi, inquam, nec duratio vera esse potest, nec successio, quæ prius & posterius, præteritum, & futurum necessario supponunt. ex quibus sequitur, quod cum circa æternitatem exercentes mentem nostram, durationis cujusdam vel successionis illimitatæ, vel melius indefinitæ, ideam nobis efformamus, nosmetipsos decipimus, umbram veritatem reputantes. siquidem hæc fictitia idea quam nobis æternitatem ex parte repræsentare existimamus, aliquod dumtaxat nobis repræsentat indefinitum temporis spatium, quod dum mens nostra successive percurrit, illud enim totum unico instanti vel unico actu, ob sui angustias nequit attingere, prius habet ac posterius, præteritum & futurum quod ab æternitate prorsus exulat.

Ex eo quod successionem, id est prius & posterius, præteritum & futurum, æternitas non admittat, necesse est res omnes ei qui est æternus, Deo scilicet, esse actualiter præsentes atque in æternitate coexistentes. omnia in quacumque parte temporis habentia existere, sive sint in hoc nunc temporis, sive ipsa sint præterita, sive præsentia, vel futura, omnia præsentia sunt respectu nunc æternitatis, inquit Doctor Subtilis in 1. dist. 39. quæ. unica. & omnia quæ sunt in æternitate videt Deus præsentialiter propter talem coexistentiam. & juxta hunc sensum habetur Eccli. cap. 39. *opera omnis carnis coram illo, & a sæculo & usque in sæculum respicit*. Roman. cap. 4. *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*. unde Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. *Deo* inquit, *quæ sunt futura præsentia sunt: & ei cui præcognita sunt, omnia ventura pro factis habenda sunt*. & Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 16. *apud Deum nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt*. quod & ratio suadet. æternitas, quam dicere licet propriam Dei durationem, in sua ratione tota simul & indivisibilis ac infinita, comprehendit in se omnes prorsus differentias temporum quæ successive fluunt, hasque in suo sinu & ambitu continet, ita ut nulla extra æternitatem fiat. Non quod res futuræ in eo statu quo fluunt toti æternitati correspondeant, aut ei coexistant: sed quia æternitas cum sit præsens comprehendendo res illas intra se, pro sua infinitate coexistit illis in ea temporis differentia. eodem modo quo immensitas Dei correspondet omnibus creaturis in quocumque sint loco, non tamen omnis creatura, quæ in certo suo ac determinato loco est, toti immensitati coexistit.

Verum exinde inferretur absque ratione creaturas quantum ad suum esse

phy-

physicum ac reale actuale Deo ab æterno coexistere: id enim de esse illarum objectivo, & pro ut sunt in idea Dei & ut ab illo cognoscuntur, est dumtaxat intelligendum. creaturæ quæcumque sint temporibus suis existentes fluunt in æternitate, non autem sunt æternæ, nec coæternæ Deo, cum minime æquent æternitatem intra illam fluentes, quæ se extendit tota simul, & infinitas illas durationes continent intra finum permanentis æternitatis. si possemus intelligere quid sit duratio infinita & æternites quæ est tota simul, absque labore intelligeremus hanc inclusionem rerum successivarum in æternitate, & correspondentiam, & coexistentiam partium in ea æternitate infinita, ex qua fit nihil futurum aut præteritum esse respectu Dei cui tempus non currit, fluxus ille temporis, qui est quid successivum respectu nostri qui sumus in tempore, semper est præsens æternitati, & Deus qui est æternus illi coexistit. cum ergo de Deo loquentes ac de æternitate, aliquid ad instar durationis vel successionis menti nostræ occurrit, id omne tribuamus tempori ac rebus creatis quæ momentis transvolantibus rapiuntur, non vero Deo semper immutabili & æterno, de quo licet sit & nunc & in perpetuum, non potest dici nisi improprie, quod fuerit vel erit, quia esse ejus est nunc indivisibile, cui adaptari non potest duratio, ut jam ostensum est, quamvis ex limitatæ mentis humanæ concipiendi modo absolute pronuntietur ipsum durare in perpetuum. similiter etsi in æternitate momenta sibi perpetuo succedentia, temporaque præteritum præsens, ac futurum habentia intelligamus, in ipsa nihil esse successivum, sed præsens interminabile teneamus. non existimantes tamen varia illa instantia juxta quæ æternitatem quodam modo mensuramus, quæve pro ut intellectui nostro finito repræsentantur successive, ex eo quod unico intuitu æternitatem cernere non valemus, quod soli Deo proprium est, dies, annosque perpetuos describere videntur, esse simul in eodem instanti, quod manifeste implicat: alioquin dicendum esset æternitatem esse unicum instans, quod pariter repugnat, etsi ob sui indivisibilitatem ad unius instar momenti perpetuo manentis sit considerandа. cæterum si quis dicat nos inintelligibilia hic loqui, id haud difficulter concedemus, qui dum de infinitis Dei attributis divisim & in se spectatis agitur, nihil aliud quam balbutire valemus. sed aliquid est humanæ superbiæ, de rebus quæ ipsius captum superant semper investiganti, condonandum. & in hoc certe laudandus homo, si modum non excedat, jurisque fines non transcendat, quod ipsum de Deo, ut ut potest, cogitare ac loqui delectet.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum Deus sit immensus.

IMmensum illud dicimus quod a nullo contentum omnia in se ita continet, ut cuilibet loco, cuilibet enti sit secundum suam substantiam præsens; quodque ex omni sui parte illimitatum omnia concludit, & nullomodo

do ipsum potest concludi. Deum illa non gaudere immensitate multi opinati sunt inter veteres, qui imperite & crasse de Deo sentientes, illum certis in locis esse affixum, exinde omnia cernentem, cuncta regentem, existimarunt, cæteris locis per suam scientiam, per suam potentiam esse præsentem, minime vero per suam substantiam arbitrantes. ipsis consentire Socinianos habemus ex Erellio lib. de Deo, juxta hunc sensum interpretante cuncta Scripturæ Sacræ momenta Dei immensitatem, seu essentiæ divinæ quibuslibet in rebus ac locis præsentiam celebrantia. unde volunt Sacrorum librorum, quos ex privato spiritu interpretantur, auctoritate freti, Deum in cælo tantummodo habitare. ab iis omnibus Catholici recedentes, Deum ubique præsentem per substantiam pronuntiant. verum aliquid est inter Theologos dissidii circa modum per quem Deus intelligitur actu præsens & existens in locis & rebus, non advertentes, dum volunt assignare rationem formalem existentiæ seu præsentiæ Dei in loco, se illum quodam modo, saltem per mentem circumscribere, quasi omnia loca non impleret. alii Deum per operationem constituentes in loco, ex omnipotentia inferunt immensitatem; alii e contra illum per suam immediate substantiam ubique simul & in quolibet loco, ut revera est, existentem prædicantes, ex immensitate inferunt omnipotentem operationem ejus. exinde his magna procedit Thomistas vulgo, qui in hac parte a Magistro suo non parum videntur recedere, inter & Scotistas aliosque passim Theologos, qui absurdam putant rationem loquendi aliorum, utrumne a priori vel a posteriori probetur Dei immensitas; veluti satis non esset adversus Hæreticos, Infideles, & Socinianos ostendere Deum esse immensum, sicque esse ubique totum & semper in se ipso, absque ulla sui læsione vel divisione, & ex ejus operatione in rebus & locis præsentiam ipsius demonstrari: abstinendo ab iis quæstionibus, quæ, quoquomodo res se habeat, nullius sunt utilitatis, quæque ut tractentur vanis ac futilibus concertationibus illarum quandoque implicant tractatores, ut accidit in præsenti horum Theologorum controversia, qui, ut inferant ex omnipotentia præsentiam, vel ex præsentia operationem, eo pergunt, ut de modo operandi Dei in spatiis imaginariis differant, serio investigantes, utrum Deus sit in illis; an positive, an negative; an vere existant fictitia illa spatia, sint ne infinita vel non: quas omnes quæstiunculas, otiosæ & fere delirantis mentis figmenta libenter pronuntiarem, nisi a tali judicio me deterreret summorum virorum, qui de illis etiam, qua forte nescio, quæstionem moverunt, veneranda auctoritas. ad nos quod spectat qui veritati studemus, non contentioni, quæstionem præcipuam attingemus, Deum immensum & ubique per substantiam suam præsentem juxta fidei principia, quæ ipsa fatetur ratio, ostendentes, præsentiamque Dei in loco ex illius operatione non immerito colligentes.

AS.

ASSERTIO UNICA.

Deus qui vere est immensus, ubique per essentiam suam ac substantiam est præsens; & ex illius operatione in loco necessario colligitur ejus præsentia, quam omnibus rebus inesse ac locis ex se postulat immensitas.

IMmensitatem esse veram ac necessariam Divinitatis dotem Philosophos gentiles sola naturalis ratio docuerat, qua duce Deum rebus omnibus ac locis esse præsentem, illoque omnia plena, nihil ab illo vacare, huncve implere opus suum prædicabant: ut videre est apud S. Cyrillum Alex. contra Julianum lib. 1. Minucium Felicem, Salvianum, & alios, horum Philosophorum ac Poetarum placita & carmina referentes. & reapse: ens necessarium, ens a se & a quolibet alio independens, ens increatum, summe perfectum quo melius aut majus nihil potest excogitari, ens eorum omnium, quæ extant, causam & principium, ipsumque omni carens principio, quomodo illud humanæ rationi notum, ab illa ut immensum, omni ex parte illimitatum ac interminatum, ideoque per essentiam suam ac substantiam ubique præsens non agnosceretur?

Quod naturali lumine habuere pro indubitato Gentiles id nos docet fides quid enim aliud præter Dei immensitatem, ejusque per essentiam locis omnibus ac rebus præsentia sonant hæc sequentiam Scripturæ verba? *forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies? excelsior est cælo, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* sic apud Job cap. 11. Dei incircumscriptio & illimitatio qua sua immentitate omnia complectitur optime commendatur. *quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades?* inquit psal. 138. Regius Propheta, nullum locum Dei præsentia vacantem significans. *si cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* dicebat Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. ad Dei immensitatem attendens. *cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum dicit Dominus* apud Isaiam cap. 66. *putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo?* quid significantius his verbis apud Jeremiam cap. 23. *Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus*, inquit Baruch cap. 3. Nonne præsentiam realem secundum substantiam, ita ut nedum per cognitionem & virtutem ubique Deus adsit, sed etiam per essentiam ratione suæ immensitatis, expresse indicant illa verba Scripturæ? & quis negaret ipsis vim inferri a Socinianis, dum volunt illa ad præsentiam cognitionis & virtutis limitari? quomodo videre & operari Deus intelligeretur ubi non est? facilius absque cognitione & operatione posset, absolute loquendo, reperiri præsentia secundum substantiam, si de rebus divinis comparative ad res humanas loqui liceret, quam præsentiam cognitionis & operationis seclusa præsentia substantiali

tiali reperiret intellectus humanus. & quomodo ex D.i operatione in loco non colligatur necessario ipsius præsentia secundum substantiam, distincte ostendat contra sentientes. Deum ubique existentem, nihilominus otiosum nec quidquam operantem, vel ad ea quæ fiunt parum attendentem, de hominibus, licet factura ejus sint, & operibus illorum parum sollicitum, cum majori Deistarum numero admittere, rationi multo minus repugnaret, si in Deistarum deliriis aliquid reperire esset quod illam non offenderet, quam Deum supponere alicubi ea quæ fiunt cognoscentem, ibique suam virtutem exercentem, & eodem tempore ab iisdem locis absentem, veluti prius non esset ut vulgo dicitur, esse quam operari. verum Deistas & Socinianos ab ipsis indistantes relinquamus.

Deum ubique præsentem secundum substantiam & ratione immensitatis constanter docent Sancti Patres. sic Origenes hom. 12. in genesim exponens hunc locum ubi Rebecca narratur abiisse ut Dominum interrogaret, ostendit Deum ubique adesse, non autem certis vel definitis esse conclusum locis, ideoque immensum: *quo abiit?* inquit, *ex eo loco in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum in quo erat? Nonne ubique est Deus? Nonne ipse dixit, cœlum & terram ego impleo dicit Dominus? absurdum namque est si ita putemus imperitam fuisse Rebeccam & indoctam, quæ in domo Sapientis Abrahæ sub viro eruditissimo Isaac fuerat instituta, ut intra aliquem locum Dominum putaverit esse conclusum*. eamdem veritatem habemus ex S. Chrysostomo in psal. 112. ad hæc Psalmistæ verba, *quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? ostendens*, inquit, *ubique illum esse, & illic & hic. Non enim tamquam aliquis in cœlo conclusus, eminus videt quæ sunt in terra; sed ubique præsens, & omnibus assistens*.

Omnes Sanctos Doctores cum hac de re eodem fere modo loquentes possemus afferre, unum dumtaxat laudabimus Augustinum, innumeris in locis pro immensitate Dei, ejusque præsentia ratione essentiæ & naturæ pugnantem lib. 5. confess. cap. 2. de iniquis præsentiam Dei fugere arbitrantibus Deum alloquens ait, *eant & fugiant a te inquieti & iniqui... quo enim fugerunt cum fugerent a facie tua? aut ubi tu non invenis eos?... Nesciunt quod ubique sis, quem nullus circumscribit locus, & solus es præsens, etiam iis qui longe fiunt a te*. epist. 118. ad Dioscorum de placitis Stoicorum loquendo hæc scribit: *qui enim didicerit Deum non distendi aut diffundi per locos, neque finitos, neque infinitos, quasi in aliqua parte major sit, in aliqua minor, sed totum ubique esse præsentem, sicut veritatem cujus nemo sobrie dicit partem esse in isto loco, & partem in illo, quoniam veritas utique Deus est; nequaquam eum movebit quod de infinito, &c.* quibus in verbis duo hic habemus, & Divinæ essentiæ indivisibilitatem, & ejusdem ubique præsentiam. epist. 120. ad Consentium, ad quæstiones de Trinitate sibi propositas respondens ait: *dicimus Pater noster quis es in cœlis, non quia ibi est, & hic non est, qui præsentia incorporea ubique est totus, sed quia in eis habitare dicitur, quorum pietati adest, & hi maxime in cœlis sunt*. epist. 137. ad Volusianum hæc habet. *Non sic Deus dicitur implere mundum, velut aqua, velut aer, velut ipsa lux, ut minore sui parte minorum mun-*

mundi impleat partem, & majore majorem. Novit ubique totus esse, & nullo contineri loco: novit venire non recedendo ubi erat, novit abire non deserendo quo venerat. lib. de præsentia Dei ad Dardanum, seu epist. 187. *est ergo Deus*, inquit, *per cuncta diffusus. ipse quippe ait per prophetam, cælum & terram ego impleo. & quod paulo ante posui de sapientia ejus, attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: itemque scriptum est Spiritus Domini replevit orbem terrarum: eique dicitur in quodam psalmo, quo abibo a spiritu tuo... sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & in cœlo & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.* & nonnullis interpositis quæ non spectant ad præsens nostrum propositum, quasi concludendo prosequitur, *unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam.* ex quibus verbis cum aliquod dubium exurgere posse formidaret S. Doctor, quod immensitati Dei ipsiusque omnibus in locis præsentiæ, de qua jam multa disseruerat, contrarium videretur, paucis interpositis hæc addit. *cum igitur qui ubique est non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat.... quomodo ergo verum supra diximus, quod Deus ubique sit totus, quando in aliis est amplius, in aliis minus? sed non est negligenter intuendum quod diximus in se ipso esse ubique totum. Non ergo in eis; quia alii plus eum capiunt, alii minus. ideo enim ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est; ideo totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æquales æqualibus: minori vero minorem, majorique majorem, sed non solum universitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest.* & iterum idem velut resumens argumentum ad dubium quodcumque omnimode tollendum, & majoris dictorum elucidationis causa sic pergit. *Porro autem quod parum distincte putavimus posse intelligi cum diceremus Deum esse ubique totum, nisi adderemus in se ipso, video diligentius exponendum. quomodo enim ubique, si in se ipso? ubique scilicet, quia nusquam est absens. in se ipso autem quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tamquam sine eis esse non possit... Deus totus in se ipso est, nec in quibus est, ita est ut indigeat eis tamquam non possit esse nisi in eis. sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, & totus adest, quamvis eum ille non habeat: ita & illi in quo habitat totus est præsens, quamvis eum non ex toto capiat.*

His Augustini verbis, quibus permulta non dissimilia ex eodem addi possent, nihil luculentius ad assertionis confirmationem valet desiderari. & si in illo Sancti Doctoris loquendi modo præsentiam secundum naturam, & ut loquuntur Scholastici immediationem suppositi non agnoscunt adversarii, hæc patrum momenta intelligentes dumtaxat de præsentia cognitionis & virtutis, ipsos similes dicam iis qui oculos claudentes in meridie ante conspectum solis, se densissimis offundi tenebris conquererentur.

Immensitati Dei ejusque præsentiæ omnibus in locis ac rebus rationem

suffragari jam dictum est, & multiplici argumento ostendi posset: id unum observabimus, Deo ut pote qui sit ens perfectissimum, omnem veram perfectionem esse tribuendam, præsertim si quadam ex perfectionibus possibilibus carere, summam in ipso arguat imperfectionem. immensitatem, quæ ex se præsentiam dicit secundum substantiam cuilibet loco, veram esse ac realem perfectionem quæ melior est ipsa quam non ipsa, ut dicunt, nemo diffitebitur. tali autem carere perfectione in Deo summam argueret imperfectionem. si enim Deus ubique non est secundum substantiam, est limitatus & quibusdam locis est circumscriptus, alioquin a nullo loco potest abesse, cum substantia ex natura sua immensa ex se necessario postulet ubique esse. si immensus non sit Deus, nec erit infinitus: neque enim a se invicem possunt dissociari infinitas & immensitas. non erit pariter Deus independens, & aliud ens superius & perfectius cogetur agnoscere; illud nempe a quo habebit non esse immensum, sed limitatum ac terminatum seu non esse ubique. ex quo similiter sequetur Deum non existere a se ipso, sed suum esse participare ab illo a quo limitabitur; nam de ratione entis per se existentis est, interminatum esse ac illimitatum, & quod idem sonat esse secundum suam substantiam immensum, quæ substantiæ immensitas ejusdem ubique præsentiam absolute ac necessario importat. immensus igitur dicatur Deus, & quia immensus agnoscatur ubique præsens substantialiter, vel nullo modo Deus erit.

Ex ipsius operatione in loco præsentiam ejus necessario colligi addidimus, quod de præsentia quoad substantiam volumus dictum; de præsentia siquidem virtutis invincibile testimonium est ipsa operatio. hæc autem necessarium dicit ordinem ad omnipotentiam cujus est effectus, etiam si esset operatio illa transiens: ab ipsa Dei substantia separari nullo modo potest illius omnipotentia, quæ, ut diximus de cunctis attributis, realiter cum Deo identificatur: unde ubicumque erit Deus per virtutem suam cognoscitivam vel operativam, ibi erit præsens quoad substantiam. si ergo est ubique per operationem, ubique pariter est suppositive seu quoad substantiam. de ratione cujuslibet causæ est, etiam si infinitæ virtutis, quod sit ubi operatur: imo ex ipsius infinitate est quod immediatio virtutis esse nequeat absque immediatione suppositi, ex eo quod infinitas sit. utrique communis, illamque necessario participando inter se realiter identificentur. quapropter ex præsentia virtutis quam infallibiliter demonstrat Dei operatio, invicte infertur ejusdem præsentia quoad substantiam in eodem loco in quo operatur.

Esto quod operatio Dei in loco sit ratio ob quam illius præsentia in eodem nobis innotescat; immensitas nihilominus erit formalis ratio hujus præsentiæ; ipsaque operatio ut quid prius supponit divinam substantiam ubique, modo licet inenarrabili, diffusam, ut passim loquuntur Sancti Patres. præterquam quod dici posset, supposita rerum existentia, substantialem in rebus præsentiam Dei esse necessariam ac internam, cum ab iis, ex eo quod est immensus, absens esse non possit: operationem vero ejus transeuntem esse liberam & externam; unde substantialis Dei præsentia præsuppositive se habebit ad præsentiam virtutis in loco, idque adeo verum est, ut si ex impossibili

li

si aliquid esset in quo Deus nihil operaretur, ipsi tamen præsens foret per suam naturam, quæ ut dictum est, ob suam infinitatem & suam immensitatem a nulla re nullove loco distare valet, nisi circumscripta sit & limitata, quod repugnat. ideoque non immerito assertum est, immensitatem in Deo ex se postulare quod ipse rebus omnibus ac locis præsens sit secundum substantiam.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Si Sacræ Scripturæ loquendi modum attendamus multa in ea reperiemus loca quæ præsentiæ Dei substantiali omnibus in locis ac rebus parum favent, imo ipsi directe adversantur, cum Deum dicant tali modo habitare in cælo, ut videantur præsentiam illius ab alio quocumque loco excludere. quandoque etiam ipsum asserunt ascendere, descendere, accedere, recedere: motus autem localis consistere in Deo non potest cum ipsius immensitate in sensu assertionis. a Sacrorum librorum loquendi modo non recedentes Sancti Patres, eumdem motum localem Deo tribuunt, habitationemque ipsius esse in cœlis dicunt, ut apud ipsos facile videre quis potest. unde minus certa videtur assertio.

Resp. tempus & operam perderet qui tum ex Scriptura, tum ex Sanctis Patribus assertam veritatem efficaciter impugnare intenderet, cum neque unum ex eis possit afferri testimonium quod tantisper urgeat. cum dicunt Deum habitare in cœlo ibique esse, talia fando præsentiam Dei ab aliis quibuscumque locis ac rebus minime excludunt, ut satis significant Scripturæ & Patrum verba quæ in probationem assertionis attulimus. & qui Deum cœli incolam exclusive ab aliis vellet locis, minus digne de illo sentiret; cœlum enim ad instar habitationis cujusdam materialis tunc sibi fingeret, in qua Deum habitare existimaret eodem modo quo homo habitat in domo sua; & puerilis valde esset illa cogitatio, quæ in sensati alicujus mentem cadere nequit, nisi maximæ sit rusticitatis: cum ex illa sequatur Deum ibi esse circumscriptive ad modum corporum, quæ non implent nisi quoddam spatium determinatum, habita ratione suæ commensurationis: qui modus existendi in loco, summam Dei Majestatem dedecet, cujus natura infinita postulat nullo posse circumscribi loco, sed quibuslibet in locis esse præsentem. insuper ex eo quod Deus in cælo dicatur Sanctis suis ostendere magnificentiam gloriæ regni sui, illudque reputetur solium excelsum Majestatis ipsius, cui assistunt animæ justæ quas beat manifestans se ipsum eis, ibi dicitur insigniori quadam ratione habitare, ob quam locus ille passim vocatur domus Dei, juxta illud psalmistæ: *Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* sed inde non sequitur Deum non esse aliis in locis vere præsentem quoad substantiam. Nostram hanc responsionem innumeris patrum testimoniis possemus illustrare, quibus auditis, quamdam fortasse nobis efformaremus ideam loci illius summe desiderabilis, in quo electi potantur de torrente voluptatis Dei, & ab ubertate domus ipsius inebriantur: ex qua idea

accenderentur corda noſtra, ita ut ad illum qui habitat in cœlis, oculos noſtros levaremus, donec ipſius regnum adveniat. His in ſenſu miſtico obiter dictis ad propoſitum redeamus.

Quæcumque in Scripturis Sanctis & Patrum Scriptis, motum quemdam localem Deo tribuere videntur, eſſe metaphorice accipienda non eſt quod adhuc oſtendamus. de iis omnibus quæ humano more loquuntur libri Sacri cum de Deo agitur, quæque affectiones vel paſſiones noſtris ſimiles videntur in illo ſignificare, ſatis diximus ubi de ſimplicitate Dei ſolventes primam objectionem. accedit ad nos Deus beneficia impertiendo, recedit, manum ſuam retrahens uberiores gratias aliquando ex juſtitia ſubducendo. & ſtulte de Deo cogitat qui, ipſum revera moveri ac tranſire de loco in locum humano more, arbitratur. " Deſcendere dicitur Deus. inquit Auguſtinus „ ſerm. 70. de temp. vide ne aſcenſionem & deſcenſionem localem ſentias. in- „ dignum eſt hoc de incorporea, & ubique tota ſentire ſubſtantia. ſed de- „ ſcendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere digna- „ tur. " & lib. contra Adimantum cap. 13. dicit. *non enim poteſt deſcendere, niſi quod etiam de loco in locum moveri poteſt. nam qui deſcendit, locum ſuperiorem deſerere, & inferiorem petere videtur. Dei autem Sapientia, cum tota ubique præſto ſit, nullo pacto migrare de loco in locum poteſt.*

2. *Objectio*. Non poteſt intelligi Deus ubique præſens ſecundum ſubſtantiam quin eodem tempore intelligatur extenſus. cum enim eſt omnibus rebus præſens, iis ſecundum illarum partes correſpondeat oportet, quod ſecluſa extenſione eſſe nequit. quis autem Deum diceret extenſum? aliunde dato quod ſubſtantia divina locis ac rebus omnibus coexiſtat, quot abſurda inde non ſequentur? ergo in ſordibus, in hominibus nequiſſimis, etiam in Dæmonibus erit Deus; quod divinam dedecet Majeſtatem, & audire refugit ratio. unde per cognitionem dumtaxat & operationem ubique Deum eſſe dicere melius eſt; & in hoc ſenſu immenſitas de illo prædicabitur, eſtque Scripturæ loquendi modo magis conformis ille ſenſus.

Reſp. ex immenſitate Dei extenſionem ejus ſubſtantiæ ad inſtar rerum corporearum qui inferret inania ac puerilia ſaperet. *in eo ipſo quod dicitur Deus ubique diffuſus, carnali reſiſtendum eſt cogitationi, & mens a corporis ſenſibus avocanda, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi.* inquit Auguſtinus laudata epiſt. 187. unde corporum more non eſſe videndum Deum affirmat ſic loquens ſerm. 277. *in loco non videtur Deus. per partes non videtur Deus, ſpatiis diffuſus intervalliſque ſeparatus non videtur Deus; quamvis impleat cœlum & terram, non ideo tamen dimidius eſt in cœlo, dimidius in terra... non eſt tale aliquid Deus: non eſt corpus Deus. per ſpatia diffundi, locis capi, habere partes dimidias, tertias, quartas, totas, corporum proprium eſt. Nihil tale Deus, quia ubique totus Deus.* ipſum ex immenſitate ſua omnibus rebus eſſe præſentem certiſſimum eſt; ſed illum iis correſpondere ſecundum earum partes qui corporeus non eſt, ſed eſt ubique totus, ille ſolus poteſt cogitare qui carnaliter ſapit, qui materialiter ſapit, quique Deum ad inſtar molis cujuſdam immenſæ magnitudinis, infinitæque extenſionis ſibi fingit.

Deum

Deum ergo omnibus locis ac rebus esse præsentem eodem modo quo substantiæ spirituales & indivisibiles in loco esse possunt, confitentur quicumque scripturis ac patribus credunt. neque difficilius intelligitur Deum utpote immensum esse ubique totum, & in qualibet istius immensitatis cuncta continentis parte esse similiter totum, quam animam hominis esse totam in corpore, & totam in qualibet parte corporis quod informat, quæ tamen non est extensa ex eo quod Corpus non sit. & quid mirum si dicatur quamlibet substantiam habere modum existendi sibi proprium, qui naturam illius sequitur? sicque sicuti duplex est substantiæ genus, spirituale unum, corporale aliud, duplex est pariter modus existendi; unus extensionem postulat, cum quidquid partes habet, sit necessario extensum; alius extensionem excludit, cum ex opposito ubi partes non sunt, extensioni locus non sit. & si ex impossibili daretur genus aliud substantiæ, quæ nec spiritus esset nec corpus, tertius esset existendi modus secundum istiusmodi substantiæ exigentiam. substantia spiritualis ut est Angelus, & ut est anima rationalis, eo quod sit limitata, necessario est in quibusdam locis determinatis, sed indivisibiliter, tota videlicet in toto, & tota in qualibet parte loci; hic enim modus sic existendi est huic substantiæ connaturalis, & hunc solum illa admittit. substantia vero divina eo quod illimitata & necessario immensa nullo loco continetur, sed ubique est; & cum sit spiritus, ideoque indivisibilis, ubique est secundum se totam. qui illud fiat non intelligimus, id tamen ut quid indubitatum tenemus. Nos anima & corpore quæ unum quid efficiunt, donatos esse firmiter credimus: quomodo vero uniantur ad illud quid unum constituendum hæ duæ substantiæ, quarum quælibet habet suum modum existendi peculiarem, penitus ignoramus.

Nihil igitur concludere propositam objectionem advertant qui ex ea argumentantur. quodnam enim illud est argumentandi genus? non intelligitur Deum esse præsentem ubique quoad substantiam quin intelligatur extensus. Deus autem non est extensus. ergo non est ubique præsens. ut bona esset hæc illatio, prius ostendendum illis esset humanam mentem capere posse quæcumque de Deo prædicantur, quod nemo nisi mentis impos excogitabit. nihil aliud inferri potest ex prima propositione, nisi inenarrabilem esse modum juxta quem Deus qui est inextensus, locis ac rebus extensis præsens est secundum se totum: quod lubenter concedemus, Dei præsentiam ubique ob immensitatem illius firmissime credentes, modum vero quo res sic se habeat penitus ignorantes. Nec eo confugiemus ut cum nonnullis Theologis Deum dicamus extensum virtualiter, quatenus rebus & locis æquivalet, ac licet non sit actu extensus, præstare id quod præstaret si revera esset actu extensus: hæc enim nihil sunt quam verba & voces quæ nihil significant, nec explicant quid sint illa virtualis extensio, illave fictitia æquivalentia. & hac vacua loquendi ratione non solvitur quæstio, sed tota manet difficultas, quam nullam esse falsitas illationis ostendit.

Minime quemquam movere debent absurda quæ sequi dicuntur ex substantiali Dei præsentia in quibuscumque locis: hæc enim futilia sunt, & ex fal-

falso supposito proficiscuntur: Deum rebus cunctis inesse præsentem ad modum corporum, quæ ex vario suarum partium contactu ad invicem coinquinari possunt ac sordescere, videntur significare; quæ cum respectu Dei, cujus natura est incorruptibilis & inalterabilis locum habere nequeant ipsum locis immundis, hominibus sceleltis atque Dœmonibus secundum suam substantiam præsentem esse non dedecet, nihilque indignum est divina majestate, cujus essentiam ipsis rebus velut immensam tamquam eorum materiam vel formam videntur excogitare, qui ex substantiali ejus præsentia in locis sordidis scandalum sumunt. cur magis Deum dedeceret iis omnibus in rebus esse per substantiam quam per cognitionem, potentiam & præsentiam, qua illas producit, conservat, & regit? hominibus malis reprobis ac Dœmonibus inest Deus ut vindex, sicut ubique totus implens cœlum & terram, præsente potentia, non absente natura, ut loquitur Hipponensis lib. 7. de civit. cap. 30. satis itaque non est Deum dicere immensum ob præsentiam cognitionis & virtutis, si dematur præsentia per essentiam; & falsum est hunc sensum loquendi modo scripturarum accommodari magis, ut constat ex iis quæ supra retulimus.

Quæritur, Utrum dici possit Deum esse in loco, & quo sensu id sit intelligendum.

Resp. Deum rigorose loquendo non posse dici esse in loco optime novit, qui ipsum scit nusquam contentum, sed omnia in se ipso continentem. quamdam circumscriptionis ideam necessario importat ille loquendi modus, *esse in loco*, qui substantiæ interminatæ aut immensæ quæ Deus est, congruere nequit. idque magis improprie de Deo prædicari advertet, quicumque cum philosophis tenebit locum non distingui a corpore locato, & unum & idem esse spatium & locum, ac utrumque corpora exigere, ita ut nequeant absque illis corpora existere, juxta tritum illud Augustini epist. 187. cap. 6. *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.* unde pluribus in locis docet S. Doctor, ut quid firmissime tenendum, Deum in loco non esse. *Spiritus est Deus*, ait serm. 53. in cap. 5. evang. Math. *quid præparas oculos corporis? si sic videbitur, in loco erit quod videbitur. Non est in loco qui ubique totus est.* serm. 277. cap. 14. *non conemur Deum perducere ad locum, non conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spatia locorum quasi aliqua mole diffundere: non audeamus hoc, non cogitemus... ille non est in loco.* & cap. 19. *Deus non videtur in loco, quia non est corpus, quia ubique totus est... Hoc firmissime teneamus.* lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 5. in hæc verba, *Pater noster qui es in cœlis. Non spatio locorum continetur Deus. sunt enim cæli excellentia quidem mundi corpora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco... ubique præsens est non locorum spatiis, sed majestatis potentia.* & tandem, ut fiat dicendi finis, enarr. in psal. 74. *si Deus est, ubique præsens est... de nullo loco judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus.... Noli cogitare Deum in locis... quocumque fugeris, ibi est.* adeo intelligibilia sunt & distincta hæc Augustini verba, ut nihil addendum supersit. Deum esse ubique præsentem, & tamen non esse in loco diserte affirmat, ex eo quod

esse

esse in loco, ex se aliquid sonet corporeum, quod a Deo qui Spiritus est, procul omnino est amandandum. Hanc vero esse proprie Sancti Doctoris sententiam, circa quam nullum dubium esse potest, confirmatur ex iis quæ lib. 83. quæst. scribit quæ. 20. his verbis. *Deus non alicubi est. quod enim alicubi est, continetur in loco: quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est Corpus. Non igitur alicubi est; & tamen quia est, & in loco non est, in illo sunt potius omnia, quam ipse alicubi: nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus locus enim in spatio est, quod longitudine & latitudine & altitudine corporis occupatur: nec Deus tale aliquid est. & omnia igitur in ipso sunt, & locus non est.*

Concludendum ergo cum eodem Augustino, non nisi abusive Deum dici esse in loco, ac improprie loquendo; rectius enim diceretur locum in Deo esse quam deum esse in loco. Non inferendum tamen, ut inepte nonnulli opinati sunt, Deum nullibi esse per essentiam; quin potius, ex eo quod est ubique præsens, quibuslibet locis cunctisve rebus adest, nedum per operationem & cognitionem, verum & quoad substantiam, ex eo præcise proprie dici nequit esse in loco: quæ enim in sensu proprio sunt in loco, illo definiuntur & circumscribuntur. Hinc merito de Deo scripsit idem S. Doctor lib. de quantitate animæ cap. 34. quod illo *nihil sit secretius, nihil præsentius; qui difficile invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit.* cum autem ille usus, vel magis abusus invaluerit, ut vulgo dicant Theologi Deum esse in loco, hac loquendi ratione significatur, Deum, qui ipse sui ipsius locus est, omnia implens, ac super omnia existens, omniaque ipse complectens; ut loquitur S. Joannes Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa, rebus omnibus ac locis realiter inexistere, ipsisque veluti per substantialem sui ipsius illapsum, & in singulas mundi partes diffusionem, continuo & immediate præsentem se sistere absque ulla sui ipsius divisione, adeo ut sit semper totus in se ipso, & totus in omnibus ac singulis rebus quæ extant ac locis. & in hoc ex immensitate sua ab aliis substantiis spiritualibus differt Deus, quod Spiritus Creatus qui est in loco definitive, quia limitatus & terminatus, sit totus in toto, & totus in qualibet parte loci, sed uno eodemque tempore pluribus in locis nequeat esse: Deus vero eodem istanti, & semper, secundum se totum ubique sit, in rebus & locis in infinitum usque producibilibus, si reapse producerentur, eodem modo secundum se totum vere futurus.

Quæritur, Quid sentiendum sit de spatiis vulgo imaginariis, & utrum Deus dici possit in illis existere, eisque esse præsens?

Resp. Nihil realitatis habere præter existendi possibilitatem si Deo, cujus nihil potest resistere voluntati, illa e nihilo educere placeret, imaginaria hæc spatia ultramundana certum est. de illis quæ non sunt, & fortasse nusquam erunt, differere quid juvat? utrum in illis spatiis, quæ non existunt nisi ut possibilia, existat Deus, eisque sit præsens, non inepte minus quæritur, quam dum petunt nonnulli, iis similes de quibus loquitur S. Augustinus, quid faciebat Deus antequam crearet cœlum & terram, & ubi habitabat. ut quid de iis serio tractare possunt Theologi, qui de Deo non nisi grandia & sublimia essent locuturi? de illis aliquando egerit Hipponensis nec-

ces-

cessitate ductus, ex vaniloquio quorumdam, substantiam Dei loco in quo mundus est circumscribi volentium, adeo ut ab aliis locis, si producerentur, absens esset, mirum videri non debet. Manichæorum deliria, aliorumque philosophorum vel hæreticorum phantasmata erant convellenda; de iis tacere non poterat S. Doctor, cui pro veritate undequaque pugnare, & adversarios quoslibet pugnando vincere datum erat; unde illorum mentem assequens, juxta ipsorum principia, ut eos ab errore revocaret, loqui debebat, & omnibus omnia factus, ut omnes Christo ejusque Ecclesiæ lucri faceret, vana ac puerilia quandoque tractare. Nos vero quos non movet eadem ratio, & quos manet magna dicendorum copia, id unum breviter dicemus, Dei immensitatem esse locum universalem eorum omnium quæ extant, quæque in illa continentur, nec usquam exhauriendum esse, etiamsi innumeri adhuc orbes e nihilo educerentur, qui extra eamdem Dei immensitatem esse nequirent, & juxta illam iis omnibus quoad substantiam præsens esset Deus, qui major rebus omnibus, etiam possibilibus semper erit. supponatur ergo esse actu aliquid extra mundum, ibi se totum habebit Deus, eodem modo quo se habet in isto quem cognoscimus mundo, totus erit in toto, totusque pariter in qualibet parte. hunc siquidem modum existendi in omnibus locis & rebus, ut jam diximus, necessario postulat ipsius immensitas, quæ est specialis Dei perfectio, diversa ab ipsius infinitate & ejus immutabilitate, quæque divinitati est adeo propria, ut illam participare aliqua creatura nullo modo queat.

Hic obiter observare liceat, eos qui dicunt S. Augustinum lib. 11. de civit. cap. 5. admittere Deum vere præsentem esse in spatiis imaginariis extra mundum, verba illius non attente satis fuisse rimatos, eaque recte minus intellexisse, cum illud non dicat S. Doctor, ex cujus contextu dumtaxat concludi possit, quod ex supposito quod essent alia spatia præter ea quibus mundus iste continetur, ut opinari videbantur illi quibuscum agit, Deus, qui est immensus, & a nullo loco distare potest, iis vere præsens esset. & illud a quocumque Deum confitente immensum debet ut quid indubitatum teneri. sed advertant, tunc illa spatia non dicenda fore imaginaria, cum a statu possibili ad statum realis existentiæ pertransiissent: ex quo præsenti quæstioni locus amplius non esset. legant, & relegant Augustinum loco laudato ab ipsis, volvant illius verba, nusquam invenire poterunt illum dicentem, veram esse Dei præsentiam in spatiis imaginariis. & qua forte circa illius mentem decipi potuerint inter doctos non pauci minime intelligo; idque eo minus quod ambiguitatis nihil sit in toto illo Augustini contextu, quem non transcribimus ex eo quod de illo disputare contra aliter sentiente mens nostra non sit.

QUÆ.

QUÆSTIO SEXTA.

De incomprehensibilitate & ineffabilitate Dei.

INcomprehensibile illud dicitur quod cognosci nequit secundum totam sui cognoscibilitatem, ut loquitur Doctor Subtilis, vel id cujus plena, adæquata & totalis cognitio haberi non potest: unde ex opposito cognitio comprehensiva ea est qua plene, adæquate ac totaliter cognoscitur objectum aliquod secundum omnes illius perfectiones, cunctosque ipsius modos essendi. Duplicem hunc modum cognoscendi seu videndi distinguit Augustinus lib. de videndo Deo ad Paulinam cap. 9. his verbis: *aliud enim est videre, aliud est totum videndo comprehendere. quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.*

Ineffabile illud vocamus cui nomen nequit imponi ita proprium ut totam ipsius naturam significet, & ratione cujus objectum per tale nomen menti nostra repræsentatum, perfecte, & ut est in se non cognoscitur, licet variis donetur objectum illud nominibus naturam ejus, variasque illius perfectiones aliquo modo, & juxta quemdam gradum designantibus. utrum & quo sensu de Deo prædicetur duplex illud attributum hic investigamus, quod breviori, quo fieri potest, modo absolvemus.

ASSERTIO PRIMA.

Deus vere est incomprehensibilis; adeoque ab intellectu creato, etiam cum auxilio supernaturali, plene & adæquate non potest cognosci.

DEi incomprehensibilitatem ut fidei dogma professi sunt Patres Concilii Lateranensis sub Innocentio III. his verbis. *firmiter credimus quod unus solus sit Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis.* & hæc est Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum doctrina. De Deo dicitur apud Job cap. 9. *facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* cap. 11. *forsitam vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies.* apud Jeremiam cap. 32. dicitur Deus, *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* illius consilia vel judicia incomprehensibilia esse dicit Apostolus Rom. cap. 11. quæ varia Scripturæ verba, tam de incomprehensibilitate naturæ divinæ in se consideratæ, quam de illius operandi modo, ejusque consiliis, sunt intelligenda, quidquid in contrarium dicat Vasquez, nullo legitimo nixus fundamento.

Deum in se incomprehensibilem prædicat Sanctus Cyprianus lib. de vanitate idol. dum dicit, *sic eum digne æstimamus, cum inæstimabilem dicimus.* Tertullianus Apolog. cap. 17. de Deo loquens ait: *quod immensum est, soli sibi notum est,.. Hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit... ita*

eum vis magnitudinis & notum hominibus objecit & ignotum. S. Ambrosius in Lucam lib. 1. Num. 25. *ideo Deum nemo vidit unquam*, inquit, *quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit*. omnium Sanctorum Patrum cum una sit mens, unus fere idemque loquendi modus, unum satis erit addere Augustinum.

Hic autem de Deo loquens serm. 52. de verbis Evangelii Matth. hæc habet cap. 6. *quid ergo dicamus, fratres, de Deo? si enim quod vis dicere, si cepisti, non est Deus: si comprehendere potuisti, aliud pro Deo comprehendisti. si quasi comprehendere potuisti, cogitatione tua te decepisti. Hoc ergo non est, si comprehendisti: si autem hoc est, non comprehendisti. quid ergo vis loqui, quod comprehendere non potuisti?* serm. 117. de verbis evang. Joan. cap. 3. *de Deo loquimur*, inquit, *quid mirum si non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus... attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile*. lib. 12. de civit. cap. 18. impugnans nonnullos dicentes, ea quæ infinita sunt nec Dei scientia posse comprehendi, hæc habet. *infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus. quapropter si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profecto & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est*. Deus igitur, juxta Sanctos Patres, se ipsum, & quæ in ipso sunt comprehendit; quibuslibet vero creaturis est incomprehensibilis.

Et revera, ut ratione, quam ex his mox laudatis Augustini verbis infert Scotus in 3. dist. 14. quæ. 2. præsens assertio roboretur; comprehensio proprie dicta importat ex parte intellectus talem objecti cognitionem, quæ omnem illius adæquet cognoscibilitatem, illamque, ut ita dicam, exhauriat: (id enim proprie sonant hæc Sancti Doctoris verba, *scientis comprehensione*, vel ut legit Scotus, *cognitione finitur*.) quis vero putaret Deum qui est infinite cognoscibilis, finiri posse & comprehendi ab aliquo intellectu creato, quave dotatus supponatur excellentia, & quocumque auxilio supernaturali donetur? inter cognitum & potentiam cognoscentem quædam sit proportio necesse est. potentia autem finita, ut est intellectus creatus, nullam habet proportionem cum objecto infinito secundum rationem illam infinitatis. verum ut objectum infinitum, ut est Deus, comprehendatur a potentia finita, debet ab illa cognosci secundum rationem suæ infinitatis: quod cum sit impossibile ex defectu istiusmodi proportionis, restat Deum plene & adæquate non posse cognosci ab intellectu creato, proindeque illum esse incomprehensibilem. unde sic concludit Doctor Subtilis: " quia ergo nullus intellectus creatus potest
„ habere tantam intellectualitatem, neque in actu primo, neque in actu
„ secundo, quanta est intelligibilitas Dei, ut objecti, imo in infinitum ex-
„ cedit; ideo talis nullus intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile
„ ex parte Dei, potest ipsum comprehendere, quia non est commensuratio
„ hinc inde. „

Et hic modus intelligendi incomprehensibilitatem Dei quem habemus ex Scoto post Divum Augustinum, nihil, aut parum differt a sententia Docto-

tris

ris Angelici & Thomistarum; & gratis dicitur a Nicolao l'Herminier ignotus antiquis Patribus, quorum verba, quidquid ipsi videatur, eo tendunt ut ideo velint Deum ab intellectu creato comprehendi non posse ob naturæ divinæ, cunctarumque ipsius perfectionum illimitationem, quæ ratione suæ illimitationis seu infinitatis, excedunt capacitatem intellectus creati, qui ex eo quod est creatus, finitus est ac limitatus, attingere proinde nequit objectum etiam infinitum nisi modo finito & limitato. siquidem ut objectum sive infinitum, sive finitum cognoscatur ab intellectu, debet illius objecti imago seu idea in illo repræsentari ac recipi: quæcumque autem imago in intellectu creato repræsentari non potest nisi finita ac limitata, juxta illud vulgatissimum, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. & comprehensionis veram ideam videtur ille Theologus non habuisse, dum Thomistarum impugnans sententiam, vel potius refellens, dixit, extra notionem & ideam comprehensionis, quod objectum cognoscatur modo perfectissimo, & eo omni modo quo cognosci potest, cum illud merito dicatur comprehensive cognosci aut videri, quod cernitur aut intelligitur secundum totam sui cognoscibilitatem. & parum recedit opinio cui adhæret præfatus Scriptor, repetens incomprehensibilitatem Dei ex eo quod, licet divina essentia, ejusque perfectiones & attributa videantur a Beatis, non tamen videntur secundum omnem amplitudinem seu intensionis gradum: parum, inquam, recedit ab opinione quam conatur refellere, cum idem fere sit, aliquid cognoscere secundum omnem amplitudinem ipsius seu intensionis gradum, & illud cognoscere secundum totam ipsius cognoscibilitatem; & in quo differat duplex illa sententia vix invenitur.

Nec judicium quod fert Vasquez de hac opinione, quæ Francisco Victoria tribuitur probare possumus, dum re, ut apparet non, satis librata, dicit illam sententiam omnium judicio nihil habere probabilitatis. & jejuna valde videtur ratio qua judicium ipsius fulcitur; tum quia duo hæc absurda quæ ex illa sententia sequi existimat, vere absurda dici non possunt; tum quia hæc absurda non sequuntur ex illa sententia. Neque enim absurdum adeo illi videri debuit quod a majoris notæ quibusdam Theologis teneri non potuit ignorare, divinam essentiam videlicet posse, absolute, videri non visis personis, unumque attributum sine alio, quod non improbabilibus nititur argumentis; unde ex hac parte levitatis saltem arguitur ipsius judicium. Nec magis absurdum videtur aliquid de Deo latere illos qui ipsum vident, cum ideo præcise Deus sit incomprehensibilis, quia quantumvis ab intellectu creato intelligatur, est semper in eo aliquid quod latet cognoscentem, quem si nihil lateret, Deus cognosceretur & intelligeretur juxta omnem sui cognoscibilitatem, quod sentire esset vere absurdum. præterea quo pacto hæc duo quæ vocat absurda, ex illa sententia sequuntur? hæc opinio significat tantum ea quæ a Beatis videntur in Deo, quæcumque illa sint, non videri ab ipsis juxta omnem sui amplitudinem, & juxta omnes gradus suæ intensionis; ex quo certe sequitur aliquid in eis quæ videntur a Beatis esse quod illos lateat. si enim nihil esset quod Deum vident & lateret, nihil conferret ad

visionem beatificam lumen gloriæ majus aut minus, vel acies naturalis intellectus creati, ideoque magis & minus non susciperet Beatitudo accidentalis cujus tamen oppositum sat communiter tenetur, juxta illud Christi apud Joannem cap. 14. *in domo patris mei mansiones multæ sunt:* ut infra videbimus. ex quo sat ostenditur judicio illius Theologi nimium præcipiti non standum esse circa præsentem quæstionem, quæ ex hac parte aliquid habet, affinitatis cum distinctione formali Scotica, quam improbans, durius cum pluribus e suis taxavit; quod ipsis condonandum, ex eo quod in eam acrius non insurrexerunt, nisi quia illam non intellexerunt.

Insuper unde habet Vasquez, aliique Ipsi adhærentes, Dei incomprehensibilitatem repetere ex incognitione eorum quæ sunt in Deo virtualiter vel eminenter? quid interest eorum cognitio, si omnia quæ sunt in Deo formaliter, videntur totaliter ab intellectu creato? nonne quæcumque sunt in Deo formaliter sunt formaliter ipsemet Deus? juxta ipsorum principia non datur formalis distinctio inter Deum perfectionesque ipsius: distinctio virtualis non est vera distinctio, cum sit dumtaxat distinctionis fundamentum. visis ergo omnibus quæ sunt formaliter in Deo secundum omnem gradum intensionis quem habent, ut contendunt. non visis licet eis quæ sunt in eo virtualiter aut eminenter, videbitur & cognoscetur Deus secundum se totum, cum ipsis displiceat si dicatur aliquid latere cognoscentem sicque incomprehensibilis non erit Deus. quomodo enim defenderent incomprehensibilem, quem asserunt videri posse ab intellectu creato secundum id totum quod formaliter in ipso est? contradictoria se loqui nonne advertunt? facilior est, inquiunt, modus ille explicandi Dei incomprehensibilitatem: id etsi concederemus quid inde? sed modus ille nullum habet fundamentum in Scriptura & Patribus: neque enim ullum verbum in ipsis reperitur ex quo intelligatur Deum aliquando fore videndum secundum se totum, nisi aliunde sic loquendo significare velint illi Theologi, Deum fore in patria videndum & cognoscendum juxta capacitatem intellectus creati, quod libenter concedimus. sed ipsis probandum incumberet Deum non esse magis cognoscibilem quam fert capacitas intellectus creati: & certe nullus id tentare præsumet. sed absit ut demus faciliorem esse hunc modum, ut Ipsis placet, incomprehensibilitatem Dei explicandi, quem volumus penitus tollere illam, proindeque in fide minus tutum. Dato enim quod Deus cognoscatur a creatura secundum id totum quod est formaliter in ipso, ut sentire videntur, nihilque quod in Deo formaliter sit lateat cognoscentem, sequitur necessario Deum ab intellectu creato videri & cognosci secundum totam sui cognoscibilitatem formalem, ad quam certe non pertinebit cognitio eorum quæ in ipso sunt virtualiter vel eminenter, nec illam impediet eorundem non cognitio. cognito autem Deo secundum totalem sui cognoscibilitatem formalem, exhaurietur ab intellectu sic cognoscente, id omne per quod constituebatur formaliter incomprehensibilis Deus, proindeque de illo amplius prædicari non poterit incomprehensibilitas, quod certe non concedent illius sententiæ defensores.

Nec

Nec eſt quod opponant ut ſuæ opinioni aliquam ſaltem probabilitatis ſpeciem tribuant, hæc Apoſtoli verba 1. corinth. cap. 13. tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum. vel iſta Joannis Epiſt. 1. cap. 3. videbimus eum ſicuti eſt. cum ex iis ſolummodo inferri poſſit certitudo viſionis beatificæ, nulla habita ratione modi illius. longe meliorem eſſe futuram conditionem Beatorum in patria, quam fuerit in præſenti vita his verbis declaratur, ut patet ex ſerie contextus nullum ordinem habentis ad Dei Beatificantis incomprehenſibilitatem. *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*, inquit Divus Paulus. *ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, ait Beatus Joannes. per fidem in præſenti ſæculo ambulantes, quæ in futuro revelabuntur in nobis ſperantes expectamus, ea quæ nobis promittuntur in cœlis vix cognoſcentes. ex parte certitudinis viſionis divinæ ſe tenet comparatio Apoſtoli, non vero ex parte ipſius intenſionis. videbitur Deus ut eſt in ſe: videbuntur enim eſſentia, perſonæ, ac ſingula Dei attributa, & in quantum capax eſt intellectus creatus juxta uniuſcujuſque meritum: id nemo negat. Deum autem, & quæ in ipſo ſunt videnda eſſe ſecundum totam ſuam amplitudinem, ita ut cognoſcentem nihil lateat, id concedi nequit. tunc enim cognoſceretur Deus ſecundum totam ſuam intelligibilitatem, quod eſt impoſſibile, ex eo quod objectum infinitum nequit attingi totaliter, & adæquate intelligi niſi per facultatem infinitam. unde ſi quædam eſſent loca tum Scripturæ tum Patrum ad viſionem Dei intuitivam relativa, quæ perfectam de Deo cognitionem in Beatis indicare viderentur, ea de perfectione viſionis, relative ad capacitatem creaturæ cognoſcentis debent intelligi; minime vero de perfectione ſe tenente ex parte Dei, quam perfectam ſeu totalem & adæquatam Dei cognitionem nullus habere poteſt niſi ipſemet Deus.

Ex his omnibus ſequitur, non recurrendum eſſe ad futura & poſſibilia omnia quæ ex conſilio Dei pendent, quæ cum ſint infinita cognoſci nequeunt ab intellectu creato, ut incomprehenſibilem eſſe Deum intelligamus; tum quia ea omnia non ſunt ipſemet Deus, nec in illo ſunt actualiter, ſed dumtaxat potentialiter ſeu virtualiter ac eminenter, eaque ab intellectu creato cognoſcantur vel non cognoſcantur, nihil beatificæ viſioni, qua Deus a Beatis videtur & cognoſcitur ſecundum menſuram donationis Dei, & quantum ſufficit ad perfectam illorum felicitatem, conferunt aut detrahunt. tum quia ex eo quod Deum ſciamus ratione ſuæ eſſentiæ infinitum eſſe, eaque omnia quæ in ipſo ſunt & divinitatem formaliter conſtituunt, vel ſine quibus hæc eſſe nequit, eamdem participare infinitatem, exinde ſufficienter intelligimus eum eſſe incomprehenſibilem; eo ipſo enim intelligimus neceſſario ipſum non poſſe videri adæquate ſecundum ſe totum, ſeu cognitionem intellectus creati, quantæcumque perfectionis ſeu amplitudinis ſupponatur, non poſſe adæquare cognoſcibilitatem Dei qui eſt in infinitum cognoſcibilis, & cujuſcumque infinitatis tam in concipiendo quam in eſſendo incapax eſt creatura, quam aliquid in Deo ſemper latebit.

bit. quo posito sufficienter explicatur Dei incomprehensibilitas, & distincte non minus quam facile intelligitur Deum non posse comprehendi nisi a se ipso.

Dum vero addunt Beatos videre actum quo Deus semetipsum comprehendit, ideoque ipsos Deum comprehendere, & revera a nonnullis vocari comprehensores: hæc nihil alind sunt quam verba. neque etiam talia loquentes crederem intelligere quid ipsi sibi velint. Beati non ignorant Deum se totaliter & adæquate cognoscere secundum totam sui cognoscibilitatem, & ipsi soli propriam esse adæquatam hanc & totalem sui cognitionem, unde perpetuo illum adorant incomprehensibilem: illos autem cognoscere hunc actum intellectus divini se comprehendentis gratis asseritur, nec Scriptura, nec Patres id insinuant. quod etsi verum esset, sanctos non efficeret comprehensores, ob jam allatas rationes. qui si quandoque comprehensores dicantur, id in sensu minus proprio dicitur, & in quantum comprehensionis nomine clara & intuitiva Dei illos beatificantis visio significatur.

ASSERTIO SECUNDA.

Deus est absolute ineffabilis: & licet multis vocari possit nominibus summam ipsius perfectionem declarantibus, nullum tamen ex iis quibus vocatur nominibus, totalem & adæquatam Dei ideam nobis præbere potest.

DEum variis nominibus vocari in Scripturis Sanctis quis nescit? illum nihilominus absolute ineffabilem prædicare quis renueret? omnes tum Patres, tum Theologos nobis consentire facile ostendetur, si quid per hanc vocem *ineffabile* intelligamus agnoscatur. id absolute ineffabile dicimus, cui nullum potest tribui nomen, quod totalem & adæquatam illius cui nomen imponitur, nobis præstet ideam illud ut vere est in se perfecte repræsentantem. nullum autem esse nomen quod nobis suppeditet ideam repræsentantem plene & perfecte Deum secundum totam plenitudinem esse illius evidens est. ad hoc enim necesse esset ut daretur aliquod nomen infinitum in significando, quo dato, opus insuper esset quod daretur facultas aliqua, vel mens diversa ab intellectu divino, infinita in intelligendo. siquidem ad quid supponeretur nomen infinitum in significando, cum nullus esset qui posset intelligere id quod per tale nomen significaretur? Neutrum autem est possibile ob Dei incomprehensibilitatem, & cujusvis intellectus creati limitationem necessariam. nullo ergo nomine designari potest Deus, quo ut vere est in se, nobis plene & adæquate repræsentetur. quod cum ita certum sit ut nihil magis, Deus absolute ineffabilis merito asseritur.

Præterea, nomina quæ rebus imponimus nihil aliud sunt quam conceptuum nostrorum enuntiationes: non possunt igitur latius patere nostris conceptibus qui cum naturam Dei nequeant adæquate, ut dictum est, repræsentare, nec nomina quibus enuntiantur id præstare valent. sibimetipsi nomen imponat Deus qui se ipsum comprehendit, nomen illud equidem plenam & perfectam

ctam Dei ideam repræsentabit: sed cui? Deo soli, qui, nominis illius quid ex omni parte infinitum significantis, vim totam sentire potest, minime vero intellectui creato, qui quantæcumque sit sagacitatis, ideas suas in infinitum protendere nequit, nec consequenter nomina infinitum quid significantia perfecte capere, licet ex iis magnam & sublimem de re quæ his nominibus designatur sibi efformet ideam. Hinc est quod Moysi sciscitanti a Deo exod. cap. 3. quodnam esset nomen illius, ut Israelitis posset illud nuntiare, responsum fuit, *ego sum qui sum: sic dices Filiis Israel: qui est, misit me ad vos*. quod satis indicat nullum nomen quod ab hominibus possit intelligi Deum secundum ipsius excellentiam posse designare. idque significare voluisse videtur Psalmista dum Dei magnitudinem celebrans, ejusque nomen exprimere volens deficiendo exclamat, *Sanctum & terribile nomen ejus*. psal. 10. quasi diceret, nomine proprio Deum ut est in se repræsentante vocare frustra tentarem, est enim terribile & ineffabile nomen Dei, cujus supremam majestatem admiratione potius debemus suscipere, quam verbis efferre, unde dixit Augustinus idem sentiens lib. de Trin. cap. 4. *excedit supereminentia Divinitatis usitati eloquii facultatem: verius enim cogitatur Deus, quam dicitur; & verius est, quam cogitatur*.

Deum vere seu absolute ineffabilem confitentur Sancti Doctores. *Nemo ineffabili Deo nomen potest imponere; quod si quis ullum inesse audebit dicere, is intemperanter insanus est*: inquit S. Justinus Martyr Apolog. 2. Deus definitur a Sancto Gregorio Nazianzeno orat. 49. id, *quod cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; & cum definitur, ipsa definitione decrescit*. unde in alio loco concludit quod *difficile est Deum intelligere, loqui autem impossibile*. S. Augustinus Enarrat. in psal. 85. hæc loquitur super hæc Psalmistæ verba, *non est similis tibi in diis Domine*. *intendat charitas vestra, Deus ineffabilis est. facilius dicimus quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus: mare cogitas non est hoc Deus ... & quid est? Hoc solum potui dicere quid non sit. quæris quid sit? quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Nec sibi contrarius dicendus est Sanctus Episcopus dum lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 6. sic loquitur. *Deus ineffabilis est. quod autem a me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur. & fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest.... & tamen Deus, cum de illo nihil digne dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit: nam inde est & quod dicitur Deus*. Absolutam Dei ineffabilitatem in sensu nostræ assertionis statuens Augustinus, in quantum nihil de illo potest affirmari quod adæquatam & totalem nobis exhibeat de Deo ideam, attamen significat variis nominibus quæ ipsi tribuuntur nos aliquam de illo habere notionem, nobisque per illa aliquantulum innotescere ejus excellentiam, summamque ipsius perfectionem, in quantum scilicet ab hominibus hæc potest intelligi. unde juxta sanctum hunc Doctorem Deum nihil vetat dicere

ex

ex parte ineffabilem, & ex parte non ineffabilem: sicque erit ineffabilis absolute, & non ineffabilis secundum quid, & id præcise est quod asserere intendimus.

Nec aliquid quod nobis adversetur dixisse sibi blandiantur qui oppositum sentiunt, dum affirmantes rem distincte cognosci per nomen, dum concipitur & significatur ab aliis distincta, ob attributum quoddam ipsi peculiare, addunt plura nomina nos inducere in distinctam Dei notitiam, illumque a quolibet alio ente distinguere: non enim exinde inferre poterunt ullum ex iis nominibus totalem & adæquatam Dei nobis exhibere ideam, illum ut vere est in se menti nostræ repræsentantem. cognita re secundum peculiare quoddam attributum illam sufficienter designans, dum auditur nomen huic rei ex hominum consensione conveniens, exurgit in mente audientis idea rem illam repræsentans, hoc certum est. verum id non est repetendum ex eo quod nomen illud totalem & adæquatam rei illius exhibeat ideam, sed ex eo quod totalis & adæquata cognitio illius rei quam habemus, menti nostræ repræsentatur occasione nominis illius determinatio inter homines ad rem illam significandam. quod ita verum est ut si nomen aliquod rem quandam ex usu, omniumque gentium consensu significans, quod illius rei ideam in mente cognoscentium eam excitat, millies proferretur coram audientibus quibus ignota res esset, nusquam rei illius idea excitaretur in eorum mente. si quis verbi gratia ignoraret quid hominem constituat, & quo nomine designetur illud quod hominem vocamus, millies & millies illo præsente vocaretur homo, quin ille de homine cogitaret. res autem aliter se haberet si nomen per se ipsum significaret, ac totalem & adæquatam rei exhiberet ideam. tunc inter utrumque esset connexio adeo necessaria, ut nomen esset rei definitio, cognitionem rei ingerens illi cui antequam ab eo nomen istud audiretur res erat ignota. unde ex eo quod audito Dei nomine ab illo cui notum est quid per tale nomen est intelligendum, exurgat in audientis mente idea Deum repræsentans in quantum homini potest repræsentari, non sequitur quod aliquod ex nominibus per quæ designatur Deus, præbeat totalem & adæquatam illius ideam, quod possibile non est; sed hoc nomine, quo jam novimus intelligi ac designari supremum illud Ens, quod dicimus Deum. excitatur in mente nostra idea illius cujus natura nobis ex parte nota est, cujusque varia attributa, imperfecte licet, nobis innotescunt, in quantum videlicet illud ferre potest humana imbecillitas, cujus captum infinite excedit Dei natura, quæ, quovis appelletur nomine, semper erit absolute ineffabilis. & varia hæc nomina, quibus tum ex Scripturis, tum ex omnium populorum consensu, utimur ad Deum designandum, aliqualem nobis exhibebunt illius ideam inadæquatam, perfectiones divinas Deique essentiam, pro ut jam nobis notæ sunt, in mente nostra revocando: quæ nomina nos inducent in distinctam Dei notitiam, & illum a quolibet alio ente distinguent, non ex propria sua virtute, sed per occasionem ob præviam, quam habemus, de illo cognitionem.

Verum instant dicendo, quod homo viator potest designare vel proferre ali-

aliquod nomen, quo exprimatur essentia Dei, ita ut per illud significetur conceptus quidditativus quem Deus de se ipso habet, aut Beati de illo habent. sed ab illis petere liceat unde hoc habeant, nam rationes vel exempla quibus utuntur ad id ostendendum nihil probant, & refellere esset supervacaneum. esto nihilominus quod illud sit verum, quid inde contra assertionem concludere poterunt? Nihil certe. id enim ut mox dictum est, ex virtute nomini propria non orietur, sed id erit quasi per accidens, ob notionem scilicet præviam ab illo nomine independentem. erit pariter quid accidentale & contingens, quod vere possit homo designare tale nomen hunc producens per se effectum. siquidem ad hoc oporteret, quod homo viator haberet ideam Dei totalem & adæquatam, quodque esset aliquod nomen eamdem ideam ex se necessario significans: quod utrumque possibile esse absolute negamus. Nec ullus contrarium ostendere aliquando poterit. unde certa & inconcussa remanet sententia nostra, qua statuimus Deum simpliciter & absolute ineffabilem esse, licet secundum quid sit nominabilis, & diversis nominibus quibus solet appellari, significentur variæ illius proprietates, diversaque ejus attributa, etiam essentialia, attamen inadæquate & imperfecte, atque dumtaxat juxta creati intellectus capacitatem.

Nec aliquid a nobis diversum loquuntur Doctores Angelicus, & Subtilis, quorum verba si diligenter pensentur, nobis nullo modo erunt contraria, quin potius in rei a nobis assertæ confirmationem afferri poterunt. illa missa facimus ne in quæstionibus mere metaphysicis diutius immoremur, quasve attingere non decet præsentis ævi Theologum, nisi ex earum tractatione aliquid utilitatis exurgere certo certius agnoscat.

Quæritur. Quænam sint nomina quæ Deo vere conveniant, quidve sentiendum de variis illis nominibus quibus ad illum designandum homines vulgo utuntur?

Resp. Ne vanæ carpamur eruditionis ostentatione, in cujus suspicionem non immerito putantur venisse nonnulli Theologi multa de divinis nominibus differentes ac definientes, breviter dicemus quorumdam inter Sanctos Ecclesiæ Patres, vestigiis inhærentes, nullum proprie nomen hactenus fuisse excogitatum, quod nos per se ipsum in naturæ divinæ cognitionem veram deducat, illaque quibus ad illum designandum vulgo utuntur homines, excogitata fuisse juxta variam Dei ad creaturas habitudinem, dicente Sancto Gregorio Nysseno contra Eunomium, " Deus per se ipsum est quidquid cre- „ ditur esse. Nominatur autem ab iis qui invocat, non hoc ipsum quod „ est: est enim natura ejus qui est, inexplicabilis, sed ex iis quæ circa vi- „ tam nostram operari creditur, varia cognomina sortitur. „ ex creaturis quæ ipsius factura sunt, creator nominatur. ex eo quod omnia ipsius subjiciantur imperio, Dominus vocatur, juxta illud Tertulliani contra Hermogenem cap. 3. *Deus, substantiæ ipsius nomen, id est divinitatis; Dominus vero, non substantiæ, sed potestatis*. quod etiam diserte ostendit Augustinus lib. 5. de civit. cap. 16. omnia ergo nomina quæ ad aliqualem divinarum perfectionum cognitionem conferre valent, Deo convenire possumus affirmare: non existi-

 man-

mentes tamen per quodquam eorum totalem & adæquatam Dei ideam nos fuisse assecutos.

Inter ea nomina quæ ad supremum illud ens a quo omnia creata sunt, reguntur & conservantur, designandum homines excogitarunt, illud quod latius patet, & omnium gentium consensione videtur consecratum, est vox illa *Deus* quæ fere apud omnes nationes quatuor constat litteris. Hebræos, Ægyptios, Persas, Indos, Magos, Græcos, Arabes, Armenos, Gallos, Germanos, Anglos, Hispanos, Turcas, interroges, illorum omnium una & eadem vox erit. Hoc Dei nomen quatuor, ut dictum est, constans litteris, indicare videtur vox ista Tetragrammaton, quæ legitur, ut inquiunt linguarum primitivarum periti, in Exodo, cujus loco posuerunt interpretes Adonai. ex quo colligi posset. si diversas eruditorum observationes consulamus, vocem illam proprie non esse nomen Dei, sed declarativam nominis Dei; quod nomen Sanctum & terribile, ut loquitur psaltes Regius, cum ob reverentiam proferre non auderent Hebræi, ubi inter legendum occurrebat Dei nomen, non illud pronuntiabant, sed circumlocutione quadam utentes legebant Tetragrammaton, quasi volentes dicere, ille cujus nomen quatuor constat litteris: qua circumlocutione in mente audientis vel legentis excitabatur idea Dei. si vero vox illa Adonai idem apud Hebræos significasset, quod apud latinos vox illa Deus, si vox illa Tetragrammaton fuisset vere nomen Dei, quare istam præ reverentia non pronuntiassent & vocem illam adonai, quæ idem sonabat, quæque in hoc supposito erat illius synonyma, minori ducti reverentia pronuntiassent? Hæc forte in insipientia a me dicta reputabunt eruditi; non inficiabor, qui linguæ Hebraicæ & aliarum omnium primigeniarum penitus ignarum me confiteor, quique ea quæ obiter hic observavi, uniuscujusque judicio libenter subjicio, ea mox revocaturus, si mihi errori vertantur. cæterum varia nomina quæ Deum significant scire qui voluerit, adeat Dionysium lib. de Divinis Nominibus, Hieronymum epist. ad Marcellam, aliosque veteres ac recentiores, qui curiosius de iis investigarunt, id unum semper ante oculos mentis habens, nullum nomen cujuscumque sit excellentiæ, Dei naturam totaliter & adæquate nobis repræsentare posse, vel plenam ipsius ideam exhibere.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De veracitate, bonitate, justitia, misericordia, ac omnipotentia Dei: an vere in illo sint, & quomodo.

SAtis esset fortasse Deum dixisse ens perfectissimum, ipsumque quascumque in se continere perfectiones. id enim nequit diserte affirmari, nisi implicite significetur summam veracitatem, bonitatem, justitiam, misericordiam atque omnipotentiam ipsi inesse, & in gradu perfectissimo. verum ne defecisse quibusdam videremur, de inclytis illis attributis per quæ divinitas a quolibet alio ente distinguitur tacentes, nonnulla iis quæ in Globo tractata sunt,

ſunt, hic ſigillatim addere non abs re erit, ut ſupremum illud ens, cui omnia famulantur, magis ac magis, ipſo adjuvante, cognoſcentes, lætemur in eo qui fecit nos, omnipotentiam ejus, miſericordiam ejus, juſtitiam ejus, bonitatem ejus, veracitatem ejus in quantum poſſumus exaltando qui verbis explicare non valemus quod de illis Dei noſtri perfectionibus corde concipimus.

ASSERTIO PRIMA.

Deus eſt ſumme verax, & ipſe ſolus, adeoque nec fallere nec falli poteſt.

SUmmæ Dei veracitati quam nec ſpecies mendacii vel erroris ullo modo poteſt infuſcare teſtimonium undequaque perhibent divinæ Scripturæ. ſic exod. cap. 34. dicitur Deus, *patiens & multæ miſerationis, ac verax*. Num. cap. 23. *non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur*. pſal. 118. *omnes viæ tuæ veritas*. pſal. 144. *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*. Roman. cap. 3. *eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax*. Hebræ. cap. 6. *impoſſibile eſt mentiri Deum*. unde de Deo loquens Auguſtinus ſerm. 213. dicit, *non poteſt mentiri, non poteſt falli*. & eadem ratione qua falli non poteſt Deus nec fallere poteſt, utrumque non minus opponitur ſummæ ipſius veracitati quam mendacium. ſummæ illius ſapientiæ repugnat quod poſſit falli, alioquin non eſſet infinite ſapiens. ſicut & infinitæ ipſius bonitati repugnat ipſum fallere poſſe, non enim eſſet infinite bonus. ex eo igitur quo Deus cum bonus ſit & ſapiens, ex eo pariter eſt ſumme verax. & hinc eſt quod iis quæ loquitur Deus firmiter adhæremus: ſumma ipſius veracitate nititur certitudo fidei noſtræ. quibus addi poteſt ratio generalis ſi Deus non eſſet ſumme verax, ita ut fallere aut falli poſſet, non eſſet id quod melius & perfectius excogitari poteſt: cum in tali ſuppoſito poſſet excogitari ens aliud ſumma donatum veracitate qua Deus careret, proindeque ipſe non eſſet Deus. de ratione igitur illius eſſentialiter eſt quod de eo veritas in infinito gradu prædicetur, ita ut error, in quocumque ſenſu intelligatur, in illum cadere nullo modo poſſit. & de Deo hanc notionem habuere etiam Gentiles, quorum teſtimoniis ſuperſedemus, cum nemo cordatus uſquam extiterit, qui ab illa opinione fuerit alienus.

ASSERTIO SECUNDA.

Deus ita eſſentialiter bonus eſt, ut ſit ſummum bonum, & quidquid boni habent entia creata, ſit bonitatis divinæ participatio.

DEo eſſentialiter competere bonitatem, ſive hæc intelligatur de integritate & perfectione juſtitiæ ex qua omnis ſanctitas, ſive ſermo ſit de hac animi propenſione ex qua beneficentia omnis, bonorumque cunctorum largitio, ratione cujus bonitatem naturæ, gratiæ, ac gloriæ quibuslibet creaturis

 pro

pro uniuscujusque capacitate communicat, millies celebrat Scriptura. Sic Exod. 13. dicitur Deus *Magnificus in Sanctitate*. & Psal. 144. *Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur* Psal. 72. *quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde*. Psal. 105. 106. 117. 135. *confitemini Domino quoniam bonus*. Thren. cap. 3. *bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum;* Marc. cap. 10. *nemo bonus, nisi unus Deus*. Luc. cap. 10. *nemo bonus nisi solus Deus*, inquit Christus ipse enim solus est summum bonum quia est bonus per essentiam, & quæcumque alia bona sunt in universa rerum natura, quidquid habent bonitatis creaturæ omnes, cujuscumque sit ordinis, nihil aliud hæc sunt quam summæ illius bonitatis participatio. quæ bonitas, cum sit infinita, sese undequaque diffundit, & per omnia totius bonitatis suæ radios emittit, ut loquitur S. Dionysius lib. de divi. nomin.

Deum summum bonum, incommutabile bonum a quo omnia habent quod bona sint, & omnis bonitatis causam & principium, plenis faucibus millies pariter prædicat cum cœteris Sanctis Doctoribus Augustinus, cujus verba referre non vacat, cum nemo sit qui nobis in hac parte non consentiat. Bonum Deum utique prædicant omnes ubivis terrarum populi, tam sapientes quam imperiti: idque universi mutuo consensu, atque una voce profitentur, licet quoad alia, variis de Deo sententiis discrepent, inquit Synesius, ex hac bonitate essentiali, quæ Deo soli propria est, oriri quidquid est boni in rebus creatis, ut fidei dogma certissimum proponit S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. inter opera S. Augustini in appendice tomi 6. ubi de Trinitate, quæ unus verus & bonus Deus est loquens ait: *quia summe bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit ut bonæ sint: non tamen tantum bonæ quantum Creator omnium bonorum, qui non solum summe bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est*. bonum omne quod creaturis quibuscumque inest bonitatis divinæ participationem esse, uno verbo, declarat Propheta Regius psal. 103. Deum sic alloquens, *aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*. Quam bonitatem effluxum essentiælis divinæ bonitatis illius quæ a nullo alio pendet, dicit Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 3. ubi postquam de permultis rebus quæ bona sunt disseruit, Deum quid melius his omnibus esse concludens ait, *quid plura, & plura? bonum hoc & bonum illud: tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni*.

Nec mirum cuiquam videbitur quod Deum essentialiter bonum dixerimus, imo & summum bonum ipsius consequitur essentiam & inseparabiliter comitatur quælibet vera perfectio atque in summo gradu. non ultimum locum inter veras rerum perfectiones bonitas tenet: insit ergo Deo qui est plenitudo entis, bonitas in intensissimo gradu, vel potius absque mensura, necesse est: atque de plenitudine illius accipiant quæcumque creaturæ, quæ nihil boni haberent, nisi illud ab eo qui necessario est omne bonum participarent. insuper creaturæ intellectualis finis ultimus non potest esse nisi summum bonum. de natura enim ultimi finis est, quod plene satiet omnem appetitum naturæ in illum ultimate tendentis, cunctumve ipsius expleat desideside-

fiderium. ea igitur ratione ob quam rationalis creaturæ finis ultimus necesfario est Deus, qui omnia propter ipsum operatus est, ut ipse testatur, eadem, inquam, ratione oportet illum esse summum bonum, summe amabilem, summe desiderabilem. ad quod attendens Doctor Subtilis Deum vocat bonum sine termino, bonitatis suæ radios liberalissime communicans, ad quem amabilissimum singula suo modo concurrunt, ut ad ultimum finem. Hæc per se sunt adeo nota ut plura loqui nihil proficeret.

ASSERTIO TERTIA.

DEus ita essentialiter justus est, ut in ipso formaliter sit plena perfectaque justitia. De justitia quæ est generice loquendo, omnium virtutum complexio, hic non agitur, quam, si de ea quæstio procederet, in Deo esse in summo gradu omnis lingua confitetur. eam hic dicimus justitiam qua jus suum unicuique tribuitur: illamque plene & perfecte inesse volumus Deo, qui quod suum est unicuique tribuit, non inquirentes an creaturæ comparate ad Deum jus habeant, necne. unde pro benefactis mercedem rependit Deus ac præmium, pro sceleribus vero pœnas decernit ac supplicia. Hinc David Psal. 84. *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos*. Psal. 118. *justus es Domine, & rectum judicium tuum*. & iterum *justitia tua justitia in æternum*. 2. Timoth. cap. 4. de se loquens Apostolus dicit, *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Epist. ad Hebr. cap. 6. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilationis quam ostendistis in nomine ipsius*. Duplex illud justitiæ officium expresse indicat Christus apud Mathæum dicens cap. 16. *Tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. & cap. 25. *ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam*. quibus similia sunt quæ scribit Paulus Epist. ad Rom. cap. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem impietatis, ita & indignatio . . . . . . Non enim est acceptio personarum apud Deum*. Quæ omnia Scripturæ verba, aliaque ab illis non dissimilia in alienum sensum detorquet impius, dum ea de justitia prout est perfectionum aggregatio vult intelligi, non vero de justitia pro ut dicit vindictam de peccato, quasi in Deo non sit attributum aliquod satisfactionem pro peccato necessario postulans: ut Sociniani erronee excogitarunt.

Hanc justitiam, qua bonis merces retribuitur, injustis vero pœna infligitur, vere esse in Deo, ipsique essentialem ac necessariam quoad substantiam, ut docet fides, nec non quoad exercitium, adeo ut peccatum impunitum dimittere nequeat Deus, unanimi consensu docent Sancti Patres, & cum ipsis constanter tenuit Sancta Christi Ecclesia. sic Tertullianus lib. de Resurrectione Carnis cap. 14. Deus, inquit, *de suo optimus, de nostro justus. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset ex naturæ proprietate:*

te: at nunc etiam justum eum patitur ex causæ necessitate. & revera, ultricem Dei justitiam non fuissent experti nec Angeli nec homines nisi abundasset peccatum, cum non fuissent in quos sæviret Deus, nulla extante caussa vindictæ. Deus in se formaliter & essentialiter justus, ab exercitio justitiæ ulciscentis abstinuisset, qui totus erga illos ex remunerante justitia in præmiando fuisset. Idem, Marcianum justitiam ultricem a Deo removentem tamquam cum ipsius bonitate ac misericordia incompossibilem, refellens ait lib. 2. cap. 13. *omne justitiæ opus procuratio bonitatis est, quod judicando damnat. quod damnando punit; quod ut dicitis sævit, utique bono non malo proficit. Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert ..... Horremus terribiles minas creatoris, & vix a malo avellimur: quid si nihil minaretur?* Et quibusdam interpositis sic pergit. *Usque adeo justitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem, clementia; Dominum, disciplina; Patrem, potestate blanda; Dominum, severa. Patrem, diligendum pie: Dominum, timendum necessario.*

De hac justitia Dei, quæ, sive peccatores puniat, sive pœnitentibus indulgeat, sive bonos remuneret, in illo semper elucet, innumeris in locis loquitur S. Augustinus, ostendens in Deo nec justitiæ misericordiam, nec misericordiæ justitiam aliquid detrahere. sic enarrat in Psal. 44. *Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur, virga directionis est ..... Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem? non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam.* in Psal. 50. super hæc verba: Amplius lava me ab iniquitate mea hæc habet. *Vide quem invoces: justum invocas: odit peccata si justus est; vindicat in peccata si justus est; non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus: implora misericordiam, sed attende justitiam: misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? .... Non Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam: non impunitum erit, sed ideo nolo. ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio: ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.* & rursum sic loquitur in illa verba, *ecce enim veritatem dilexisti: id est impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis non reliquisti. veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, ut servares & veritatem. ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia & veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* in Psal. 118. Serm. 28. in hæc Davidis verba justus es Domine, & rectum judicium tuum. mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam, valde: *Hæc utique*, inquit, *justitia Dei, rectumque judicium, & veritas, omni est metuenda peccanti. Hac enim damnantur divinitus, quicumque damnantur: nec est omnino qui de sua damnatione contra Deum justum recte conqueri possit.* & enarrat. in Psal. 147. *expectabis securus*, inquit, *judicium, non tam securus de justitia tua, quam securus de misericordia Dei, quia & tu misericordiam prærogasti. judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam .... Ne putetis, fratres, quia tunc non est justus, quando nostri non miseretur, aut recedit a regula justitiæ suæ & cum damnat justus est; & cum miseretur justus est. quid*

enim

enim tam justum, quam reddere misericordiam præroganti? quid tam justum, quam ut in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis?

De hac justitia, quæ Deo essentialis est, tam quoad exercitium, quam quoad substantiam, loquitur Hipponensis lib. 2. de ordine cap. 7. dum cum amicis suis de ordine rerum, & Dei justitia cum in malos vindicat, differens, ait, *memini te dixisse hanc esse justitiam Dei, quæ separat inter bonos & malos, & sua cuique tribuit. Nam nulla est, quantum sentio, manifestior justitiæ definitio . . . . . quid ergo dicemus, inquam? si Deus ideo justus est, quia judicat inter bonos & malos, quando non erat malum non erat justus? . . . . . prorsus erat Deus justus. poterat enim bonum malumque secernere, si extitisset, & eo ipso quo poterat justus erat . . . Nam ut intelligamus, quia Deus semper justus fuit, quando extitit malum quod a bono sejungeret, nihil distulit sua cuique tribuere: non enim tunc ei erat discenda justitia, sed tunc ea utendum quam semper habuit*. lib. 2. de libero arbit. cap. 1. hæc de Deo pronuntiat: *non solum in nos benignissimus in præstando, sed etiam justissimus in vindicando est*. & tandem, ut cum ipso uno verbo concludamus: *de omnipotentia Dei & justitia dubitare dementis est*, inquit, lib. 3. cap. 18. Numquid dementiæ non esset, a Deo auferre perfectionem quæ una est ex præcipuis entis supremi perfectionibus, quæque, inter eas quibus per participationem gaudere potest homo, ac in perfectiori gradu, veluti primatum tenet? cum ergo sint formaliter in Deo omnes perfectiones simpliciter simplices, justitia quæ talis est, sive quoad substantiam, sive quoad exercitium, eam sic inesse ipsi consequens est.

In Deo non esse justitiam commutativam stricte loquendo, nullus est qui non sentiat non enim potest esse vera æqualitas aut compensatio, inter ea quæ a Deo habet creatura, & ea quæ hæc valet Deo retribuere: unde benignitati largitoris nostri, quidquid conferre ipsi possemus, ejusque liberalitati semper erimus debitores, atque in reddendo impares: idque eo magis, quod nihil habemus a nobis tamquam ex nobis, sed omnia nostra ex Deo sunt. Si ergo latiori sensu possit in Deo esse commutativa justitia, id oritur ex ipsa beneficentia Dei, qui se retributurum promisit mercedem bonis creaturæ suæ operibus: unde jus quod ad gloriam æternam habent justi, qui operantes justitiam adipiscuntur repromissiones, multo magis fundatur in pacto Dei gratuito ejusque misericordia, quam in ipsorum meritis, licet eorum merita, quæ talia sunt ex acceptatione divina, necessario prærequirantur. sintque conditio sine qua non. Hinc est, quod etsi per multos labores, per multas ærumnas in cœlum introierint Sancti, Stolas habentes vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas, ut cantat Ecclesia, semper rigorose loquendo verum erit dicere cum Psalmista, quod *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*; ad quod attendens S. Bernardus sermone quodam de Annunciatione dicebat· Psal. 105. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter illa vita æterna debeatur de jure, aut Deus aliquam injuriam faceret, nisi eam donaret*. Quod ipse acceperat a Sancto Basilio dicente, quod *manet sempiterna requies illos qui in hac vita legitime certaverint; non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi*. Et juxta hunc sensum loquuntur Sancti Doctores

ctores dum mercedem quam repromisit Deus diligentibus se, vocant cum Apostolo coronam justitiæ, ut revera est ex præsupposita illa Dei promissione, ratione cujus factus est nobis debitor. Sic S. Augustinus lib. de Nat. & grat. cap. 2. ait, *Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ*. Ex quibus sequitur justitiam quam formaliter in Deo esse diximus respective ad creaturas, esse justitiam distributivam, juxta quam supplicia decernit aut præmia, jus suum unicuique tribuens. nec illa etiam dici potest rigorosa exacte loquendo, ut observat Doctor Subtilis, quæ nusquam inter Deum & creaturam esse potest, nisi in quantum erga illam sese aliquo modo obligavit Deus. idque ex infinita distantia vel inæqualitate quæ necessario reperitur increatum inter & creatum.

ASSERTIO QUARTA.

Misericordiam, pro ut dicit voluntatem subveniendi alienæ miseriæ, esse formaliter in Deo certissimum est.

Misericordiam ex qua creaturarum suarum miseriæ subvenit Deus, ita celebrant libri Sacri, ut nihil sit in Scriptura frequentius; hæcque de illo præcise adeo prædicatur, ut Deum esse formaliter atque essentialiter misericordem nullus nesciat. Exodi cap. 34. vocatur *Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis*. Psal. 110. dicitur *misericors & miserator Dominus*. Psal. 102. *miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors : . . . . Secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se . . . . quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Psal. 144. *Miserator & misericor Dominus : patiens, & multum misericors. suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*.

Audiamus quid loquatur S. Augustinus in hunc locum psalmi 102. mox laudatum, & quanta sit erga nos Dei misericordia advertamus. „ Quid tam „ longanimum, inquit, quid tam multum in misericordia? peccatur & vi„ vitur; accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit so„ lem suum oriri super bonos & malos. vocat undique ad correctionem, „ vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ vocat impertiendo „ tempus vivendi, vocat per Lectorem, vocat per Tractatorem, vocat per in„ timam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miseri„ cordiam consolationis: longanimis & multum misericors. " Eamdem Dei nostri summam cum Psalmista misericordiam exaltat S. Doctor in hæc verba mox relata *Suavis Dominus, &c.* „ Nisi ille talis esset, inquit, de no„ bis repetitio nulla esset attende ad te ipsum quid merebaris peccator? con„ temptor Dei, quid merebaris? vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit „ tibi nisi supplicium. Vides ergo quid tibi debeatur, & quid dederit qui „ gratis dedit. data est venia peccatori, datus est Spiritus justificationis, da„ ta est charitas & dilectio, in qua omnia bona facias; & super hæc da-
„ bit

„ bit vitam æternam, & Societatem Angelorum: totum de misericordia....; „ & vis nosse quia *super omnia opera ejus miserationes ejus?* inde est illa longanimitas, qua facit Solem suum oriri super bonos & malos. Nonne miserationes ejus in omnia opera ejus, qui pluit super justos & injustos? „ Nonne miserationes ejus in omnia opera ejus? longanimis expectat peccatorem dicens, convertimini ad me & convertar ad vos. " egregia certe sunt quæ scribit Serm. 19. in Psal. 118. exponens hæc verba, *fiat misericordia tua, & consoletur me*. „ Misericordia & veritas, ait, ita divino eloquio commendantur, ut cum in multis inveniantur locis, maxime in „ Psalmis, quodam etiam loco legatur, universæ viæ Domini misericordia „ & veritas. & hic quidem primo veritatem posuit, qua humiliati sumus „ in mortem, judicante illo cujus judicia justitia est: deinde misericordiam, „ qua instauramur ad vitam, promittente illo cujus beneficium gratia est." ad omnia hæc tum Scripturæ, tum Augustini verba quis attendens negaret Deum esse formaliter misericordem? & unde flueret hæc ipsius propensio ad humanam sublevandam miseriam, atque ad creaturis succurrendum constanter adeo, miris multisque modis, si ipse essentialiter atque formaliter inexhaustus æternæ misericordiæ non esset?

Illam autem misericordiam, qua miseriam nostram sublevat Deus, vel illi indulget, ita ipsi essentialem dicit S. Doctor, ut ipsi non possit non inesse. Unde enarrat. 2. in Psal. 32. exponens ista verba Davidis, *diligit misericordiam & judicium:* hæc scribit. „ Ne putetis autem, fratres, quia ista a „ se possunt in Deo aliquo modo separari. videntur enim sibi aliquando „ contraria, ut qui misericors est non servet judicium, & qui judicii tenax „ est, obliviscatur misericordiam. omnipotens est Deus, nec in misericordia „ amittit judicium, nec in judicio misericordiam. miseretur enim, considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorem nostrum, cæcitatem „ nostram, & vocat .... habet & judicium in ipsa misericordia: rursus in „ illo judicio habebit & misericordiam. " multa addit, ostendens etiam in ultimo judicio, Deum magnam erga nos exhibiturum esse misericordiam, quæ cum summa ipsius justitia optime conciliatur, quæ apud Augustinum legi poterunt. Idem veluti argumentum prosequens enarrat. 3. in eumdem Psalmum super hæc verba, *Misericordia Domini plena est terra*, sic loquitur. „ Quid cœli? audi quid cœli. Non enim indigent misericordia, ubi nulla est „ miseria in terra abundat hominis miseria, superabundat Domini misericordia: miseria hominis plena est terra, & misericordia Domini plena est terra. cœli ergo, ubi nulla est miseria, numquid quia non indigent misericordia, non indigent Domino? omnia indigent Domino, & misera „ & felicia. sine illo miser non sublevatur: sine illo felix non regitur. " & iterum multis quæ ad præsens institutum non pertinent, interpositis, addit, „ quam misericordiam vero omnes expetamus, fratres, uberiorem a „ Domino, nisi ut peccata nostra dimittantur? cum ergo ea sit magna misericordia Domini remissio peccatorum, & hanc remissionem peccatorum „ prædixit Dominus prædicari per omnes gentes misericordia Domini plena

„ est terra. unde plena est terra? misericordia Domini. quare? quia ubique „ dimittit peccata Deus. "

His autem Augustini testimoniis Dei nostri misericordiam celebrantibus adderemus, si opus esset, omnes Sanctos Doctores, summam ipsius clementiam ac pietatem, qua miseriis nostris liberaliter adeo succurrit, ad invicem exaltantes, ipsique pro immensis gratiæ suæ auxiliis quæ nobis incessanter largitur, perpetuas gratias agentes, quibus, si parum alicui illud videretur, accederent Ecclesiæ preces & orationes Deum misericordiæ continuo exorantis, ipsumque per viscera misericordiæ suæ æternæ pro nobis omnibus obsecrantis. ex quibus necessario colligeretur Deum formaliter ac essentialiter esse misericordem. Nemo tamen inde concludat, voluntatem illam alienæ miseriæ subveniendi, quam esse formaliter in Deo ut certissimum asserimus, procedere ex affectu compassionis ac tristitiæ, veluti de alterius miseria tristari posset Deus: hujusmodi compassionis effectum in illo admittimus, affectum vero illius, sicut & aliarum quarumcumque passionum affectum ut Deum dedecentem ab illo removemus. in Deo nulla perturbatio mentis est, inquit S. Augustinus lib. contra Adimantum cap. 11. refellens eos qui vellent ex eo appellatam misericordiam, quod miserum cor faciat dolentis aliena miseria. *habeo evangelium*, inquit, *& omnes novi testamenti libros, in quibus misericordia Dei frequentissime commendatur. si audent ergo isti miseri* (de Manichæis loquitur Zelum ut Deo indignum calumniantibus) *inde faciant quæstionem, & negent esse misericordem Deum, ne miserum cor habere intelligatur sicut ergo potest esse in Deo misericordia sine cordis miseria; sic etiam sine tabe atque cruciatu animi, Zelum Dei non dedignemur accipere, & humani conditionem sermonis feramus.*

ASSERTIO QUINTA.

Deum vere & absolute omnipotentem esse sicut docet fides, ita dictat ratio. estque illa Dei omnipotentia, quæ a nullo retardari potest, suprema ipsius voluntas exequens juxta sapientiæ suæ leges, & efficiens quidquid vult.

DEum credere omnipotentem cum sit, ut loquitur S. Augustinus, Christianæ confessionis initium, ut quid omnimodæ ipsius potentiæ pro viribus derogare audent inter ecclesiæ catholicæ filios non pauci, existimantes potentissimam Dei voluntatem suum aliquando non sortiri effectum, vel illum ab hominis voluntate quandoque retardari, præsertim in iis quæ æternam salutem respiciunt, veluti non possit integrum servari liberum hominis arbitrium, illæso supremo in creaturam dominio creatoris, aut a sua nativa libertate deficiat homo, omnipotentissima remanente divinæ gratiæ efficacia. primum istud fidei nostræ caput plenis faucibus prædicemus, veram & absolutam Dei omnipotentiam celebrantes dicendo cum Sancta Christi Ecclesia, *credo in unum Deum omnipotentem*. & reapse omnipotens est qui, ut ait David psal. 134. *in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, in mari & in* om-

omnibus abyssis. & ut habetur Esther cap. 13. in cujus ditione cuncta sunt posita, & non est qui possit illius resistere voluntati. Apud illum enim omnia possibilia sunt, inquit Salvator Dominus apud Matthæum cap. 19. ipsique adeo essentialiter competit omnipotentia, ut per illud attributum voluerit quandoque designari, dicente Moyse exodi cap. 15. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* verum omnipotentiam, Dei nostri ex Scripturis ostendere quid necesse? huic fere in qualibet pagina testimonium illas perhibere absque ulla restrictione, cui non est compertum?

Id autem quod ut certissimum fide docemur, ipsa ratio dictat. quid enim est Deus, nisi ens a se, a quolibet alio independens: infinitæ igitur est virtutis ac illimitatæ potentiæ. Nam ut ait Scotus, quod habet a se esse, habet potentiam activam: & quod habet a se aliquam perfectionem, habet eam in omni plenitudine possibili, unde enim limitaretur qui a nullo pendet, & a quo pendent omnia sive extantia sive possibilia; & si infinitæ virtutis non esset Deus, quomodo ens perfectissimum prædicaretur. & ita Deo essentialem ratio dictat omnipotentiam, ut illam etiam de illo prædicent qui fidem non habent, ut optime observat S. Augustinus de futura mortuorum resurrectione, loquens contra Gentiles serm. 240. in festis paschalibus. quærenti unde fieri potest ut mortuus resurgat sic respondet, *Dico ego, Deus est qui facit, & tu dicis, fieri non potest? Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed, da mihi Paganum, idolorum cultorem, Dæmonum servum qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest. quem tu ergo credis, (quasi Pagano loquor:) quem tu credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem. si dixeris non potest fieri, derogas omnipotenti. si autem credis illum omnipotentem, me quare respuis ista dicentem?*

Ad omnia vero se extendere infinitam hanc Dei virtutem dicit Sanctus Doctor serm. 213. sic loquens: *omnipotens est ad facienda majora & minora: omnipotens est ad facienda cælestia & terrestria: omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia: omnipotens est ad facienda spiritalia & corporalia: omnipotens est ad facienda visibilia & invisibilia: magnus in magnis, nec parvus in minimis. postremo omnipotens est ad facienda omnia quæ facere voluerit.* quæ omnia de Deo cum recta ratio, seclusa etiam fide, fateatur, merito concludebat lib. 3. de libero arbit. cap. 18. ut supra retulimus, de justitia Dei sermonem habentes, dementis esse dubitare de Dei omnipotentia. Non mirum ergo si Augustinus innumeris in locis, multisque modis illam pro viribus exaltet: non mirum si omnes Ecclesiæ Patres ac Doctores, de ea ubicumque sese dederit occasio, magnifice locuti fuerint, summisque laudibus extulerint exclusivum illud Divinitatis attributum, cuilibet alteri absolute ac simpliciter incommunicabile.

Sunt ergo habendi ab omnibus ut dementes, illi Divinitatis irrisores, qui magna adversus supremi Numinis potentiam omnimodo infinitam sibi videntur dixisse, dum multa Deo impossibilia esse pronuntiant, utpote qui non possit facere ut non fuerint ea quæ fuere, vel ut veritati opponatur id quod

verum eſt, nec peccare, mentiri, fallere, mori queat: arguit ne in Deo impotentiam quod non poſſit ea quæ repugnant, & ex ſe poſſibilia nullomodo ſunt; vel ea quæ ſummam dicunt imperfectionem, ipſamque divinitatem neceſſario, ſi talia poſſet, dedecerent? Hæc inania opponentibus jam reſponderat Auguſtinus, tum lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. & 5. ubi hæc ſcribit: *Tam non poſſunt futura non fieri, quam non fuiſſe facta præterita: quoniam non eſt in Dei voluntate ut eo ſit aliquid falſum, quo verum eſt. quapropter omnia quæ vere futura ſunt, ſine dubio fient; ſi autem facta non fuerint, futura non erant: ita omnia quæ præterita vere ſunt, ſine dubio præterierunt. quiſquis itaque dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat ut quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt hoc ſe dicere, ſi omnipotens eſt, faciat ut ea quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt falſa ſint.* quæ ſi non poſſit facere Deus nec velle, non oritur ex limitatione infinitæ virtutis ejus, ſed ex eorum repugnantia. *Huic veritati Deus non poteſt adverſari, in quo eſt ipſa ſumma & incommutabilis veritas... omnipotentem autem Deum non ita dicimus, ac ſi eum etiam mori poſſe credamus; & quia hoc non poteſt, ideo non ſit dicendus omnipotens.* Tum ſerm. de ſymbolo ad Cathecumenos cap. 1. *Deus omnipotens eſt*, inquit, *& cum ſit omnipotens, mori non poteſt, mentiri non poteſt, falli non poteſt; & quod ait Apoſtolus, negare ſe ipſum non poteſt. quam multa non poteſt, & omnipotens eſt: & ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. Nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi inique agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus qui eſſet omnipotens.* Tum lib. 5. de civit. cap. 10. ubi oſtendit Deum non poſſe quæ in eo indecentiam arguunt & imperfectionem, unde magis ipſius omnipotentia commendatur. *Nec poteſtas ejus minuitur*, ait, *cum dicitur mori fallique non poſſe. ſic enim hoc non poteſt, ut potius, ſi poſſet, minoris eſſet utique poteſtatis. recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod ei ſi accideret, nequaquam eſſet omnipotens. unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.*

Abſolutam adeo prædicamus Dei omnipotentiam, ut hanc a nullo poſſe retardari ſeu impediri aſſeramus. quod etſi explicite non pronuntiarent Libri Sacri, ipſa ratio oſtenderet, cum in idea omnipotentiæ includatur neceſſario quod illam nullus poſſit impedire, ex eo quod omnimodam excludat a quocumque dependentiam. unde Deum confitens Hipponenſis, in Enchiridion de fide, ſpe, & charitate, omnipotentem, dicebat cap. 96. *Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* indeque efficaciſſimam Dei voluntatem dixerat cap. 95. quod poſſit omnia quæ vult, ideoque merito cecinerit Pſalmiſta: *Deus autem noſter in cælo ſurſum, in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. quod utique non eſt verum*, inquit, *ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* imperfectionem igitur cum juxta Auguſtinum dicat in Deo quod poſſit infinitæ ipſius virtutis effectus retardari, ejuſque voluntas non impleri ex cauſæ alicujus ſecundæ oppoſitione:

ne: & a Deo procul sit amandanda vel etiam imperfectionis umbra, a nemine retardari posse summam Dei potentiam, ita ut ea quæ vere vult semper possit exequi, certissimum est.

Hanc vero omnipotentiam Dei, quam a nullo posse retardari asserimus, esse supremam ipsius voluntatem exequentem juxta sapientiæ suæ immutabiles leges, & efficientem quæcumque illi sunt placita, quis non videt? *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, inquit Apostolus epist. ad ephes. cap. 1. quibus indicare videtur posse & velle in Deo esse quid unum & idem; non quidem eo sensu quod omnia velit Deus quæ potest: hoc enim verum non esse ipsa dictat ratio, ex eo quod in infinitum usque se extendat posse divinum, & nemo sensatus dicet infinitatem divinæ virtutis ejusque voluntatis adæquari multitudine operum Dei: sed eo sensu quod eadem facultate qua aliquid vult Deus & faciendum determinat, hac pariter id exequatur. & potentiam tertiam in Deo ponere executricem, ut loquuntur, distinctam ab intellectu & voluntate, est plane superfluum. omnipotens intelligitur Deus eo ipso quo dicitur per intellectum cognoscere omnia quæ sunt factibilia, ac per sapientiam suam seu scientiam circa ea dirigi, & per actum voluntatis quo ea vult, eadem exequi vel facere. unde recte dicit Doctor Subtilis, Dei operantis nullam esse praxim nisi volitionem, non ponendo in eo potentiam tertiam aliam ab intellectu & voluntate. idque doctrinæ Patrum consonat, dicente Augustino de Deo, *cujus voluntas opus*, *cujus velle posse est*. vel, *cujus natura bonitas*, *& cujus voluntas potentia* ut ait S. Leo Magnus

Diximus juxta sapientiæ suæ leges: quod significatur per laudata verba Apostoli, secundum consilium voluntatis suæ. Neque enim digne de Deo sentiret, qui ipsum aliquid velle absque regula, vel ex inordinato voluntatis nutu, seu ex arbitrio, opinaretur. omnia enim in mensura, & numero, & pondere disposuit Deus, ut habetur Sap. cap. 11. & cum immutabiles sint leges illæ sapientiæ divinæ, quæ ipsa Deus est, ab illis nusquam recedit, imo nec potest recedere; quod si posset, ut superius cum Augustino dicebamus, non foret dignus qui esset omnipotens. & hinc est quod neque ea quæ contradictionem involvunt aut repugnantiam Deus operetur, neque etiam velle possit: ex eo enim sapientiæ ipsius legibus adversantur; & sibi, iis derogando, contrarius esse nullo modo potest, quia negare se ipsum non potest, ut post Apostolum diximus cum eodem Augustino.

In discutiendis difficultatibus & solvendis objectionibus, quæ circa Dei veracitatem, bonitatem, justitiam, misericordiam ac omnipotentiam in ipso mirabiliter undequaque resulgentes, occurrere possent, ut inter se concilientur varii diversarum illarum perfectionum effectus relative ad creaturas, qui aliquid oppositi sub quodam respectu habere videntur, non immoramur; tum ex eo quod earum maxima pars ordinem dicat ad nonnullas quæstiones, quas, cum ad alios tractatus pertineant, hic attingere nostri non est instituti, de iis in decursu, pro ut sese dederit occasio, si opus sit, aliquando acturi; tum quia illæ quæ ad præsens propositum esse possunt, vel levioris sunt momenti, vel si quid ponderis habeant, resolvi valent ex variis vel

Scri-

Scripturæ vel Patrum testimoniis quæ retulimus, & aliunde apud quamplures Theologos reperiuntur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

DEo honorificum potius silentium, quam ullam vocem humanam competere nos docet Augustinus. ineffabilis enim est summa ipsius majestas, quæ a Spiritualibus cogitari potest, a nullo vero explicari, & quæcumque dixerimus de Deo de quo omnia dici possunt, inquit Sanctus Doctor, nihil tamen digne de illo loquemur, ad cujus magnitudinem celebrandam nulla digna comparatio valet inveniri. Ergone de omnipotenti Deo rerum omnium creatore ac sapienti moderatore omnimode tacebimus? væ tacentibus de te, inquiebat idem Deum alloquens, quoniam loquaces muti sunt. Nec ab ejus laude cessare debemus ex eo quod in explicandis ipsius divinis attributis impares nos semper inveniamus, & dum de infinitis illius perfectionibus alta quæ sapimus meditantes narranda suscipimus, succumbat adeo nostra infirmitas gloriæ Dei, ut laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: etenim bonum est, inquit Sanctus Leo Papa primus, ut nobis parum sit, quod etiam recte de Domini majestate sentimus. nec est quod istius infirmitatis nostræ perturbemur angustiis: excedit enim, multumque supereminet humani eloquii facultatem naturæ divinæ excellentia, & inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi, & revera nisi incomprehensibilis & ineffabilis in suis perfectionibus esset qui in se ipso non potest comprehendi, & de quo facilius dicitur juxta Augustinum, quid non sit, quam quid vere sit, quomodo hunc Deum nostrum confiteremur? Nobis ergo non displiceat quod illius altitudinem promere non valeamus: quin potius, hunc quarumcumque perfectionum cumulum prout possumus considerantes, sentiamus nobis curiosius fortasse eas perscrutantibus bonum esse quod vincimur. Nemo enim, ut cum eodem Sancto Summo Pontifice loquamur, ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus divinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. nam de divinis attributis quæ mentis creatæ captum necessario superant, permulta differentes, si ad id in quod tendimus pervenisse præsumeremus, non quæsita reperisse, sed in inquisitione defecisse merito argueremur.

Quæ possumus, & sicut possumus de Deo rerum omnium quæ sunt auctore nobiscum conferimus: ipsum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia pro viribus celebrantes, incommutabilem ejus æternitatem, incommutabilem veritatem, incommutabilem sapientiam, incommutabilem virtutem, incommutabilem charitatem, unum Deum verum atque perfectum, qui numquam non fuerit (verba sunt Augustini lib. de quantitate animæ cap. 34) numquam non erit, numquam aliter fuerit, numquam aliter erit, bonum, justum, misericordem, libenter contemplamur, etsi per speculum & in ænigmate, ex parte cognoscentes, & ex parte prophetantes, proindeque de illo qui magnus est, & excelsus, nonnisi parva pro modulo nostro dicturi.

ipsum

ipsum vere & necessario, ac per semetipsum existere non credere non possumus: hunc undequaque opera ejus menti nostræ annuntiant: illumque intimiorem intimo nostro nobis conscientia nostra testatur. Hunc summe intelligentem, a quacumque liberum materia, incorporeum, simplicem, immensum, omni reali ac possibili perfectione donatum firmissime tenemus. id omne de Deo prædicavimus, illudque ita esse pro viribus ostendimus; sed quid hæc omnia sint vix intelligimus, per fidem cui ratio famulatur ambulantes in inquisitione deficimus, donec veniat quod perfectum est, & evacuetur quod ex parte est.

SECTIO QUARTA.

De visibilitate Dei.

DEum, quem substantiam pure intelligentem ac omnimode incorpoream diximus, modo invisibilem, modo visibilem prædicantibus Sacris Scripturis, ut ex dicendis fiet manifestum, quamplura circa illius invisibilitatem ac visibilitatem inquirendi occasionem sumpsere Theologi; idque eo libentius, quod ad varia fidei nostræ capita necessarium ordinem dicant. illaque tractare adeo invaluit usus, ut ab iis abstinere, cuicumque de divinis attributis agenti, dedecori ac insufficientiæ verteretur. & merito quidem, cum inter præcipuas Theologiæ quæstiones hæc locum obtinuerit, tum ob dicendorum abundantiam, tum ob dignitatem eorum quæ tractanda occurrunt. ne autem ex multitudine confusio oriatur, utque cum methodo procedamus, distinctis quæstionibus ea omnia expendemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Deus videri possit per corporis oculos, ac per eos sit aliquando visus vel videndus?

QUærentes an Deum videre corporis oculo sit possibile, non omnem visionem ad corpus pertinere sufficienter insinuamus. & revera: non minus enim per mentem objecta cernimus, quam per carnis oculum; imo multo perfectius aliquando animo, quam corpore non pauca nos intueri experientia multiplici docemur. de visione quæ ad mentem spectat mox acturi sumus, si prius propositæ jam quæstioni fecerimus satis.

Deum oculo corporeo videri posse quod somniaverit Antropomorphitæ non mirum; erroris enim illorum Deum corporeum sibi fingentium istud est consectarium: inter objectum & potentiam, hoc semel dato, vera esset proportio. Nec etiam est quod miremur si Gentiles idem teneri a Christianis existimarunt, teste Origene contra Celsum. totam Christi discipulorum in futura vita spem esse de possidendo Deo illoque facie ad faciem videndo non ignorantes, & aliunde ens pure spirituale omni corporali forma expers non in-

intelligentes, ipsum sub specie sensibili ac materia quadam circumscriptum fore videndum opinati sunt, idem a Christianis expectari arbitrantes, istorum fide ac spe illis minime notis. sed vix intelligitur quomodo a catholicis nonnullis & Theologis id possibile esse ut oculo corporeo essentia divina cerneretur dictum sit; id autem inter alios opinatus est Gregorius de Valentia probabile judicans, aliquam potentiam sensitivam sic a Deo condi, ut vel natura sua, vel dono quodam superaddito valeat & ipsum Deum percipere. utque suæ sententiæ, a qua recedunt omnes fere Theologi, aliquod pondus addat, Sanctum Augustinum lib. 22. de civit. cap. 29. in suas partes trahere conatur. sed quam immerito dicenda manifestabunt. interea adversus talia sentientes oppositum statuemus.

ASSERTIO PRIMA.

Deum per corporis oculos aliquando videri possibile non est.

IN Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum textibus distincte adeo fundatur hæc propositio, ut quomodo oppositum sentire in alicujus mentem venire potuerit non inveniatur. sic apud exodum cap. 33. Moysi cupienti Deum videre, idque enixe sciscitanti, respondit Deus, *non poteris videre faciem meam neque enim videbit me homo & vivet*. qua responsione reprimitur servi Dei devotio sancta mensuram supergrediens. & si errabat Moyses Deum corporis oculis posse videri existimans, minime culpandus qui ex summa in Deum pietate id desiderabat. unde serm. 8. in psal. 118. de illo sic loquitur Sanctus Ambrosius: *putavit Deo etiam hoc esse possibile, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum comprehendi. non est reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas.* Hunc Sancti Episcopi Mediolanensis locum si legisset de Valentia, sine dubio a sua cessasset opinione, cui e diametro opponitur. epist. 1. ad Timoth. cap. 1. ait Apostolus, *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria.* de illo pariter loquens cap. 6. ait, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

Suorum antecessorum auctoritate nostram assertionem firmat Sanctus Augustinus epist. 148. in suo commonitorio ad Fortunatianum: ipsos ut ab Hipponensi laudantur audiemus, eumdem simul & nos audientes. „ Magni quidam viri, inquit cap. 2. & in Scripturis Sanctis doctissimi, qui plurimum „ Ecclesiam & bona studia fidelium suis litteris adjuverunt, ubi eis occasio „ data est, dixerunt invisibilem Deum invisibiliter videri, hoc est per eam „ naturam, quæ in nobis quoque invisibilis est, munda scilicet mente vel „ corde. Beatus Ambrosius de Christo cum ageret secundum id quod Verbum est, (non enim corporalibus, inquit, sed spiritualibus oculis Jesus „ videtur.) & paulo post; (Non eum viderunt, inquit, Judæi, obcæcatum „ enim erat insipiens cor eorum.) Hinc ostendens unde videatur ...... & „ paulo post, (audiamus ergo, inquit, Patrem; invisibilis enim Pater; „ sed & Filius invisibilis secundum divinitatem; Deum enim nemo vidit

um-

„ umquam: cum ergo Filius sit Deus, in eo utique quod Deus est Filius, „ non videtur.)

„ Sanctus autem Hieronymus, ait, (videre Deum sicuti est in natura „ sua, oculus hominis non potest:) ..... alio loco evidentius dicit (non „ solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem, & Spiritus Sancti, quæ „ una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos „ mentis, de quibus ipse Salvator ait, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum* „ *videbunt*.) quid hac manifestatione lucidius? si enim tantummodo dixis„ set, nec Patris, nec Filii, nec Spiritus Sancti divinitatem posse oculos „ carnis aspicere, nec deinceps addidisset (sed oculos mentis) forte diceretur „ carnem jam non esse appellandam, cum corpus fuerit spirituale. adden„ do ergo & dicendo, (sed oculos mentis) ab omni genere corporis alie„ navit hujusmodi visionem. " (Hunc Augustini locum etiam observare „ debuisset Gregorius de Valentia.)

„ Beatissimus quoque Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum ageret ad„ versus Arianos, qui tantummodo Deum Patrem invisibilem dicunt, Filium „ vero & Spiritum Sanctum visibiles putant, æqualem Trinitatis invisibili„ tatem Scripturarum Sanctarum testimoniis, & diligentia suæ disputationis „ asseruit, instantissime suadens Deum non esse visum nisi assumptione crea„ turæ: secundum autem Deitatis suæ proprietatem omnino Deum esse in„ visibilem, id est Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, nisi quantum „ mente ac spiritu nosci potest. Gregorius etiam Sanctus Episcopus orien„ talis apertissime dicit, Deum natura invisibilem quando Patribus visus est, „ sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicabilis „ materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate videri potuisse. Hoc „ est quod etiam noster dicit Ambrosius, & Patrem & Filium & Spiritum „ Sanctum ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formave„ rit: ut & illud verum sit quod *Deum nemo vidit umquam:* quæ vox ipsius „ Domini Christi est*: & quem nemo hominum vidit, nec videre potest*; quæ „ vox Apostoli, immo ejus per Apostolum Christi est: & illa non repu„ dientur testimonia Scripturarum, quibus Deus visus esse narratur: quia & „ invisibilis est per propriam deitatis naturam, & cum vult videri potest per „ assumptam, sicut ei placuerit, creaturam. "

Augustino, Patribusque ab ipso laudatis addamus Origenem calumniæ arguentem Celsum, quod errorem oppositum Christianis affingeret. *falso igitur nobis Celsus imponit dicens nos sperare corporis oculis Deum esse visuros*: inquit lib. 7. contra Celsum. Addamus & Sanctum Cyrillum Jerosolimitanum catechesi 9. dicentem, *carnis quidem oculis contemplari Deum impossibile est, quod enim corporis est expers, in carniso culos cadere nequit*. illis omnibus facile adderentur quicumque Antropomorphitarum deliria de Deo corporeo debellarunt, quorum testimonia Deum oculo corporeo videri nullo modo posse ostendunt.

Nedum ex Sacra Scriptura, ut propositam veritatem confirment, Sancti Patres argumentantur, sed etiam ex ratione naturali, cujus ea vox est, quod

potentia vitalis, quæcumque illa sit, non potest ferri in objectum quod est extra ipsius sphœram, aut in illud suam exercere virtutem, seu ab illo moveri, nisi objectum & potentia sint in ratione reciproca; quæ cum neque de potentia Dei absoluta possit reperiri inter objectum immateriale aut substantiam spiritualem, ut est Deus, & potentiam corpoream, ut est oculus humanus, sequitur Deum oculo corporeo non posse videri. Hinc optime argumentatur Doctor Subtilis dicens, quod sensus ex eo quod non possit non esse potentia organica, non potest elevari ad apprehendendum immateriale, nec etiam, inquit, visus Beati, quia sensus ut talis, non est capax nisi sensibilis: unde tenet idem Scotus, neque de potentia Dei absoluta humanum oculum elevari posse ad corpus Christi in Sacramento cognoscendum, quia elevari nequit ad cognoscendum existentiam substantiæ a quolibet sensibili separatæ, proindeque nec Dei essentiam. Deus enim non potest mutare rerum essentias, quæ cum nihil aliud sint, quam ipsius Dei ideæ æternæ, illius immutabilitatem necessario participant. præterea, in quocumque sensu intelligatur Deum per corporis oculum posse videri, cum id sit impossibile absolute nisi Deus corporeus supponatur, ut stulte narrabant Antropomorphitæ, illud consequenter nullatenus potest defendi. omitto alia argumenta ex ratione, desumpta ab Augustino & Fulgentio, quibus ostendit uterque Deum non minus ex supposito dici posse objectum aliorum sensuum quam objectum visus, qui aliunde necessario exigit ut quædam sit distantia inter facultatem visivam & illud quod ab ea videtur, quo dato Deus non esset immensus. unde cum ex sententia quæ supponit Deum posse videri oculo corporeo absurda quamplura necessario fluant, etiamsi hæc Sacræ Scripturæ non adversaretur, ut ex textibus relatis eam adversari evidens est, ut omnimode improbabilis est rejicienda.

ASSERTIO SECUNDA.

Per corporis oculos Deus a nemine umquam visus est, aut videbitur.

HÆc propositio quæ est præcedentis assertionis corollarium ex dictis probata manet. ex eo enim quod impossibilis ostenditur Dei visio oculo corporeo, necessario evidens est Deum a nemine unquam visum fuisse, aut fore videndum per corporis oculos. verum ut nulli dubium ex hac parte relinquatur, quæ oppositæ sententiæ faventia viderentur sunt audienda; ex illorum solutione magis innotescet veritas quam tuemur.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Multa sunt Sacræ Scripturæ testimonia quæ Deum oculo corporis visum fuisse aut fore videndum aperte significant, ut cum legitur apud Job cap. 19. *in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt*. & cap. 42. *auditu auris audivi te*,

te, nunc autem oculus meus videt te apud Lucam cap. 3. *videbit omnis caro salutare Dei*.

Resp. Naturam Divinam per corporis oculos aliquando fore videndam ex præfatis textibus qui concludit, Sacræ Scripturæ verba in sensum a vero alienum detorquet. Duplici modo intelligi possunt ea quæ loquitur Job, vel in quantum Verbi Divini incarnationem prænuntiant, ratione cujus in extremo judicio ab omnibus hominibus, & a Beatis in æterna felicitate videbitur in ea carne quam pro redemptione humani generis assumpsit; vel in quantum futuram omnium hominum in carne propria resurrectionem prophetant, ob quam in sua quisque justorum carne existens Deum videbit, etsi per carnem non fiat hæc visio. juxta utrumque illud fidei nostræ caput in proprio sensu & ad litteram vera sunt quæ loquitur Job, qui dicit se visurum in carne, & non per carnem, quæ prima verba observanda sunt. secundum duplicem hunc sensum accipiendum esse primum testimonium ex Job desumptum ostendit S. Augustinus lib. 22. de civit. cap. 29. his verbis. *illud etiam quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus quæ ex Hebræo sunt, invenitur & in carne mea videbo Deum, resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit; non tamen dixit per carnem meam; quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. nunc vero potest & sic accipi, in carne mea videbo Deum: ac si dixisset in carne mea ero cum videbo Deum*. Eumdem esse sensum verborum quæ leguntur Luc. cap. 3. declarat idem S. Doctor eodem loco sic pergens. *illud enim quod scriptum est, & videbit omnis caro salutare Dei, sine ullius nodo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, & videbit omnis homo Christum Dei, qui utique in corpore visus est, & in corpore videbitur, quando vivos & mortuos judicabit*. ad alia verba ex Job quod attinet, & si aliquantulum anceps videatur Hipponensis; ea tamen in sensu spirituali esse accipienda existimat dicens: *quamvis hic nihil probibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis, ait Apostolus, illuminatos habere oculos cordis vestri. ipsis autem videri Deum cum videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit quod ait Deus ille magister, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

2. *Objectio*. Quamplures e Patriarchis initio temporum vidisse Deum facie ad faciem commemorant libri Sacri, ut in libro Genesis de Abraham, Isaac, Jacob narratur, & de Moyse in libro Exodi: Deum vero ab ipsis fuisse visum facie ad faciem non diceretur, nisi per corporis oculos visus esset. insuper Paulus Apostolus promittit nos in futuro sæculo, Deum, quem in præsenti videmus per speculum & in ænigmate, visuros esse facie ad faciem, ut habetur 1. corinth. cap. 13. quomodo autem id verum esset si oculis corporeis non esset videndus Deus, & possibilis non foret ejusmodi visio?

Resp. Deum Patriarchis nonnullis sub quadam forma sensibili, vel per se, vel Angelorum ministerio apparuisse nemo sensatus negat, id expresse testantibus divinis Scripturis. ergone exinde concludendum Deum in natura sua fuisse visum per corporis oculos? minime. quin potius oppositum recta suadet ratio. etenim Deus qui ens est pure intelligens omni forma corporea de-

destitutum, quomodo in substantia propria corporeis oculis sub specie sensibili præsens exhiberi potuit? id audire refugit humana ratio ob rei utriusque incompossibilitatem. quod enim auditur, corpus est, quod videtur, corpus est dicit quodam in loco Augustinus. concedamus ergo cum Sanctis Patribus Deum sæpius visum fuisse antiquitus a viris sanctis quando voluit, & quomodo voluit, sed sub forma ab ipso assumpta, quandoque cum illis confabulatum fuisse. cum autem hujusmodi visio facta fuerit sub specie aliena, quæcumque illa sit (id enim hic non investigamus) etsi species illa humanis aspectibus visibilem se exhibuerit, ex iis exemplis nihil inferri potest quo suadeatur possibile esse quod Divina essentia fiat objectum facultatis visivæ, quæ cum sit corporea & materialis, nullam habet aut potest habere proportionem cum objecto omnimode immateriali ut est Deus.

Nec pariter voluit Paulus loco laudato Deum corporalibus oculis fore inspiciendum, quod habemus ex Augustino hunc textum interpretante de visione per mentem, tum lib. 22. de civit. cap. 9. his verbis: *& illud quod ait Apostolus, facie ad faciem, non cogit ut Deum per hanc faciem corporalem, ubi sunt oculi corporales, nos visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus*. tum epist. 92. ad Italicam ubi hæc habet: *cum legis videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, intellige inde tunc nos visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum & in ænigmate: hoc autem utrumque interioris hominis munus est*. interiorem autem hominem faciem etiam habere dicit loco mox laudato de civit. *Nisi enim*, inquit, *esset etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apostolus, nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tamquam a Domini Spiritu*, omnem vero per corporis oculum visionem ab Apostolo eo loci repelli superius ostenderat. S. Doctor super hæc verba Christi Matth. cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*, sic loquens: *sicut ergo illi vident, ita & nos visuri sumus: sed nondum ita videmus; propter quod ait Apostolus, quod paulo ante dixi, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. præmium itaque fidei nobis visio ista servatur, de qua & Joannes Apostolus loquens cum apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus*. nullus dicet Angelos videre Deum per corporis oculos, qui corpus non habent. sicut illi vident, ita & nos sumus visuri, ait Hipponensis: per oculos igitur mentis, non vero carnis a nobis videbitur Deus. Scripturam Sacram legant & relegant quibus placet Deum videri posse oculo corporeo, nec unum locum qui opinioni huic Antropomorphitarum errori nimium affini vere faveat reperient. & si quis ex impossibili inveniretur, is in sensu metaphorico esset necessario accipiendus, juxta quem exposuimus, Sanctorum Patrum doctrinæ immutabiliter adhærentes, ea loca quæ sensus corporeos, motusque humanis passionibus similes Deo tribuere, vel in ipso supponere videntur.

3. *Objectio*. Deum corporis oculo posse videri non repugnat, cum neque in-

infinitæ Dei virtuti, nec creaturæ capacitati id opponatur. Non enim Dei potentiam excedit quod, etsi substantia incorporea, sese facultati materiali conspiciendum exhibeat. non pariter est extra capacitatem creaturæ quod immaterialia cernat per corporeum organum quo ad hunc effectum producendum uti potest Deus apud quem nihil est impossibile, etsi de multis quomodo ab ipso fiant rationem reddere non valeat homo. & aliunde in creatura, ut dicitur in philosophia, datur potentia obedientialis ad quodlibet. gratis ergo fingitur Deum oculis corporis non fore videndum aut non posse videri.

Resp. Nullius ponderis est præfatum argumentum quod est mera petitio principii, aut circulus vitiosus. si neque ex parte divinæ virtutis, neque ex incapacitate creaturæ se teneret impossibilitas videndi Deum corporis oculo, quis illud impossibile prædicaret? Deum omnia posse quæ vult, quis ignorat? verum quæ repugnantiam involvunt ex eo quod essentiis rerum obsistant, vel cuidam ex infinitis Dei perfectionibus adversentur, nec vult Deus, nec velle potest: id recta ratio dictat, & ab omnibus ut certissimum habetur. jam supra ostendimus repugnantiam involvere quod ens immateriale fiat objectum facultatis corporeæ aut potentiæ vitalis, ex eo quod inter utrumque nulla sit proportio, & rerum essentias non mutet Deus; unde sequitur ipsum non posse oculo corporeo se conspiciendum exhibere, nisi in quantum substantiæ corporeæ vices ipse suppleret ut videretur. sed tunc ipse Deus in propria forma non se ostenderet, sed in aliena, ut ipsum per se, vel Angelorum ministerio apparuisse diximus quibusdam Patriarchis. & tunc nihil ad præsens propositum, ubi de visione Dei in propria substantia per oculos corporis movetur quæstio: idque ex natura rei asserimus repugnare, quin infinitæ Dei potentiæ ac virtuti ullo modo derogetur. Nec minus excedit capacitatem creaturæ, in qua falsum est dari potentiam obedientialem ad ea quæ fieri nequeunt juxta Divinæ Sapientiæ leges, quibus, in omnibus quæ vult & operatur, necessario consulit Deus, qui, ut ait Apostolus, negare se ipsum non potest. Nec aliquid in nos concluderetur, & si verum esset quod corporeum organum, oculus nempe, elevaretur a Deo ad intuitivam ipsius visionem. hoc enim supposito oculus non ageret vitaliter, sed eo ut instrumento inanimato & totaliter passivo uteretur Deus, qui proinde a corporali illo organo non cerneretur; facultas enim vitalis actionem vitalem non producit, si mere passive se habeat respectu cujusdam effectus, qui tunc in illam minime potest refundi. & parum interest quod rationem reddere posset homo vel non, de modo quo fieret illud quod nusquam futurum, nec etiam esse ullo modo possibile defendimus.

Nec est quod opponatur, Deum posse evehere quamlibet creaturam ad quemlibet effectum, ad illum etiam ad quem aptitudinem non habet, ut cum utitur Deus igne ad Dæmones torquendos, & aqua baptismali ad gratiæ sanctificantis collationem, peccatique originalis deletionem: diversimode enim de causis, effectibusque moralibus ac de physicis est loquendum. licet ignis & aqua sint quid physicum, non se habent tamen ut causa physica in exem-

plis

plis allatis, sed ut causa moralis, ad cujus præsentiam vel occasionem effectum pro ut vult Deus operatur. at causa physica, præsertim si ad unum effectum dumtaxat determinetur, ut facultas vitalis agens ex principiis sibi intrinsecis, non potest ultra objecti proprii amplitudinem excurrere, ex eo quod unum determinatum habeat operandi modum. sic oculus, auris, aliæque facultates vitales, quæ non agunt aut valent agere nisi vitaliter, evehi non possunt ad effectum producendum, qui non sit juxta modum suum operandi, qui ipsis ita est proprius ut alio modo non possint operari, & cujuscumque alterius effectus producendi sint omnimode incapaces. & exinde repetitur, saltem ex parte, impossibilitas quod oculo corporeo videri possit Divina substantia. sicque paritas nulla est.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam fuerit in præsenti materia vera mens Sancti Augustini.

ETsi nulla sit ratio dubitandi de mente tanti Doctoris, dum de visione Dei per corporis oculos agitur, ut mox sumus ostensuri, nonnulli tamen finxere illum fuisse aliquando dubium utrum oculo corporeo videndus sit Deus, an non; indeque occasionem sumpsere, licet ab illius recedentes doctrina, ipsius gloriandi patrocinio, quo nihilominus illos carere non difficile agnoscetur.

ASSERTIO UNICA.

Deum nec umquam fuisse visum aut videndum in propria natura per corporis oculos, nec posse aliquando videri, constanter tenuit Sanctus Augustinus: ipsum vero in hac materia dubium quandoque hæsisse, non nisi indocte fingi potest.

UT contra opinantium ratiunculis obviemus mentem Sancti Doctoris aperientes, quid circa istam quæstionem vere senserit pensare debemus ex ipsius operibus, in quibus rem non obiter, sed ex professo, ut dicitur, tractavit. Neque enim satis esse existimamus si illum innumeris in locis Deum incorporeum & invisibilem audiremus asserentem, quandoque ex incorporeitate invisibilitatem, aut ex invisibilitate illius incorporeitatem merito colligentem. Hæc omnia licet abunde satis veritatem assertionis ostenderent, insufficientia esse concedemus, validiora argumenta pro sententiæ nostræ confirmatione adducturi. quæstionem de videndo Deo per oculos corporis accuratius attigisse Augustinum epist. 92. quæ est ad Italicam viduam: epist. 147. ad Paulinam: epist. 148. ad Fortunatianum Episcopum; & lib. 22. de civit. cap. 29. nullus ignorat nisi sit ab operum illius lectione prorsus alienus. in iis ergo examinandum quid loquatur S. Doctor, cum sint ipsius doctrinæ veluti summa, & brevi patebit illum nusquam hæsisse dubium inter affirmativam & negativam, sed constanter tenuisse Deum in propria natura

tura videri non posse oculo corporeo, sicque nec visum fuisse, nec fore videndum.

Quid vero dicat epist. 92. consolans Italicam super obitu mariti, & quomodo refellat eorum opinionem, qui dicebant Deum videri oculis corporeis, audiamus. De luce, quæ in sæculo futuro illuminabit, ut loquitur Apostolus, abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, mentionem faciens, sic prosequitur: " profecto lux illa Deus ipse est, quoniam *Deus lux* ,, *est*, *& tenebræ in eo non sunt ullæ*, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem ,, videat, quod nunc nondum est. Hoc autem oculus videre corporis neque ,, nunc potest, neque tunc poterit. omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem. Non ita est ,, Deus invisibilis & incorruptibilis, *qui solus habet immortalitatem*, *& lucem* ,, *habitat inaccessibilem*, *quem nemo hominum vidit nec videre potest*. per hoc enim ,, videri ab homine non potest per quod videt homo corpore corpora... *scimus* ,, *quia cum apparuerit similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum sicuti est*. in ,, tantum ergo videbimus, in quantum similes ei erimus, quia & nunc in ,, tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. inde igitur videbimus ,, unde similes erimus. quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel ,, esse, vel futuros esse similes Deo? in interiore igitur homine ista similitudo est qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui ,, creavit illum... quæ (similitudo) idonea erit ad videndum Deum, sicut ,, dicit Apostolus, *facie ad faciem*. in quibus verbis certe si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit, ut etiam Deus talem habeat ,, faciem; & sit aliquod intervallum inter nostram & ipsius, cum eum videbimus facie ad faciem. & si intervallum, utique finis & membrorum habitus terminatus, & cœtera absurda dictuque & cogitatu impia, quibus animalis homo, non percipiens quæ sunt Spiritus Dei, fallacissimis vanitatibus luditur. ,,

Dicant ergo qui non sibi constantem fuisse Augustinum garriunt, dum aliquando dixit non fore videndum Deum oculo carnis, ac nec posse videri, an dubitantis ingenii, fluctuantisque viri sint laudata verba. an non potius delirant illi qui Sanctum Doctorem incertum hac de re fabulantur? & ut Italicæ, ad quam scribit, nullum relinquat dubitandi locum, comparationem statuit inter modum quo videbitur Deus, & spiritalem cultum quem sibi vult exhiberi. " audiat caro, inquit ibid. carnalibus ebria cogitationibus: ,, *Spiritus est Deus*, *& ideo qui adorant eum*, *in Spiritu & veritate oportet* ,, *adorare*. si adorare, quanto magis videre? quis enim audeat affirmare Dei ,, substantiam corporaliter videri, cum eam noluerit corporaliter adorari? ,, & non paucis interpositis quæ ad Christi Domini personam spectant, ad propositum rediens sic concludendo loquitur: " multa proferri possunt ad istam ,, dementiam refutandam. sed si aliquando irruerint auribus tuis, hæc interim eis lege, & quid respondeant non pigeat te rescribere ut potes. ad

hoc

„ hoc enim fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei „ promittitur. quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam „ Sanctorum animus exercetur : immo vero tam perverse sentiens animus „ non in se exercetur, sed totus in carne est. ubi enim tenacius habitabit „ & fixius, nisi unde se Deum visurum esse præsumit? „

Quod sentiebat Sanctus Doctor dum Italicam consolabatur, idem tenebat dum Paulinæ sciscitanti ab ipso de invisibili Deo, utrum per corporis oculos possit videri, librum scribebat de videndo Deo, ut responderet. in illo autem libro qui est ipsius inter Epistolas centesima quadragesima septima, postquam multa dixit præsertim ex Mediolanensi Ambrosio, ut ostendat visionem Dei mundis corde esse promissam, quæstioni a Paulina propositæ faciens satis cap. 15. hæc habet: " si enim quæris utrum possit Deus videri, res„ pondeo, potest. si quæris unde sciam, respondeo, quia in veracissima Scri„ ptura legitur, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. & cæte„ ra talia. si quæris quomodo invisibilis dictus sit si videri potest, respondeo „ invisibilem esse natura, videri autem cum vult, sicut vult. pluribus enim „ visus est, non sicuti est, sed quali specie illi placuit apparere... sicut „ nunc incorruptibilis nec postea corruptibilis, ita non solum nunc, sed etiam „ semper invisibilis. Nec in loco enim videtur, sed mundo corde, nec cor„ poralibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec „ auditur affatu, nec sentitur incessu. Unigenitus autem Filius qui est „ in sinu Patris, divinitatis naturam atque substantiam insonabiliter nar„ rat, & ideo dignis idoneisque tanto conspectu oculis etiam invisibili„ ter „ monstrat. ipsi enim sunt oculi de quibus Apostolus dicit *illuminatos oculos cordis vestri*, &c. cap. 20. utens verbis Christi apud Joannem cap. 14. *qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi*, hæc addit: " Hæc quippe natura ejus æqualiter cum Patre invisibilis, „ sicut æqualiter incorruptibilis est, quæ sicut supradictum est continuatim „ Apostolus posuit, divinam substantiam qua potuit hominibus prædicatione „ commendans: quam si oculi corporales in resurrectione mutata corporum „ qualitate conspicient, viderint qui hoc possunt astruere: me plus movet il„ lius sententia qui nec in ipsa resurrectione hoc corporalibus oculis, sed „ mundis cordibus tribuit. „ & in sua sententia constanter adeo perseverat Augustinus, ut sæpius in eadem epistola verba commemoret Ambrosii, quæ laudaverat, quod nec in loco videtur Deus, sed mundo corde, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu. unde quomodo dubius quibusdam videri potuerit, minime invenitur.

Sanctum vero Doctorem sibi semper constantem fuisse, nec ullo modo ab illa sua opinione recessisse tum epistola ad Fortunatianum, tum lib. 22. de civit. cap. 29. testantur ea quæ ex ipso retulimus in præcedenti quæstione, quæ cum nullam patiantur difficultatem quoquomodo verti possint, non est quod iis aliquid addamus. vigilaverit an somno correptus fuerit Gregorius de Valentia, dum contrariam tenens sententiam illi quam præcedentibus assertionibus proposuimus, Augustinum lib. 22. de civit. suum esse dixit, judicet

dicet prudens lector, nobis a qualibet censura temperantibus, sed Sanctum Doctorem a quacumque dubietatis vel inconstantiæ injuria non immerito vindicantibus.

Opponunt 1. Augustinum sibi aliquando contrarium fuisse ostendere cupientes, & dicunt Sanctum Doctorem dum scripsit commonitorium ad Fortunatianum Siccensem Episcopum, mitigasse id quod epist. 92. hac de re ad Italicam scripserat, ex eo quod Episcopum quemdam didicerat fuisse offensum durioribus verbis quibus utebatur affirmans Deum nusquam fore videndum per corporis oculos. hunc autem ut sibi reconciliet, priorem sententiam emollire conatur, quod certe non tentasset, si circa illam dubio quodam non laborasset.

Resp. Etsi zelo Charitatis ductus Augustinus, Episcopum de quo agitur, quem Antropomorphitarum deliriis adhæsisse verisimile est, quemve sibi ex iis quæ ad Italicam scripserat infensum agnoverat, ut sibi redderet amicum, verbis aliquantulum mollioribus, stylum suum in aliquibus coercendo circa eamdem quæstionem versans, usus fuerit; minime inde sequitur opinionem quam validis argumentis firmaverat in hac priori epistola mitigasse Sanctum Doctorem de eadem re ad Fortunatianum scribendo. aliud enim est sententiam mitigare, aliud vero acriorem stylum coercere. id ultimum observaverit Hipponensis, esto: de eo non investigamus. illum autem nullo modo a prima sua sententia recessisse, nec etiam in minimo puncto mitigasse, sed semper sibi constantem, in iis quæ semel ad Italicam scripserat firmiter perseverasse manifestant prima commonitorii illius verba. " sicut præsens rogavi, inquit epist. 148. & nunc commoneo, ut fratrem nostrum de quo collocuti sumus, videre & rogare digneris, ut ignoscat mihi si quid durius & asperius in se dictum accepit in epistola quam me illo modo scripsisse non pœnitet, quia dixi istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros. causam quippe adduxi cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio intervalloque visibilis. Nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest. " Deinde quæ jam docuerat confirmans post pauca prosequitur. " istius namque corporis oculos dixi non visuros Deum, hoc intuens quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora... porro autem si in tantam sui dissimilitudinem nostra corpora mutabuntur ut oculos habeant per quos videatur illa substantia... longe aliud erunt hæc corpora, & non erunt ipsa: nec sola detracta mortalitate atque corruptione & ponderis gravitate aliud erunt, sed in virtutem ipsius mentis quodammodo convertentur, si videre poterunt, quomodo tunc menti, nunc autem nec ipsi menti videre concessum est... quapropter si videbunt Deum, non istius corporis oculi videbunt, quia & in hoc non erit ipsum corpus usque in illam vim potentiamque mutatum: & non est contraria ista opinio illis verbis epistolæ meæ. si autem hactenus non erit ipsum, quia nunc mortale, tunc immortale, nunc aggravans animam, tunc nullo pondere ad omnem motum erit facillimum: ad videnda vero ea quæ locorum spatiis intervallisque cernuntur, si non aliud

„ quam ipsum erit, substantiam incorporalem & ubique totam nullo modo
„ videbit. sive ergo hoc, sive illud verum sit, secundum utrumque verum
„ est, quod istius corporis oculi Deum non videbunt. aut enim istius erunt
„ & non videbunt, aut non erunt istius, si videbunt: quoniam tanta
„ commutatione longe alterius corporis erunt. " sunt ne verba illa hominis sententiam suam mitigantis? an non potius quæ jam scripserat confirmantis? ut autem nulli dubium possit remanere, videamus quomodo ipsi occurrat Augustinus per verba immediate sequentia. " sed paratus
„ sum, inquit, si quid de hac re melius novit hic frater, vel ab ipso,
„ vel ab illo a quo didicit, discere. quod si irridenter dicerem, etiam il-
„ lud de Deo corporali membrisque per loca divisibili, dicerem paratum
„ me esse discere. quod non dico, quia non irridenter loquor & talem Deum
„ non esse omnino non ambigo, & ne talis esse crederetur, illam episto-
„ lam scripsi. „

Nec aliquid in contrarium recte inferri posse judicamus ex particula conditionali quam adjungit, ita ut de corpore spiritali & glorioso post resurrectionem dubius remanserit Sanctus Doctor, ut gratis existimant nonnulli, quibus videtur intactam reliquisse quæstionem de corpore spiritali, multaque dixisse disputando juxta alienam hypotesim. conditionalis enim hæc particula non ad visionem ipsam Dei est referenda, sed ad mutationem quæ corporibus in resurrectione evenire poterit, & quævis illa sit, Deum per corporis oculos ut nunc sunt nusquam fore videndum absolute pronuntiat, ut ex tota contextus serie sit manifestum. & rem vere definit, tam in libro de videndo Deo ad Paulinam, quam in præsenti isto commonitorio ad Fortunatianum, in eadem opinione perseverans juxta quam ad Italicam scripserat; etsi œconomiæ causa, vel potius charitatis zelo, ut diximus, scripserit se cum pace dilectionis auditurum eos qui oppositum tenebant, si quæ astruunt, valeant ex Scripturis differendo monstrare. Nec aliquid ex aliena hypotesi locutus est, nisi ut impugnans, suam sententiam confirmaret. quænam futura sit corporum nostrorum post resurrectionem qualitas, quantamve capiant in melius commutationem facta spiritualia, quidve spiritui sint collatura, non definit, sed diligentius esse inquirendum, si quid certum possit inveniri, dicit; sic enim loquitur in eodem commonitorio circa finem. "
„ utrum si corporis, quamvis jam immortalis atque incorruptibilis, natura
„ servabitur, adjuvet tunc aliquid spiritum ad videndum ipsa visibilia,
„ idest corporalia, sicut nunc tale aliquid nisi per corpus videre non possu-
„ mus; an vero etiam tunc sine organo corporis valeat spiritus noster nosse
„ corporalia (neque enim & Deus talia per sensus corporis novit:) & mul-
„ ta alia quæ in hac quæstione movere possunt, fateor me nondum alicu-
„ bi legisse, quod mihi sufficere existimarem sive ad discendum sive ad do-
„ cendum... De corpore autem spiritali pacatius & diligentius inquiramus,
„ ne forte aliquid certum ac liquidum, si nobis hoc utile esse novit, secun-
„ dum Scripturas suas Deus dignetur demonstrare... si autem iste frater
„ quod de spiritali corpore adhuc requiro, jam sibi firmat esse certissimum,
„ nisi

„ nisi placidus audiero docentem, ita ut ille quoque placidus me audiat in-
„ quirentem, habebit unde jure succenseat. "

Opponunt 2. Ut quid negatur Augustinum parum sibi constantem fuisse, quandoque fluctuantem hæsisse, cum ipse dicat serm. 277. qui est quartus de Sancto Vincentio Martyre, negandum non esse per carnem posse videri quod non videtur in loco, sed illud esse quærendum, & certe de eo esse dubitandum? cur quærendum adhuc vellet & investigandum illud quod firmissime tenuisset, atque de illo donec certius aliquid inveniatur nihil esse statuendum?

Resp. Circa principalem quæstionem, quæ ad visionem Dei per carnis corporisve oculos, corporum post resurrectionem remanente natura, licet incorruptibilitate & immortalitate donentur, spectat, nullo modo incertum hæsisse Hipponensem testantur omnia ipsius scripta, in quibus de illa agendi sese offert occasio, ut accidit præsenti sermone. ubique enim constanter affirmat ut quid omnimode indubitatum, Deum non fore videndum per corporis istius oculos, qui videre non possunt nisi ea quæ sunt in loco; & quidquid est in loco, finitum & corporeum non potest non esse. unde Deus qui nec corporeus est aut limitatus, oculo corporeo nequit videri. Nec ullum verbum apud Augustinum reperire est, ex quo oppositum quid sequatur. circa quæstiones alias quæ ad primum tamen ordinem dicere possunt, quæve evidens in Scripturis fundamentum non habent, nihil de iis firmiter esse negandum aut asserendum, sed dubitanter esse procedendum, Donec in Scripturis sanctis aliquid inveniatur per quod dubium omne tollatur, prudenter pro more suo tenet, nihil ut certum proponens nisi certo id nitatur testimonio, verisimilia dumtaxat & probabilia nusquam sinens pro indubitatis haberi: & in hoc certe laudandus, imo & ad imitandum omnibus proponendus. Deum ergo per carnis istius oculos etiam post resurrectionem non esse videndum certissime tenens Augustinus, dubitat utrum corpus istud in resurgendo ita spiritus naturam aut virtutem sit participaturum, ut jam tunc tactum spiritale, oculis suis & incorporalia, Deique substantiam possit videre. Dubium omne in quo versatur Sanctus Doctor, se tenet ex parte mutationis quam experietur in novissimo die caro nostra, quæ si ad vim spiritus elevetur, nihil obstare videtur quominus quæ valet spiritus, ipsa etiam saltem ex parte valeat. de modo & effectibus hujuscemodi mutationis quæ infallibiliter fiet in nobis, sacra silente Scriptura, nihil circa eam asserendum aut negandum judicat Hipponensis, sed inquirendum utrum de ea aliquid habeant libri canonici quod liceat affirmare. verum dato quod corporibus nostris in melius adeo mutatis ac spirituum naturam adeptis, vel quasi adeptis, per illorum oculos Deus possit videri, nihil tunc ad propositum. quæstio enim est utrum per corporis oculos, corporibus nostris etsi immutatis, remanentibus tamen in propria natura, licet materia crassiori & corruptibili spoliatis, Deus sit aliquando videndus, idque sine ulla cunctatione, nec aliquid dubitans negat absolute, semper sibi constans Augustinus, quod ostendendum susceperamus, atque invicte ostendimus.

Ee 2 Ut

Ut autem plene innotescat nos Sancti Doctoris mentem vere fuisse assecutos, & quæstiones minus principales a principali quæstione merito separantes, quid certum quidve incertum in illis voluerit invenisse, ea quæ scripsit sermone laudato audiantur oportet: propositæ difficultati nos responsione præsenti fecisse satis ex iis fiet manifestum. " De isto ergo tali (spiritali) " corpore, inquit, cap. 13. nihil temere ac præsumenter definire audeat humana fragilitas. quales erimus, sciemus cum fuerimus. antequam simus, " temerarii non simus, ne illud non simus. quærit aliquando humana curiositas, & dicit sibi, putasne per illud spiritale corpus videbimus Deum? " cito quidem responderi potest, in loco non videtur Deus... si ergo substantiam (prosequitur cap. 14.) quæ non videtur in loco, poterunt vel " tunc corporales oculi videre, cum fuerit corpus spiritale, si poterunt aliqua vi occulta, aliqua vi inexperta & prorsus incognita, nec ulla æstimatione percepta, si poterunt, possint. oculis enim videmus, non nostris oculis invidemus. tantum non conemur Deum perducere ad locum, non " conemur Deum includere in loco, non conemur Deum per spatia locorum quasi aliqua mole diffundere: non audeamus hoc, non cogitemus. " Maneat substantia divinitatis in sua & propria dignitate. Nos certe " quam possumus, in melius mutemus, non Deum in deterius commutemus. maxime quia definitum aliquid inde in Scriptura non invenimus, " aut nondum invenimus. Nam neque hoc audeo præsumere, non in ea " esse quod valeat inveniri. aut non est, aut latet, aut me latet. si quid " in alterutram partem potuerit ab aliquo inveniri, libenter accipio, & me instructum nisi gratias egero, non homini dicenti, sed ei qui per hominem " docet, ingratus ero. absit autem ut dator gratiæ, me esse permittat ingratum... Hoc ergo dico, quoniam tales oculi qui non nisi per intervalla & spatia locorum vident quidquid vident, nec nunc possunt videre " Deum, nec tunc poterunt, quia ille non est in loco. aut ergo aliud erit " quod videre possint, & quod in loco videri non potest: aut si manebit in " in eis non posse videre nisi in loco, non videbunt eum qui non est in " loco. Hoc autem (cap. 15.) donec de spiritali corpore diligentius requiratur, quod aut intelligatur, aut recte credatur, teneamus corpus resurrecturum, teneamus formam corporis nostri hanc futuram, quam vel " Christus exhibuit, vel in occulto promisit. teneamus corpus spiritale futurum, non animale, sicut nunc est. evidenter enim expressum est, & " contradici non potest: *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale...* " Non hoc ideo dixi, inquit cap. 19. quia carnem visuram negavi, sed quia " quærenda sunt testimonia clariora, si forte poterunt inveniri. Nam hoc " quod prolatum est, videtis quale sit. pro nobis enim magis facit, vel pro " ipsa veritate, vel pro his qui quasi certo contendunt, carnem non visuram omnino ullo modo Deum, nec in resurrectione mortuorum... si " autem caro illa tantam mutationem acceperit, ut possit per eam videri " quod non videtur in loco, omnino ita sit. sed quærendum est, unde doceatur. & si nondum docetur, nondum negetur, sed certe vel dubitetur.

" ita

„ ita tamen ut carnem resurrecturam non dubitetur, spiritale corpus futurum ex animali non dubitetur, corruptibile hoc & mortale hoc induere „ immortalitatem & incorruptionem non dubitetur. „

Quam methodum sequitur Augustinus in præfato sermone ut advertimus, controversiam principem prudenter sejungens a secundaria, cujuslibet ambiguitatis aut confusionis vitandæ causa, eamdem tenuit libro de videndo Deo ad Paulinam, cui postquam dixit. ut supra ostendimus, Deum videri non posse per corporis oculos, quod non dubitanter sed firmissime asserit, ut manifestant hæc ipsius verba cap. 19. " arbitror te jam concedere, his omnibus consideratis, recte dictum esse quod Deus nec in loco videtur, sed „ mundo corde, nec corporalibus oculis quæritur: „ de qualitate corporis gloriosi post resurrectionem seorsim loquitur de eo nihil affirmans cap. 21. & 22. ubi cum dixisset mundis cordibus promissam esse Dei visionem, hæc habet. " & de spiritalis quidem corporis qualitate, quod resurrecturis promittitur, vel discere aliquid adhuc, vel quærere non recuso: si tamen de hac „ re disputantes illis vitiis carere possimus, quæ plerumque studiis humanis „ & concertationibus excitantur; dum supra quam scriptum est, unus pro altero infletur adversus alterum: ne dum altercando quærimus investigare, „ quomodo possit videri Deus, ipsam pacem sanctificationemque perdamus, „ sine qua nemo poterit videre Deum: quod ipse avertat a cordibus nostris „ ut ea suæ contemplationi munda reddat atque custodiat. illud tamen quia „ non dubito, non requiro, quod Dei natura numquam videatur in loco. „ jam utrum possit hujus corporis oculis videri aliquid, quod in loco non „ videtur, ab eis qui hoc valent disserendo monstrare, cum pace dilectionis „ audire paratus sum... sunt autem alii Deum quidem ipsum corpus non „ esse minime dubitantes; sed ideo eos qui ad vitam æternam resurgent, „ etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritalis „ corporis qualitatem, ut etiam ipsa quæ caro fuerat spiritus fiat. quod si „ ita est „ quantum distet a superiori opinione „ (illorum nempe qui existimant Deum ipsum esse corpus, putantes quidquid corpus non est, nullam prorsus esse substantiam, quos omnimodo aversandos censet Augustinus) " & „ quam hoc sit tolerabilius, etiamsi verum non sit, puto facillime judicari. " judicii sui duplici data ratione sic prosequitur. " postremo quia id „ quod ego in illa epistola (92.) mea dixi de istis nostræ carnis oculis, „ quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic „ verum est: non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc „ non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi numquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum non corpus videbit. Tota igitur quæstio jam remansit de corpore spiritali, quatenus induat „ incorruptionem & immortalitatem hoc corruptibile atque mortale, & quatenus ex animali in spiritale mutetur: quæ diligentius sollicitiusque tractanda est... sed cogitandum est ne quid insolenter audeamus, si dixerimus corpus non solum mortalitatem & corruptibilitatem, verum etiam „ hoc ipsum quod corpus est per gloriam resurrectionis amittere, & spiritum

„ fie-

„ fieri . . . quapropter donec diligenti inquisitione, si Dominus adjuverit, „ reperiatur quid secundum Scripturas de spiritali corpore, quod in resurre- „ ctione promittitur, probabilius sentiendum sit, interim nobis sufficiat quod „ unigenitus Filius, idemque mediator Dei & hominum homo Christus Je- „ sus ita videt Patrem, sicut videtur a Patre. Nos autem ad illam visionem „ Dei, quæ nobis in resurrectione promittitur, non ex hoc mundo istam „ concupiscentiam oculorum transferre conemur, sed mundandis cordibus pio „ studeamus affectu; nec corporalem faciem cogitemus cum dicit Apostolus, „ *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: præser- „ tim quia Apostolus expressius dixit, *nunc scio ex parte: tunc autem cogno- „ scam sicut & cognitus sum*. si ergo tunc corporali Deum facie cognoscemus, „ corporali ejus nunc facie cogniti sumus: *Tunc* enim *cognoscam*, inquit, *sicut „ & cognitus sum*. unde quis eum non intelligat eo loco etiam nostram fa- „ ciem illam significare voluisse, de qua dicit alio loco, *Nos autem revela- „ ta facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de „ gloria in gloriam, tamquam a Domini spiritu*; de gloria scilicet fidei in glo- „ riam contemplationis æternæ? Hoc quippe agit hæc transformatio, qua „ interior homo renovatur de die in diem. „

Cuncta hæc ex Augustino desumpta attento perpendens animo quis ferre posset ipsum in præsenti hac controversia a quibusdam dubium & quasi titubantem reputari? vel potius quis cernens quanta cum arte varias quæstiones, licet inter se non parum affines, ab invicem secernat, certa ab incertis solerter sejungens, illum non admirabitur quæ ipsi nota sunt, veritatis tenacem, fidenter ac constanter defendere; quæ vero non nisi probabilia sunt vel ambigua, intacta relinquere, vel aliorum de illis quandoque stare judicio, vel illa novæ ac diligentiori inquisitioni rectius subjicere, donec aliquid certi possit inveniri? Nihil ergo secundum aliorum hypotesim cum de Deo videndo corporeo oculo actum est, definivit aut disputavit Sanctus Doctor, sed propriam sententiam constanter tenens, (quid futurum sit de corpore glorioso in melius immutando non determinans,) Deum nusquam fore videndum per istius corporis oculos indubitanter affirmat, quæstiones alias minoris momenti esse parvi faciendas admonens unde librum de videndo Deo seu epistolam ad Paulinam concludens hæc scribit. " Nec te moveat quod „ a quibusdam minus considerate dicitur, quid tunc videbunt oculi corpora- „ les, si Deum non videbunt? an forte cœci erunt, vel sine causa erunt? „ Neque enim attendunt qui hæc loquuntur, quia si non erunt corpora, „ nec illi profecto corporales oculi erunt: si autem erunt corpora, erit quod „ videre possint oculi corporales. sed hæc jam satis dicta sint, quæ ab initio „ hujus opusculi mei diligenter lecta & relecta considerans, sine ulla fortasse „ dubitatione perspicies ad videndum Deum per ejus auxilium, cor mun- „ dum te debere præparare. „

Opponunt 3. Sanctum Augustinum de sua sententia non adeo certum extitisse evidens testimonium est, quod cum dixisset ad Paulinam scribens se alio in opere quæstionem de spiritali corpore tractaturum, ac vere de illa

agat

agat libro vigesimo secundo, capite vigesimo nono, de civitate Dei, rem tamen non definit, quam probabiliter, ut promissis suis staret, definivisset si dubius circa eam non mansisset. etsi ergo, ut dubium non est, fortius propenderet in opinionem negantem Deum fore videndum per corporis oculos, oppositam nihilominus non omnimode falsam judicavit, quod illum de utraque æqualiter dubitasse non leviter ostendit.

Resp. Promissis suis omni ex parte stetisse Sanctum Doctorem in eo quod Paulinam alloquens pollicitus fuerat quis negare potest? *de corpore vero spiritali*, inquiebat, *si Dominus juverit*, *opere alio experiemur quid disputare valeamus*. & reapse de illo disputat laudato libro de civitate Dei. " sed utrum „ videbunt (Sancti Deum) & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est. „ en certe in illis verbis propositam quæstionem, cui per hæc sequentia respondet. " si enim tantum poterunt in corpore spi„ ritali eo modo utique etiam ipsi oculi spiritales, quantum possunt isti qua„ les nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit. longe „ itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natu„ ra, quæ non continetur loco, sed ubique tota est... vis itaque præpol„ lentior oculorum erit illorum, non ut acrius videant... sed ut videant „ & incorporalia. „ & rursus commemoratis iis Christi verbis, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, subjungit, " sed utrum etiam corporali„ bus oculis ibi videatur, hoc in ista quæstione versamus. " & vere de ea non pauca loquitur, ut in iis quæ promiserat non deficiat.

Sed inquiunt, rem propositam non definit; at quandonam illam definire pollicitus erat? quid de illa esset sentiendum, inquirendum esse secundum Scripturas dixerat. de illa autem tacentibus Scripturis, aliquid affirmandum aut negandum non existimat, sed litem sub judice sapienter derelinquit. unde hæc subdit. " sed quia spiritale corpus nescimus quantos habebit ac„ cessus, (de re quippe inexperta loquimur,) ubi aliqua, quæ aliter intel„ ligi nequeat, divinarum Scripturarum non occurrit vel succurrit auctori„ tas, necesse est ut contingat in nobis quod legitur in libro sapientiæ: *co„ gitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*. „ & iterum rem incertam ostendens ex silentio Scripturarum ait, " aut ergo per illos oculos „ sic videbitur Deus, ut aliquid habeant menti simile, quo & in corporea „ natura cernatur, quod ullis exemplis sive Scripturarum testimoniis divina„ rum vel difficile vel impossibile est ostendere. „ Hanc autem de spiritali corpore controversiam sola Scripturarum auctoritate posse terminari, non vero ratione ulla humana, ita censuit Augustinus, ut philosophorum ratiocinationes nullius ponderis esse dixerit ad rem illam definiendam; quod est notandum, cum ex iis pro sua sententia valide potuisset argumentari. unde hæc subjungit ibidem. " Ratiocinatio quippe illa philosophorum, qua dispu„ tant ita mentis aspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, „ id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per se „ ipsam mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum „ esset per oculos corporis etiam spiritalis nullo modo posse videri Deum.

„ sed

„ sed istam ratiocinationem & vera ratio & prophetica irridet authoritas. „ quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista „ nescire? Numquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addisce- „ re? „ ubi observandum est Augustinum non improbare philosophos eo quod dicerent spiritualia per corpus non posse videri, sed improbare ut insufficientem rationem quam afferebant in suæ opinionis confirmationem, quæque falsitatis convincebatur ex comparatione cum spiritu quem corporea posse intueri insulse negabant: unde illos irridendos non immerito declarat Sanctus Doctor. cum igitur nullum in Scripturis canonicis sufficiens reperiatur testimonium, ut affirmari possit vel negari, utrum tanta futura sit in corpore spiritali & glorioso post resurrectionem mutatio, ut per illius oculos Dei substantia videri queat, de eo quod futurum est dubitans Augustinus, firmiter ac constanter perseverat in sua sententia, juxta quam per corporis istius oculos numquam Deus est videndus, neque etiam a Beatis in cælo post resurrectionem, qui per oculum mentis interiorem divinitatem illos beatificantem sunt visuri, dicente Christo, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Ad id quod addunt dicentes sanctum Doctorem fortius propendentem in sententiam negantem per corporis oculos fore videndum. oppositam nihilominus non omnimode falsam judicasse, unde illum de utraque æqualiter dubitasse colligunt, non est quod respondeamus. res enim pro Augustino clamat. possibile ex illo non est Deum videri istius corporis oculis, idque multiplici ostendit argumento: falsa ergo ex illo prorsus est opinio tenens Deum sic posse videri; & illos mente claudicare libenter dicerem, qui Augustinum legentes illum minima etiam ex parte dubitantem agnoscunt.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum possit Deus ab homine intuitive videri.

De intuitiva Dei visione per quam Deus non in alio & per aliud, nempe per effectus ut in abstractiva, sed immediate ac in semetipso cognoscitur, quæve in cælesti patria nobis repromissa est, de qua loquens Apostolus & Evangelista Joannes Epist. 1. cap. 3. ait, *Scimus enim quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, tractaturi, duo habemus inquirenda, utrum scilicet viribus naturæ ab intellectu creato possit Deus intuitive videri; & utrum saltem per gratiam possibilis sit homini intuitiva Dei visio. utrum autem demonstrari ratione valeat hujuscemodi visionis possibilitas nec ne, inquirant, qui voluerint. Deum a Beatis in cælo intuitive videri, per fidem, ut videbimus; edocti, quid opus habemus perpendere an illud rationi sibi ipsi relictæ possibile videatur?

Quod excogitaverant prioribus Ecclesiæ sæculis insanientes Anomæi de naturæ suæ viribus ita præsumendo, ut notitiam quam se habere de Deo jactitabant, illi quam Deus de se ipso habet æqualem dicerent, ut ex Epiphanio,

nio, Basilio, utroque Gregorio, & aliis habemus, id sæculo quarto decimo audacter non minus quam stolide sibi arrogavere Beguardi & Beguinæ, existimantes animam non indigere lumine gloriæ quo elevetur ad Deum videndum eoque beate fruendum. illorum vesaniam inter infimæ plebis homines indoctos atque mulierculas grassantem repressit Concilium Viennense sub Clemente quinto, ac eorum damnavit errores. in oppositum errorem impegere illi de quibus refert Sanctus Papa Gregorius lib. 18. moral. quod vellent in claritate sua Deum conspici, sed in sua natura non videri. illis adhæsisse Armenos, Græcos saltem veteres, Palamitas, historia, quibus nituntur Theologi, permultæ testantur; ipsisque aliquando consensisse Petrum Abailardum colligitur ex Sancto Bernardo. contra hos omnes quid sit tenendum declarabit sequens.

ASSERTIO UNICA.

Quæ creato intellectui naturæ viribus possibilis non est intuitiva Dei visio, supernaturalis gratiæ adjutorio fit homini justo possibilis; & revera Beatos omnes in cælo per æterna sæcula hac esse fruituros juxta catholicæ fidei principia ab omnibus est credendum.

NAturæ vires superare intuitivam Dei visionem, ac creaturæ intellectualis sibi ipsi relictæ captum excedere quod frui queat supernaturali illa beatitudine colligitur ex sacris Scripturis. Sic Isai. cap. 64. dicitur: *oculos non vidit Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* quibus verbis addens Apostolus Epist. 1. ad corint. cap. 2. ait, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Nonne idem significant ea quæ habet Epist. 1. ad Tim. cap. 6. dum de Deo loquens dicit, quod *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Cum igitur, ut mox ostendemus, intuitiva Dei visio homini fiat possibilis per supernaturale gratiæ adjutorium, evidens est de possibilitate naturæ verba Apostoli esse intelligenda. unde dicit idem Apostolus Epist. ad Rom. cap. 6. *gratia autem Dei, vita æterna*, quæ in possessione Dei per intuitivam ipsius visionem consistit, juxta hæc Christi verba Joan. cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Nobisque consentiunt unanimiter Sancti Patres. *Mens nostra ipsum per se Deum, sicut est, non potest intueri*, ait Origenes lib. 1. de principiis cap. 1. *in potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius est apparere*, inquit Ambrosius in Lucam cap. 1. *sicut non est a carne sed super carnem quod carnem facit vivere, sic non est ab homine sed super hominem quod hominem facit beate vivere.* Scribit Augustinus lib. 19. de Civit. cap. 25. quibus addi potest Concilium Viennense sub Clemente V. damnans, ut jam diximus Beguardos & Beguinas, quorum error in hæreticis priorum sæculorum jam fuerat proscriptus.

Nec desunt ad assertionis confirmationem theologicæ rationes. etenim fa-

 cultas

cultas naturalis in suo naturali ordine constituta sibique relicta non potest opera supernaturalia elicere, cum ergo Deum intuitive videre sit aliquid supernaturale, ut nullus negare potest, quomodo mens humana absque auxilio supernaturali hunc actum posset exercere? praeterea, si fidei, spei charitatis, aliarumve virtutum actus qui sunt dumtaxat media ad visionem intuitivam Dei conducentia, elicere non valet homo absque supernaturalis gratiae auxilio, ut contra Pelagianos fuit definitum, finem a fortiori non poterit consequi istius gratiae adjutorio destitutus.

Insuper non posset homo naturae viribus Deum videre nisi in quantum ipse sibi esset causa illius visionis. non valet autem intellectus humanus sibi esse causam beatificae visionis nisi in se habeat objectum cognitum, vel aliud in quo eminentius contineatur: oportet enim quod intellectui cognoscenti aut videnti intime uniatur objectum cognitum vel visum. sublata siquidem intima hac unione, quae praesentiam objecti necessario requirit, nec cognitio aut visio intuitiva esse potest cum ergo non sit in potestate intellectus creati quod sit illi praesentialiter unitum objectum istud Beatificum, idque habere nequeat nisi ex pura liberalitate Dei, cujus possessio per intuitivam sui visionem erit justitiae Beatorum merces & praemium, quae merces, quodve praemium, etsi in ipsa Dei aequitate aliquo modo fundetur, erit nihilominus summa gratia beneficiumque vere gratuitum, ac ordinis totaliter supernaturalis, sibi ipsi non sufficit homo ad habendam cognitionem visivam naturae divinae, quae ipsi per naturae vires possibilis non est, ut optime docet Scotus in 4. dist. 49. quaest. 11. Unde alio in loco dicit, quod anima humana, (& idem dicendum censet de Angelo) ex perfectione sua naturali, etiam pro quocumque naturae statu, non potest attingere notitiam Dei propriam & immediatam, ex eo quod Deus sub propria ratione divinitatis, creato cuicumque intellectui praesens non est nisi ex gratuita liberalitate & propriae voluntatis beneplacito.

Rationem hanc Doctoris subtilis recte satis rem exponentis, insufficientem ostendere volens Tournely insufficienti utitur argumento, dum existimat Scotum velle quod totum illud quod intellectui creato deest ut possit naturae viribus Deum intuitive videre, se tenet ex parte objecti sese illi praesentialiter non exhibentis, non vero ex parte potentiae, quae ad visionem illam est expedita si ipsi intime praesentem se sisteret Deus. Neque enim ea est mens Doctoris subtilis, cum dicat naturam humanam non esse sufficienter activam ex puris naturalibus ad videndum Deum visione beata, id est intuitiva. esto quod non sit defectus virium in facultatem in quantum est facultas naturalis; sed deest aliquid ut vires suas exerceat, quod pariter non se tenet ex parte objecti, illud enim huic facultati praesens esse posset, & tamen ab illa non videretur, nisi interveniat illud tertium quod necessarium est absolute ut vires suas circa praesens objectum exerceat intellectus creatus: quod tertium, est supernaturale gratiae auxilium, seu lumen gloriae elevans animam ad Deum videndum: eodem fere modo quo homo oculos sanos habens, ad praesentiam objecti cujusdam materialis, sed in cubiculo tenebroso constitutus objectum illud minime videre potest, non ex defectu virium in faculta-

te,

te, non ex defectu objecti quod præsens supponitur. sed ex defectu auxilii absolute necessarii, luminis nempe, quo mediante vires suas exerceat circa objectum; quove deficiente facultas etsi aliunde expedita, non est sufficienter activa ad illud videndum, quamtumvis ipsi præsens esse possit. eo præcise tendit ratio Doctoris subtilis, quam si altius fuisset rimatus eruditus ille Sorbonista, illam vere ad propositum, plenamque ac sufficientem agnovisset indiget ergo intellectus creatus ad Deum intuitive videndum auxilio supernaturali, per quod illi possibile reddatur id ad quod naturæ vires sunt ex se ipsis insufficientes.

Verum quod per se ipsam non potest naturalis facultas, illud nihilominus exequitur supernaturalis gratiæ auxilio roborata, fitque per gratiam homini justo possibilis visio Dei intuitiva: unde dicitur apud Isaiam cap. 33. *qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia ..... iste in excelsis habitabit ..... Regem in decore suo videbunt oculi ejus, Deum scilicet* inquit Glossa, *in fulgore divinitatis, seu in ipsa deitate*. Psal. 35. dicit David, *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Quibus accedunt ea omnia Sacræ Scipturæ loca quæ in præcedentibus retulimus, ut sunt ea verba Christi Math. cap. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. & cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in Cælis est*. Joan. 14. *qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. 1. Corinth. cap. 13. *videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. 1. Epist. Joan. cap. 3. *cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. quæ omnia Scripturæ verba & alia multa iis similia semper intellexere Patres & concilia de intuitiva Dei visione, quæ in æterna beatitudine animabus justis in mercedem & virtutis præmium promittitur. quæ cum ita sint ut omnibus notum est, pauca ex illis afferemus.

Perspicuum est nullum umquam vitæ suæ tempore posse clare Deum comprehendere; qui autem sunt mundi corde Deum videbunt postquam extremam perfectionem. attigerint, inquit S. Clemens Alex. lib. 5. stromatum, in hæc verba, *nemo videbit faciem meam & vivet*. de Beatis loquens S. Gregorius Nazian. orat. 20. in Sanctum Basilium, ait, *Sanctam ac Beatam Trinitatem vident purius & perfectius*. S. Augustinus in hæc verba Psalmi 83. *ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* Sic loquitur. *ergo ab his virtutibus hujus actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, qua contemplemur Deum sicut scriptum est, mane adstabo tibi & contemplabor ..... finita omni necessitate mortalitatis sicuti est Deus apud Deum, verbum apud Patrem per quod facta sunt omnia, apparebit mundis corde, &c.* iis Augustini verbis addantur ea omnia quæ ex ipso quæstione præcedenti retulimus testimonia, quæve pro visionis intuitivæ possibilitate eo validius probant quo pro illius existentia fortius loquuntur.

S. Bernardus Serm. 4. in festo omnium Sanctorum, circa medium sic loquitur. *Tripliciter enim fratres, in æterna illa & perfecta Beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his* omni-

omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. in hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoscamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est; id est non modo sicut inest, nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso.

Sanctorum Patrum testimoniis accedit conciliorum auctoritas possibilitatem intuitivæ Dei visionis ejusque existentiam definientium. Sic Patres Concilii Francofordiensis in Epistola ad præsules Hispanos loquuntur; *prædicamus Christum verum Deum, ut ad ejus beatificam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo.* Sic Concilium Viennense, Concilium Florentinum in decreto unionis declarat animas justorum corporibus exutas clare intueri ipsum Deum Trinum & unum sicuti est. quod iisdem fere verbis in extravaganti Benedictus Deus dixerat Benedictus XII. & revera possibilis esse debet cum auxilio supernaturali illa visio quæ hominem in æternum beatum in cælis est redditurа; alioquin frustra in illa reponeretur suprema Beatitudo, hæcque in vanum nobis sæpe sæpius a Deo promitteretur. aliunde cur possibilis non esset intuitiva Dei visio quæ ex nulla parte repugnat? Deus vere est in se cognoscibilis: intellectus creatus sufficienti lumine gloriæ adjutus attingere potest quidquid est cognoscibile in ordine supernaturali, sicuti quodcumque cognoscibile ordinis naturalis valet attingere naturæ viribus; eadem enim est, proportione servata, pro utroque ratio. unde jure asseritur visionem Dei intuitivam, quæ vires naturæ superat, homini justo fieri possibilem cum gratiæ adjutorio. cum autem additur Beatos omnes per æterna sæcula Deum intuitive esse visuros, idque ab omnibus ut indubitatum esse tenendum juxta catholicæ fidei principia, quam verum sit inferius ostendemus.

SOLUTIO OBJETIONUM.

1. OBjectio. Deus in Scripturis Sanctis invisibili prædicatur, lucemque habitans inaccessibilem: a nemine umquam visus, imo nec possibilis videri. quomodo ergo hæc Sacrorum librorum momenta conciliari valent cum possibilitate futuræ illius intuitivæ visionis, ad quam non magis accedet intellectus creatus cum supernaturali auxilio quam solis naturæ viribus: absolute enim loquitur Scriptura. unde vel impossibilis est dicenda visio Dei intuitiva cum adjutorio quocumque, vel ut possibilis ex puris naturæ viribus est habenda.

Resp. Etsi cuncta Scripturæ loca quæ specie tenus intuitivæ visionis possibilitati, aut etiam existentiæ, de qua infra, adversantur, facillime possint cum ea ex iis quæ jam diximus conciliari, quomodo illa sint intelligenda, hic in globo & breviter ostendemus, ut quibuslibet objectionibus quæ fieri possent occurramus. vel Deus dicitur invisibilis simpliciter, lucem habitans inaccessibilem, & tunc id juxta litteram verum est, si de oculo corporeo quæstio moveatur. si de visione per intellectum, id pariter verum erit si de cognitione habenda ex viribus naturæ agatur. si autem supponatur mens crea-

creata gratia vel lumine gloriæ adjuta, id adhuc verum est si de visione comprehensiva intelligatur: si de intuitiva id non minus certum est, si de homine in vita præsenti & in via sermo habeatur. Neque enim oculo corporeo videndus est Deus, ut abunde satis ostendimus; nec ab intellectu creato cum solis naturæ viribus, aut etiam in præsenti sæculo cum auxilio supernaturali: nec etiam in patria modo comprehensivo, cum Deus solus semetipsum valeat comprehendere. vel dicitur quod Deum nemo vidit umquam, quod omnimode certum est de quibuslibet hominibus in hac vita degentibus: de illis vero jam in patria constitutis, non minus quam de Angelis, cunctisque spiritibus Beatis qui dicuntur ante thronum Dei assistere, id merito affirmatur relative ad comprehensivam hanc Dei cognitionem, juxta quam ad litteram sumi possunt hæc Christi verba Math. cap. *Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi filius*. relative autem ad visionem intuitivam id verum non est: hac enim frui Angelos, omnesque justorum animas quæ corporibus exutæ beatissimis illis spiritibus sociantur in cœlis, docet catholica fides ut mox disputabimus. quoquo modo sumantur diversa Scripturæ verba, juxta datam expositionem sunt respective intelligenda, & a Sanctis Patribus sic accipiuntur. Nec Angelos hac visione carere sequitur ex his verbis Petri Apostolorum principis, dum de Deo loquens Epist. 1. cap. 1. dicit, *in quem desiderant Angeli prospicere*. quæ verba licet litteraliter sumantur, & juxta vulgatam a multis exemplaribus latinis, a græcis, & syriaca versione discrepantem, intuitivam visionem non excludunt, sed illam supponendo significant Sanctos qui Deum beate possident novo semper amoris pondere in ipsum ferri, ita ut semper Deo pleni, a cujus possessione se nusquam esse defecturos certissime sciunt, ut diximus in tractatu de actibus humanis ubi de Beatitudine, semper sint avidi, novoque quolibet instanti, desiderio ardeant. unde eleganter de illis dicit S. Gregorius Magnus lib. 18. moral. cap. 18. *Ne in desiderio sit anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. & desiderant igitur sine labore; nam desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur*.

Frustra itaque fingitur Sacræ Scripturæ contraria hæc quam defendimus visionis Dei intuitivæ possibilitas intellectui creato ex ipsius Dei illum ad supernaturalem hunc actum elevantis auxilio, quin potius, cum testimoniis ex ea relatis & referendis, quantumvis absoluta supponantur, omnimode concordat. & nulla est illatio; impossibilis est visio intuitiva Dei creaturæ intellectuali solis naturæ viribus, ergo pariter ipsi est impossibilis ex Dei beneplacito illam ad hunc effectum sufficienter elevantis. quam vana & inconsequens sit hujusmodi argumentatio quis non videt? bimembrem assertionem ex Sacris Scripturis probavimus, ex quibus certo constat Deum per corporis oculum numquam fore videndum: nec intuitive fore cognoscendum per creaturam intellectualem ex puris naturæ viribus, neque a quocumque homine cum quocumque supernaturali adjutorio donec ex hac mortali vita decesserit; bene vero a quolibet justo hac vita functo sicut & a Beatis spiritibus mediandian-

diante lumine gloriæ, non tamen ab ullo cujuſcumque ſit meriti aut excellentiæ, Deum fore umquam comprehenſive cognoſcendum. Hæc quinque capita, quæ ſunt veluti ſumma eorum omnium quæ circa Dei viſionem aut jam diximus aut dicenda habemus, in Sacris Scripturis juxta Sanctorum Patrum expoſitionem fundata fatebitur quiſquis eas diligenti ſtudio perluſtraverit.

2. *Objectio*. Multos inter Sanctos Eccleſiæ Doctores reperire eſt, præſertim apud græcos qui, ſi ſcripta illorum accurate diſcutiantur, docuiſſe videntur intuitivam Dei viſionem nemini fuiſſe conceſſam, nec fore concedendam: imo nonnulli eam non eſſe poſſibilem ſentiunt. ſi autem viſionis iſtius poſſibilitas ex Scripturis Sacris, quarum lectioni ſedulo vacabant, legitime colligeretur, viros illos nominatos quos Eccleſiæ ſuæ dedit Deus ad populorum inſtructionem hæc non latuiſſet. unde cum hæc mundi Chriſtiani lumina huic intuitivæ Dei viſioni minime faveant, eam impoſſibilem reputare nihil vetat.

Reſp. Etſi plures e Sanctis Patribus, præcipue inter eos qui ante quartum Eccleſiæ ſæculum floruerunt, de viſione Dei intuitiva tacuiſſent, aut exacte minus, de ea fuiſſent locuti, nihil adverſus aſſertionem inde concluderetur. quid mirum enim ſi nemine inter Chriſtianos de illa ſiniſtre loquente, vel etiam adhuc fortaſſe cogitante, omnibuſque per illam Dei fruitionem Beatos vera ac perpetua felicitate in cœleſti patria gaudere credentibus, illi Sancti Dei homines nullum de ea ſermonem feciſſent, vel paulo negligentius dixiſſent? Hæreticis illam impugnaturis aut in malam partem detorturis nondum exortis, ſecurius loquebantur, & quomodo in Eccleſia credebatur, ita ſe intelligi arbitrabantur, ut in non diſſimili caſu dixit Auguſtinus. verum res non ſic ſe habuit Anomæis circa Dei viſionem longius quam par erat progredientibus, atque in præſenti vita de comprehenſiva Dei viſione gloriantibus, ut illorum veſaniam retunderent Sancti Doctores, illam viſionem impoſſibilem intellectui creato aſſeruerunt. verbis Sacræ Scripturæ quæ intuitivam viſionem qua juſti beantur ſignificant, abutentibus his Hæreticis ea de comprehenſiva interpretantibus, in partes oppoſitas, ut non raro in hujuſcemodi concertationibus evenit, ſpecie tenus accedentes Patres, omnem quaſi viſionem Dei cognoſcitivam e medio tollere viſi ſunt. Sed ita nihilominus prudenter ſe geſſere, ut illos hæreticos acriter impugnando, verba quædam protulerint quibus mentem ſuam aperientes, quibuſcumque legentibus & intelligentibus quæ narrabant, oſtendunt ſe viſionem dumtaxat comprehenſivam intellectui creato denegare, nedum in vita præſenti, pro qua ſuperbe certabant delirantes Anomæi, & quotquot illorum partes deinde amplexati ſunt, ſed etiam in ſæculo futuro cum videbimus Deum facie ad faciem, ipſius intuitiva, cognitione fruentes. idque adeo verum eſt, ut excludant cognitionem illam quæ propria eſt Deo, vel aliam quæ ipſi ſit æqualis, eumque comprehendant, ſic Athanaſius, vel potius auctor quæſtionum ad Antiochum, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Hieroſolymitanus aliique, negantes concedi ulli creaturæ plenam notitiam quæ infi-

infinitam naturam Dei capiat & complectatur. unde omnes Sancti Patres tam græci quam latini, si quid in eorum scriptis occurreret difficultatis, eodem modo sunt intelligendi quo jam diximus verba Sacræ Scripturæ esse intelligenda, cujus loquendi morem ac sensum ipsi sunt assecuti. illos autem visionem Dei intuitivam juxta scripturarum sensum animabus justis unanimiter concedere ostendemus suo loco, ex quibus gratis contra præsentem assertionem nobis opponi fiet manifestum.

3. *Objectio*. Sententia juxta quam intellectui creato possibilis est cum supernaturali adjutorio intuitiva Dei visio multa supponere videtur quæ vera non sunt. supponit enim quod esse possit intellectum creatum inter & Deum quædam proportio: quis vero dicet ullam esse proportionem inter objectum infinitum ut est Deus, & facultatem finitam ut est mens creata? supponit pariter mentem creatam actum supernaturalem elicere posse, cum objectum supernaturale ut Deus nequeat videri nisi modo vel actu supernaturali qui est contra naturam facultatis finitæ, quæ operari non potest nisi secundum modum vel ordinem ipsi connaturalem. præterea dato quod Deus attingi possit per facultatem finitam non magis repugnat illum attingi a creatura per cognitionem comprehensivam quam per intuitivam. impossibilis autem est cuicumque creaturæ, quantælibet sit excellentiæ vel sagacitatis, cognitio hæc comprehensiva frustra ergo intellectui creato cum auxilio supernaturali asseritur possibilis visio Dei intuitiva, quæ ipsi ex solis naturæ viribus impossibilis supponitur, eadem enim esse debet pro utroque ratio.

Resp. Huic argumento quod habent fere omnes Theologi vix est quod respondeamus, cum nihil sit in eo difficultatis, sitque potius cavillatio contemptibilis quam vera argumentatio. si enim semel statuatur quid per illam proportionem quam desiderat inter Deum & intellectum creatum ut ab isto ille possit intuitive videri, sit intelligendum, nihil habet præter verba. ut ab intellectu creato Deus cognosci queat ut est in se, juxta mensuram donationis Dei & capacitatem facultatis creatæ, satis est quod Deus ut cognoscibilis, attingi possit a creatura ut cognoscitiva est; siquidem est vera relatio, certusque ordo inter objectum cognitum & facultatem cognoscentem, modo objectum cognoscibile non sit extra sphœram potentiæ quæ in illud fertur, hæcque habeat omnia prærequisita ad objectum illud attingendum. si proportionis nomine in præsenti hypotesi intelligatur relatio illa quæ reperitur inter Deum intuitive visum & mentem creatam illum intuitive attingentem, quis dubitaret esse veram inter utrumque proportionem? Deus est vere in se cognoscibilis, licet talis non sit secundum id omne quod in se est nisi respectu sui ipsius: intellectus creatus est cognoscitivus, & vis ipsius se extendit ad id omne quod est cognoscibile. verum est quod Deus utpote infinitus & incomprehensibilis, superat captum cujuscumque facultatis creatæ; & inde est quod assertum sit, creaturæ cum solis naturæ viribus possibilem non esse intuitivam Dei visionem. sed Deo creaturæ infirmitatem adjuvante, illamque mediante lumine gloriæ ad statum supernatura-

lem

tur assertio ostendendum esset intellectum creatum etiam cum supernaturali adjutorio non posse ita elevari ut operari supernaturaliter possit, idque ipsius naturæ repugnare: id autem nemo cogitabit: neque enim per tale auxilium mutatur essentia facultatis naturalis; perfectionem quæ ipsi non est connaturalis, ex Dei gratia dumtaxat acquirit: & in hoc nulla est repugnantia. parum urget quod tandem addunt dicentes quod si Deus attingi possit per facultatem finitam, non magis repugnat cognitio comprehensiva quam intuitiva, & ex impossibilitate cognitionis seu visionis comprehensivæ inferendam censent impossibilitatem visionis intuitivæ. nullam esse paritatem prima fronte unusquisque advertit: objectum infinitum attingi potest modo finito. non potest vero comprehendi nisi per facultatem infinitam, ex eo quod facultas quæcumque objectum aliquod comprehendens debeat illud æquare aut superare. at ita non est de cognitione intuitiva quæ objectum totaliter & juxta omnem ipsius modum non attingit, nec ei adæquatur. unde falsum est eamdem esse rationem utriusque, & ex impossibilitate visionis comprehensivæ cuilibet creaturæ sequi quod impossibilis sit intuitiva visio creaturæ per auxilium supernaturale, quæ ipsi possibilis non est ex naturali ejus virtute.

Quod si opponatur Deum ideo ab intellectu creato posse cum auxilio supernaturali intuitive videri quia Deus videndus continetur intra fines objecti intellectus illius, cum intelligibile quodcumque sit mentis objectum: sicque cum auxilium supernaturale mentis essentiam non mutet sed ipsius capacitatem vel activitatem solummodo perficiat, Deum videndum non minus esse intra fines objecti mentis creatæ etiamsi auxilio supernaturali careat, unde possibilis pariter esse debet intuitiva illa visio intellectui creato cum sola naturali ipsius virtute: dicemus veram non esse hanc illationem. disparitatis autem ratio hæc est, quod etsi Deus ut cognoscibilis contineatur intra amplitudinem objecti intellectus qui naturaliter fertur in quodlibet intelligibile, deficiente auxilio supernaturali intellectus non habet omnia prærequisita ad objectum suum attingendum, ut jam supra dictum est. Deus cum sit objectum supernaturale duplici modo potest cognosci, abstractive scilicet & intuitive; juxta hunc duplicem modum in Deum mens ferri potest, naturaliter & supernaturaliter. naturalis modus respondet cognitioni abstractivæ, quæ est ex aliena specie, intellectu ex operum Dei contemplatione ad ipsum Deum assurgente: supernaturalis vero respondet cognitioni intuitivæ qua Deus ut in se est, plene cognoscitur. quo posito discrimen quod intercedit inter utrumque intellectum repetitur ex prærequisitis ad illud cognoscibile attingendum, quibus unus caret, alter vero ditescit, & ratione quorum objectum superat captum unius & non alterius, licet intra fines objecti utriusque mentis illud nihilominus remaneat. sicuti in rebus physicis & naturalibus, pro ut stare potest in præsenti casu comparatio, ex duobus hominibus in eadem distantia respectu alicujus objecti constitutis, sed diversæ existentibus staturæ, unus objectum illud perspiciet, quod, etsi oculo sano, minime attinget alter qui inferioris est altitudinis, cui deest aliquid ex prære-

quisitis ut illud cernere valeat, cum omnia habeat prærequisita ille a quo statura vincitur.

QUÆSTIO QUARTA.

Quænam fuerit mens Sancti Joannis Chrysostomi & Theodoreti circa possibilitatem visionis Dei intuitivæ, quæve de illa utriusque doctrina.

NOnnullos a Sanctis patribus tum græcis tum latinis, quorum verba vel duriora vel difficiliora in quibusdam locis, in bonam partem interpretantur omnes Theologi, de possibilitate intuitivæ visionis non catholice satis fuisse locutos censuit Vasquez sinistre de illis judicans, Anomæos ex opposito, de quorum errore hac in parte apud omnes constat, excusare tentans. Joannem Chrysostomum, cui adjungit Theodoretum, Basilium, Alexandrinum Hierosolymitanumque Cyrillum, Gregorium Nyssenum; Hieronymum, Primasium & Isidorum: vult docuisse, ne cum Anomæis sentiret qui se propria virtute Deum comprehendere jactitabant, ab Angelis vel hominibus non posse Deum intuitive videri. quo præcipiti falsoque judicio, ut mitius agam, illud voluerit Vasquez haud facile intelligitur. quis ipsum non irrideat dicentem in 1. part. S. Thomæ disp. 36. cap. 4 dum de prælaudatis Sanctis Doctoribus loquitur, *Hos Patres, si sincere loqui velimus, vix possumus in bonum sensum interpretari:* cum jam dixisset cap. 3. agens de Anomæis, *quod non satis constat docuisse Deum a Beatis ita perfecte videri, ut ab eis comprehendatur*. O virum inauditæ Charitatis plenum! qui delirantes hæreticos ab errore, cujus pluribus ab hinc sæculis a doctis quibuslibet arguuntur, liberare desiderans, clariores Ecclesiæ Doctores, a quibus impugnati devictique fuere, erroris oppositi, contra tot sæculorum fidem, nullo sufficienti fretus argumento, insimulare non veretur. absit a nobis ut patienter id feramus, & hominibus doctrina, virtute, religionis Zelo clarissimis hæc nota injuste adeo inuratur. verum cum omnium illorum sigillatim causam agere per tempus non liceat, & aliunde ipsos pro existentia visionis intuitivæ pugnantes simus audituri, de Sancto Chrysostomo ejusque discipulo Theodoreto Cyrano Episcopo, quos præ aliis accusat, quæstionem movebimus: ut sufficienter explicata utriusque sententia omnibus innotescat quam parvi faciendum sit in hac parte judicium illius Theologi, qui licet inter celebriores annumerandus, a veri tramite aliquando deflectit.

AS-

ASSERTIO PRIMA.

Intellectui creato cum supernaturali auxilio possibilem esse visionem Dei intuitivam constanter tenuisse Joannem Chrysostomum nemini negare licitum est.

MUltiplici argumento ad fundandam præsentis assertionis veritatem opus non est. Sanctum Doctorem quisquis audierit nobis non consentire non poterit. quid enim aliud quam intuitivam Dei visionem significant hæc ipsius verba in oratione de Beato Philogonio? *etenim ubi dixisset* (Paulus) *ad innumerabilium Angelorum frequentiam, subjecit, & ad judicem universorum Deum: quis umquam vidit in panegirim prodeuntem Regem? Hic quidem nemo vidit, illic autem qui adsunt perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum.* ecquis bona fide ductus in diversum sensum poterit detorquere ea quæ scribit præsul Constantinopolitanus in parænesi priori ad Theodorum lapsum, seu Epistola quinta, ubi de Transfiguratione Domini super montem Thabor agens in hæc verba principis Apostolorum *Bonum est nos hic esse*, ita loquitur. *audi quid Petrus dicit, bonum est nos hic esse. si Petrus qui vidit obscuram quamdam imaginem futurorum, omnia continuo rejecit ab animo propter voluntatem inditam animæ a tali aspectu, quid dicemus quando rerum veritas aderit, quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum regem, non per ænigma nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem?* quid adhuc desiderandum superest ut astruatur visio Dei intuitiva? audiatur iterum Sanctus Doctor, tum hom. 3. in epist. ad Philipp. dicens, *justi vero sive hic, sive in futuro sæculo fuerint, cum rege sunt: illic tamen magis & propius, non per accessum ac fidem, sed facie ad faciem.* Tum homil. 34. in epist. 1. ad corint. sic exponens hæc Apostoli verba, *tunc cognoscam sicut & cognitus sum: tunc ipsum apprehendemus & sciemus multa ex iis quæ nunc sunt arcana, & beatissima illa fruemur consuetudine & sapientia. si enim qui tam multa novit Paulus, est infans & parvulus, cogita quanta sint illa. si hæc sunt speculum & ænigma, hinc mihi rursus considera quanta sit facies.* Tum in psal. 41. ad hæc Davidis verba, *quando veniam & apparebo ante faciem Dei*, sic exclamans: *vide ardentem & inflammatum hominem. sciens enim, quia cum hinc recesserit, Deum esset visurus, ne dilationem quidem expectat.* ubi erat Vasquez quando hæc cuncta legebat? quæ si non legerit, ut quid de ignotis judicium ferre præsumit? sed fortasse quæ ex Chrysostomo possunt opponi altius loquuntur adversus visionem intuitivam iis quæ laudata sunt: audiamus ergo.

Opponunt enim Sanctum Doctorem homil. 1. de incomprehensibili Dei natura docentem nullam esse creaturam quæ Deum noverit. quibus similia sunt ea quæ habet hom. 3. affirmans quod nulla sit creatura quæ Deum cernere valeat. unde demonstrat hom. 4. nec principatus nec potestates no-

 visse

visse Dei substantiam. quod pariter dicit hom. 14. in cap. 1. Evang. Joan. scribens nec Angelos, nec Archangelos nec Cherubim, nec Seraphim, nec Virtutes, nec Prophetas vidisse quod est Deus. siccine, inquiunt, locutus fuisset si possibilem intellectui creato existimasset intuitivam hanc Dei visionem?

Resp. quam parum Chrysostomi mentem fuerint assecuti qui talia opponunt vel ipsi etiam facile intelligerent quos in hac parte habemus adversarios, si ipsius scripta sæpius aut accuratius perlustrantes, videre & comprehendere apud ipsum duo fere semper esse synonyma idem proinde significantia advertissent: quod si attento animo, ut æquitatis erat, considerassent, erroris notam Sancto Doctori pro veritate adversus hæreticos valide decertanti, non leviter adeo objecissent, quin potius, ipsum Anomæorum de comprehensiva Dei cognitione superbientium deliria nervose refellentem intuentes, victoriam ipsi fuissent gratulati. Hos autem eo magis esse culpandos Sanctum Doctorem causæ catholicæ imprudenter eripientes, quo se hallucinari circa illius sententiam poterant facilius deprehendere, levi negotio ostendemus, hunc homiliis illis quæ opponuntur iis omnibus quorum fit mentio, visionem comprehensivam dumtaxat, minime vero intuitivam denegare, invicte manifestantes.

Ac primo quidem homilia 1. Deum incomprehensibilem prædicans omni creaturæ a qua exinde removet plenam & perfectam Dei cognitionem seu visionem, Anomæis adversus quos scribit, exprobrat contemptum esse in hominibus in hac vita degentibus quod velint plene cognoscere quod sic agnoscere nec Angelis datum est. unde hæc loquitur. " Angeli glorificant, honorant, colunt, observant, adorant homines, parvi faciunt, petulanter scrutantur, temere plusquam capere possunt, conantur capere. illi commendant & laudant, hi disceptant, & plus sibi arrogant, quam valeant intelligere. illi oculos integunt & venerantur; hi contendunt impudenter inspicere, atque intueri ineffabilem gloriam. quem non hominum eorum misereatur? quis non lugeat cum adeo errantes, insanientesque videat?.. Nunc vero quoniam Dei immortalis gratia ipsi me adhortentur & cogant adire hunc pulverem, subeo jam pro incomprehensibili Deo certamen & arma suscipio. " pugnabat ergo eo loci Constantinopolitanus Joannes pro incomprehensibili Dei natura adversus insanientes hæreticos qui illam cognitione comprehensiva inspicere petulanter contendebant. nulla expositione opus est auditis Sancti Doctoris verbis. eamdem esse ipsius mentem, illumque nihil aliud velle quam audaciam retundere eorum qui dicebant se vere nosse Dei substantiam 2o. declarant ea quæ habet homilia 3. " invocemus itaque, inquit, ipsum ineffabilem, invisibilem, incomprehensibilem, inintelligibilem Deum, qui omnem linguæ humanæ superat facultatem, qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit: quem neque Angeli investigare, non Archangeli indagare, non virtutes, non denique aliqua creatura cernere valet; sed Filius dumtaxat cognoscit & Spiritus... sed licet Angelis sit accessibilis, quid hoc ad te hominem qui examinas & contendis, " & com-

„ & comprehensibilem esse naturæ humanæ divinam illam substantiam judicas? verum ut non hominibus solum, sed etiam virtutibus Superis incomprehensibilem esse intelligas, audi quid Isaias dicat... *vidi Dominum sedentem... Seraphim stabant circa eum... sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus „ velabant facies suas*... dic quæso, quamobrem alas prætendunt?... quid „ aliud dixeris causæ,... quam quod splendorem procursantem e solio illo „ & fulgur prosiliens ferre nequeant? „ multis deinde interpositis quæ aperte ostendunt Chrysostomum ad confutandos Anomæos perpetuo loqui quibus probare intendit nulli creaturæ etiam Angelicæ possibilem esse quoquo modo intelligatur, comprehensivam cognitionem Dei qui sibi ipsi soli comprehensibilis est, ne in sensum oppositum valeant detorqueri quæ dixerat, sic concludit; " quod si virtutes tam expletæ scientiæ compotes ne condescensum „ quidem Dei valeant tolerare: quantæ sit amentiæ facinus, quæso, homi- „ nes in quibus particularis quædam inest scientia, Paulo auctore, qui ex „ parte cognoscimus, inquit, & per speculum & ænigma; ea sibi perspicua „ exploratamque haberi putare, quæ ne illis quidem virtutibus patere liceat? „ statueram quidem non modo Cherubim ac Seraphim, verum etiam prin- „ cipatibus, potestatibus, & omni virtuti creatæ Deum esse incomprehensibi- „ lem explicare: sed animum fessum jam sentio vestrum, &c. "

A suo proposito minime recedens Sanctus Doctor, non ambigue mentem suam 3. aperit homilia 4. sic loquens. " ad debitum illud solvendum ve- „ niamus, hoc est ad demonstrandum nec principatus, nec potestates no- „ visse Dei substantiam... quid ais Joannes? *Deum nullus umquam vi- „ dit?* ergo minime Prophetis credemus qui sese vidisse inquiunt. Isaias „ enim, *vidi Dominum*, inquit,... Michæas, vidi Dominum Deum Israel. „ alius rursus Propheta, (Amos) vidi Dominum stantem super altare... „ Denique multa hujusmodi testimonia possunt colligi. quæ cum ita sint, „ quamobrem Joannes negat quemquam ita esse qui Deum viderit? Nul- „ lum vidisse Deum Joannes inquit, ut exquisitam illam comprehensione „ & expressam cognitionem in nullo contigisse intelligas... quapropter quo- „ ties Deum nullum umquam vidisse audis, illud intellige, nullum esse qui „ Deum noverit, qui Deum cognoverit, qui Dei substantiam exquisita ra- „ tione perceperit... sed jam Deum incomprehensibilem esse omnium crea- „ turarum generi, late ex his quæ proposuimus patet. Restat ut a Filio & „ Spiritu Sancto dumtaxat exquisite illum cognosci disseramus. „ eodem tandem sensu loquitur exponens illa eadem verba Joannis homilia 14. in cap. 1. Evangelii ipsius, laudatis his Christi verbis; *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*: sic prosequitur; " quid ergo faciem „ Deus habet & cœlo circumscribitur? sed nemo ea agitetur insania ut „ hæc dixerit. quænam ergo ea sententia, quæ & in illo loco: Beati mun- „ do corde, quoniam ipsi Deum videbunt. cogitationem namque atque ima- „ ginationem quam pro viribus nostris de Deo capimus, eam visionem ap- „ pellat... nemo, inquit, cognoscit patrem nisi Filius. quid inquam, num „ omnes in ignorantia vivimus? absit: sed nemo ita cognoscit Patrem ut „ Fi-

„ filius. ut igitur multi, quisque pro captu suo ipsum viderunt. substantiam „ autem nemo vidit: sic multi Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus unigenitus ejus, qui certam notionem, „ visumque & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere „ par est."

Audivit ne Vasquez loquentem Chrysostomum, cognitionemque Dei comprehensivam quæ soli Deo competit disertis verbis sæpius commemorantem, & illam ab alia visione, intuitiva nimirum, quæ Angelis & hominibus qui mundo sunt corde communis est, accurate distinguentem? ergone ipse audiendus dum, qua sorte nescio, dicit falso a Theologis supponi hunc Sanctum Episcopum visionem dumtaxat comprehensivam creaturæ intellectuali denegandam voluisse, hancque locis laudatis contra Archiuæos totis viribus impugnasse? ut absurdum illud excogitaret qua motus fuerit ratione, vel quo nitatur fundamento commentitia ejus sententia, etiam ipsi dicenti vix fides adhibetur: quia probabile non est, inquit, ita desipuisse Anomæos ut crederent Deum ab intellectu creato posse comprehendi. probabilius ergo est desipuisse Chrysostomum adversus illos Dei incomprehensibilitatem ex professo defendentem quinque in illis homiliis dedita opera ad illud catholicæ fidei caput tuendum scriptis, & in quibus comprehensionis & incomprehensibilitatis voces continuo leguntur? probabilius ergo Epiphanium hæresi 76. Basilium epist. 168. Cyrillum Alexand. lib. 11. Thesauri, Socratem lib. 4. Theodoretum hæreticarum fabularum lib. 4. Hieronymum in cap. 11. Mathæi, plurésque alios delirasse præfatum errorem Anomæis tribuentes, huncque adversus illos fortiter impugnantes? probabilius ergo venerandam antiquitatem, cui duodecim ab hinc sæculis omnes veteres ac moderni rerum ecclesiasticarum & Theologicarum tractatores accessere, similiter desipuisse, huicque dumtaxat recenti Theologo Anomæorum placita, sæculo proxime elapso innotuisse? Non illud probabilius, sed prorsus improbabile; imo & narrare inconsiderantissimæ temeritatis fuit. probabilius fortasse ipsum Sanctorum Patrum lectioni parcius vacasse. verum quidquid de illo sit ad Sancti Chrysostomi doctrinam redeamus.

Opponunt iterum, Chrysostomum ita diserte statuentem nedum prophetas, sed neque Angelos, nec Archangelos Deum videre, ut dicat quod si eos percontemur nihil ab iis de substantia Dei audiemus, sed tantum referentes gloria in altissimis Deo, ut habet in cap. 1. Joan. hom. 14. si autem Deum Angeli viderent, aliquid de illo proferre possent. Hinc est quod hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, dicat Seraphim sinceram Dei ipsam substantiam non intueri, sed illud quod videbant, esse quamdam Dei se demittentis accommodationem, seu condescensum & indulgentiam. unde sequitur, inquiunt, ipsos Deum intuitive non videre: quod ita verum est ut propheta eamdem demissionem Dei & accommodationem aspiceret, quapropter eadem intuitiva Dei visio ipsi esset concedenda quæ Angelis concessa supponeretur, cum de illis & propheta eadem scribat Sanctus Doctor. Cum ergo Deum in terris degens intuitive videre non potuerit propheta, etsi dicat vidi

Domi-

Dominum, nec illum intuitive ab Angelis videri juxta Chrysostomi doctrinam est concedendum.

Resp. Licet ex iis quæ jam retulimus facile intelligatur quo sensu loquatur Sanctus Episcopus semper sibi constans, ad pleniorem nihilominus difficultatis, si quædam supersit, solutionem, dicendum nihil contra visionem Dei intuitivam, qua in cœlis gaudent animæ justorum, non secus quam Angeli, omnesque beatorum spirituum ordines, posse concludi ex eo quod de Deo interrogati nihil de illius substantia narrarent; ineffabilia enim sunt & inenarrabilia prorsus quæ vident electi in æterna beatitudine, Deo per intuitivam cognitionem fruentes; unde ad illa eloquenda impares sunt, sicut & nos mortales ad hæc audienda; non minus quam Moyses, quando, ipsum alloquente Domino, scire cupiebat quid esset, quodve nomen ejus ut Filius Israel nuntiaret, quique aliud scire non potuit præter id unum. Ego sum qui sum: quapropter gloria in altissimis Deo referre tantum valent, quem laudantes voce incessabili alter ad alterum perpetuo clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Nihil ergo quod plenam Dei cognitionem, quæ creatæ mentis superat captum, nobis conferat possumus audire ab Angelis, qui nec ipsi Deum perfecte cognoscunt, ut sæpius diximus cum Chrysostomo, qui incomprehensibilem Deum, ut par erat, affirmans, quamcumque comprehensivam notionem seu visionem illius ab omni intellectu creato removet; ut illa spiritibus cœlestibus non concessa, argumentetur a fortiori contra Anomæos, qui stulte simul & impie gloriabantur in terris illa plena & perfecta Dei visione, qua nec in cœlis donantur Angeli. ad scopum Sancti Doctoris semper est attendendum, nec minimum a proposito recedentis; & relative ad illud intelligenda sunt quæcumque scribit ordinem dicentia ad visibilitatem Dei vel ejus invisibilitatem respectu spirituum cœlestium cunctorumque electorum in patria, qui Deum nusquam comprehensuri hunc intuitive vident. unde hom. 6. ex variis in Mathæum locis, exponens hæc Christi verba jam sæpius relata, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; subjungit: *nihil enim ad videndum Deum tam necessarium est quam hæc virtus: quapropter & Paulus dicebat, pacem sectamini cum omnibus & Sanctificationem sine qua nemo videbit Deum.* quæ si conferantur cum aliis quæ ex illo allegavimus, nulli dubium esse potest Chrysostomum nusquam Beatis denegasse cognitionem Dei intuitivam, bene vero comprehensivam quibuscumque.

Nec aliquamulum urget quod inferre volunt adversarii ex illa homilia tertia quam opponunt. ex iis enim quæ in ea scribuntur id unum sequitur, nempe Angelos non videre Deum plene ut est in se, cum perfectam aut comprehensivam cognitionem vires eorum excedentem ferre non possint eas propter eorum capacitati se accommodat Deus, sicut sese accommodabat capacitati prophetarum, quibus quando volebat, & eo modo quo volebat, se manifestabat, pro ut ipsi super terram degentes ferre poterant. Hanc autem esse mentem Chrysostomi ostendunt hæc ipsius verba: „ quid nomen hoc con„ descensus significat? cum Deus non ut est se ostendit, sed quoad videre „ is

„ is poteſt qui aſpectum hujuſmodi meruit, eatenus firmitate videntis ſuum „ repræſentationem metitur ac temperat, condeſcendere illum tantiſper dicimus, & ejuſmodi rem condeſcenſum nominamus & indulgentiam. conſtat & illa condeſcenſum fuiſſe verbis ipſius prophetæ, vidi Dominum, inquit, ... Sed quanto illæ exercitiores, puriores, ſapientiores & perſpicaciores ſunt natura humana, tanto perfectius norunt & melius. " quibus auditis liquet quam immerito velint eamdem ex Chryſoſtomo demiſſionem Dei & accommodationem aſpexiſſe prophetam in terris, quam Angeli intuentur in cœlis, proindeque utriſque eamdem eſſe concedendam Dei viſionem, quæ certe non eſt intuitiva, cum e contra dicat eam obſcurius illis virtutibus cœleſtibus prophetam aſpexiſſe, quod diverſum videndi modum ſufficienter ſignificat: niſi ſupponeretur unicam eſſe in Deo pro omnibus demiſſionem vel accommodationem & in cunctis æqualem, ex qua oriretur æqualitas cognitionis, quod temere nimis diceretur, & a ſententia Sancti Doctoris prorſus eſt alienum.

Nec quemquam moveat quod de viſione intuitiva loquens Chryſoſtomus nuſquam dicat ſubſtantiam Dei videri, ſed potius affirmet illam nec a cœleſtibus ſpiritibus nec a prophetis viſam fuiſſe. ſic enim ex induſtria ſe geſſit, ſicut & alii Patres illius ævi, ut longius recederent ab Anomæis, quorum errorem convellebant, quique, hoc loquendi modo, hæreticis quos inſectabantur, ne abutendi occaſionem præberent, ab illo diligenter abſtinuere, veluti per viſionem ſubſtantiæ Dei intellexiſſent dumtaxat cognitionem comprehenſivam, ut Anomæis moris erat, illamque juxta hunc ſenſum uſurpaſſe videtur Sanctus Chryſoſtomus, dum, ut adverſarios urgeat, nec Angelos ſinceram Dei ſubſtantiam, ex cujus viſione plenam ac perfectam de Deo notionem, quæ ad illos non pertinet; habuiſſent, vidiſſe affirmat. præterquam quod ſi durius aliquid ſcripſiſſe, aut in dicendo modum exceſſiſſe videretur, (quod non concederem, exiſtimans in rigore eſſe accipienda cuncta quæ locutus eſt adverſus Anomæos Sanctus Doctor, modo ipſius principiis ſtemus oratorio ejus ſtylo minime deluſi,) id per loca faciliora, quæ innumera ſunt, oportet interpretari. quo poſito videre totum Deum, vel id quod Deus eſt, aut ſinceram ejus ſubſtantiam, eſſe juxta Chryſoſtomum plenam ac perfectam de Deo habere cognitionem, illamque comprehendere haud difficulter intelligitur. & in hoc hallucinantes permulti, falſo arbitrantes a Beatis viſione intuitiva fruentibus videri totum Deum, id omne quod Deus eſt, totamque naturam divinam, cum juxta uniuſcujuſque capacitatem dumtaxat & pro merito ſuo, ac juxta menſuram donationis ipſius Dei, illum cognoſcant & videant, in exponendis Chryſoſtomi, & aliorum Patrum teſtimoniis valde & fruſtra laborant, multum difficultatis & obſcuritatis invenientes ubi maxima aliunde refulget ſimplicitas, ut in præſenti caſu evenit. His ſic obſervatis, abſque ullo labore ſolventur quæcumque adhuc ex Chryſoſtomo poſſent opponi. in quibuſcumque patrum cum hæreticis concertationibus ſemper eſt attendendum ad reſpectiva utrorumque principia, juxta quæ utriuſque partis argumenta ſemper ſunt intelligenda: alioquin in rebus etiam levioris mo-

momenti, (si quid hujusmodi reperire sit ubi de fide catholica agitur,) ob hæreticorum sophismata & cavillationes, interminabiles fierent controversiæ.

Hæc data verborum Chrysostomi præcedenti expositione, quam vere esse juxta illius mentem concedet quisquis ea quæ diximus attento animo perpenderit, non est quod opponantur hæc alia ex eadem homilia 14. in 1. cap. Joan. „ cum dixisset Paulus manifestatum esse in carne, (de Filio seu verbo loquitur,) subdidit, visum ab Angelis. ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis: antea vero non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset (Dei) substantia. " ex quibus concludendum censent nonnulli illum de visione intuitiva esse intelligendum, cum neque ab incarnatione Verbi Deum videre comprehensive Angeli potuerint, cum econtra, si a mente Sancti Doctoris totaliter non recederent, ipsis esset cum illo concludendum hinc manifestum fieri Angelos comprehensiva Dei cognitione non gaudere, quia priusquam Verbum caro factum est decretam fuisse in Sanctissimæ Trinitatis æterno Consilio Verbi incarnationem, cujus Mysterii Decretum sicut & alia divinitatis consilia ipsis innotuisset si sinceram Dei substantiam, ipsumve totum quod Deus est viderent, hoc est, si Deum comprehensive cognoscerent, cum ex cognitione comprehensiva sequatur necessario, & cognitio eorum omnium quæ in se continet quocumque modo objectum illud quod comprehensive cognoscitur. unde ex decreto Incarnationis, quod Angelos latuit donec fuerit executioni mandatum, invicte in Anomæos contra visionem comprehensivam in Angelis argumentatur Chrysostomus, cujus relata verba, quæ multos torquent theologos ea interpretantes de Deo ab Angelis, hoc peracto mysterio, comprehensive cognito non in propria natura sed in aliena, humana scilicet, quod prorsus ineptum est, essent omni sensu vacua; quæ relative ad mentem & intentum Sancti Doctoris, sensu pleno ac Chrysostomi digno sunt referta. Sed jam satis sit de constantinopolitano Joanne, circa cujus doctrinam de possibilitate visionis Dei intuitivæ quam constanter tenuit nulli dubium rationabiliter remanere potest.

ASSERTIO SECUNDA.

A communi Sanctorum Patrum doctrina minime recedens Theodoretus possibilitatem visionis comprehensivæ solummodo impugnavit, intuitivæ Dei visionis nedum possibilitatem, sed & existentiam, constanter tenens.

CUm una Chrysostomi ac Theodoreti fidissimi illius discipuli eademque sit causa, ab omni suspicione liberato Constantinopolitano Joanne, ab illa facili negotio liberabitur Cyranus Episcopus; eadem enim momenta pro utroque pugnant, cum adversus eosdem hæreticos, Anomæos nempe uterque habuerit disceptandum. Theodoretum autem comprehensivam dumtaxat impugnasse visionem legitime infertur ex ipsius verbis in illa disputatione percelebri adversus Eutychianos, in qua Orthodoxi partes agens cum Eutychiano

no Eranifte, quærenti Eutychiano, dialogo 1. quomodo intelligatur quod Angeli eorum semper vident faciem Patris vestri, respondet, „ ipsos non „ divinam naturam videre, sed visiones quasdam ipsorum captui accommoda- „ tus, " ut jam de prophetis ac Patriarchis veteris Testamenti qui Deum referuntur vidisse dixerunt. „ Sic ergo inquit, de Angelis intelligamus .... „ non enim vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec com- „ prehendi, nec mente percipi potest, & quæ universa comprehendit: sed „ speciem quamdam ipsorum naturæ accommodatam. " quid autem sit videre substantiam Dei in mente Theodoreti intelligitur ex iis quæ mox diximus agentes de Sancto Chrysostomo eadem loquente: Theodoretum vero esse intelligendum de comprehensiva tantum visione quam inadmissibilem merito judicat, certum indicium est ratio quam reddit suæ sententiæ superbiam Anomæorum retundentis. & juxta eumdem sensum loquitur in 1. ad Timoth. cap. 6. ad hæc Apostoli verba, *lucem enim inhabitat inaccessibilem*. „ Hoc, „ inquit, Deo non convenit: habet enim naturam quæ nequit circumscri- „ bi. Si autem habitat lucem, ab ea circumscribitur. verum enim vero lau- „ dat ut potest, & quoad potest pervenire respicit. si autem ad lucem, quæ „ est circa ipsum, accedi non potest, quomodo potest ipse conspici? " ab iis omnibus vult abstinendum Theodoretus quæ immensitati Dei ejusque incomprehensibilitati sunt contraria, ne hæreticis favere videatur, aut eorum quæ loquitur abutendi occasionem subtrahat.

At possibilitatem nec non existentiam intuitivæ Dei visionis Theodoretum constanter tenuisse testantur vel potius evidenter ostendunt ea quæ scribit. Tum in cap. 2. epist. ad Ephes. super illa Apostoli verba, *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ*. „ Nunc enim, inquit, bo- „ norum quæ sperantur magnitudo est quidem ignota omnino fidelibus, fi- „ deles autem vident tamquam in speculo & ænigmate: per fidem enim am- „ bulant & non per speciem, tunc autem videbunt facie ad faciem; tunc „ fideles & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam ab omni creatu- „ ra adoratam, & Sanctos una regnantes. " Tum in vita Sancti Eusebii, „ de illo scribens: ad cursus metam pervenit, & Agonothetam cernens, qui „ remunerationum magnificentia labores superat. Ego vero visione illa frui „ cupio. " Tum in vita Jacobi Anachoretæ, singularem ejus in Martyrum reliquias venerationem commendans hoc modo. „ Reliquias Martyrum un- „ dique comparare sibi studuit, cum Sanctorum populo habitare cupiens, & „ cum eis resurgere, Deique contuitu potiri. " fortasse deerant varia hæc Theodoreti momenta iis in exemplaribus quibus ad mentem ipsius cognoscendam utebatur Vasquez: illa enim visionem Dei intuitivam, quæ in cœlesti patria gaudent beati, clare adeo demonstrat, ut etiam celerius legentes fugere nequeant: ænigmatica siquidem Dei cognitio, quam in præsenti sæculo per fidem ambulantes de illo habemus, accurate distinguitur ab illa qua in futuro donabimur Deum facie ad faciem contuentes. hæc autem visio quæ est facie ad faciem fidelibus justis cunctisque cælicolis reservata; non ea est qua naturam humanam divinæ naturæ in Christo hypostatice unitam visuri sunt

sunt etiam infideles, sed illa qua soli electi divinitatem intuitive conspicient, quibus dabitur ipsum Deum distincte cognoscere eo modo quo videndus est Deus, sicut infideles in die judicii distincte ac facie ad faciem videbunt naturam humanam quam pro reparatione generis humani verbum caro factum assumpsit. Naturam autem humanam in primo laudato textu commemorat Theodoretus propter Eutychianos unicam in Christo naturam, divinam videlicet admittentes, & in eo humanam superstitem fuisse negantes: hos ut refellat Cyranus Episcopus, asserit etiam infideles visuros naturam illam humanam in Christi persona adoratam quæ certe in ipso non posset ab omni creatura adorari si in ipso non esset.

Quod ut rectius intelligatur, & de Theodoreti mente ac doctrina in præsenti controversia æquius feratur judicium, in memoriam semper est revocandum duos diversos errores in Syria ubi ille erat Episcopus, tunc temporis viguisse; unum Anomæorum de comprehensiva Dei cognitione superbientium, alterum Eutychianorum naturas in Christo confundentium, solamve divinam, a qua veluti fuisset absorpta humana post incarnationem Verbi, in ipso confitentium. utriusque istius erroris defensores, quoties datur occasio, impugnat Theodoretus, aut separatim, aut conjunctim juxta rei exigentiam, contra utrosque visionem divinæ naturæ videtur abjudicare. adversus Anomæos, ne si visibilem assereret Dei substantiam, ex illo pro comprehensiva visione & cognitone quam defendebant isti concluderent. adversus Eutychianos, ne si naturam divinam videri ab Angelis & hominibus in cœlo prædicaret, illam esse quæ in Christo ab incarnationis tempore, minime vero humanam qua illum spoliabant, tum in terris, tum in cœlis videbatur, ii fidentius affirmarent. hac ductus ratione Theodoretus veluti inter duos Scopulos incedens, media prudenter progreditur via, tutumque peragit iter, substantiam Dei invisibilem simpliciter annuntians, tali modo ut contra utrumque errorem fortiter argumentetur, eumque nec Anomæi, nec Eutychiani in sua possint trahere partes, unde facilis est responsio quibuscumque testimoniis ex ipso desumptis quæ Dei substantiam invisibilem declarant. est enim cunctis invisibilis, si filius homo factus excipiatur, cuilibet intellectui in sensu Anomæorum comprehensivo: cuilibet per corporis oculos in sensu Eutychianorum existimantium illam esse Dei naturam quæ oculis intuentium in Christo offerebatur, quæ utraque responsio menti Theodoreti omnimode consona, nullatenus pugnat cum intuitiva ejusdem Dei visione in sensu catholico, quam ubique supponit, multisque in locis aperte significat, ut manifestant hæc ipsius verba quæ supra retulimus. unde non est quod singillatim respondeamus iis quæ ab adversariis opponi possent, quæque mox notatis, aut jam expositis in causa Sancti Chrysostomi nihil habent virium, ideoque ex illis invalide argueretur.

Id unum nobis superest observandum circa celebrem, de qua diximus, inter Catholicum & Eutychianum dissertationem, ne quid necessarium ac scitu dignum omisisse videamur, distinguendum scilicet esse dialogi initium ab iis quæ postea adjiciuntur. licet enim contra Eutychianos directe instituatur,

tur, & cum iis dumtaxat initio Theodoretus agat, ipsis ostendens hominem Christum in terris fuisse visum & cum hominibus conversatum, ut per Baruch fuerat prænuntiatum, divinitatem vero minime fuisse visam quamvis fuisset visus homo Deus: & ex eo quod fuisset visus eodem modo quo homines sese mutuo vident, colligat in Christo fuisse corpus, humanamque exinde naturam, sub cujus forma ab incarnationis tempore ab Angelis visus est in carne, ut loquitur Apostolus: attamen ubi de visione divinæ substantiæ res est, ut optime observant plures Theologi, Theodoretus adjuncto sibi Eutychiano sub nomine Eranistes, & communicatis cum eo viribus, Anomæos obiter quidem, sed valide ac directe impugnat, iis locis scripturarum quæ Deum fuisse visum narrant, & quibus abutentes Anomæi pro comprehensiva Dei visione ex illis argumentabantur, opponens illa earumdem scripturarum loca in quibus invisibilis prædicatur Deus, & ex quibus eodem tempore refellebat Eutychianos, in Christo non divinitatem fuisse visam ab hominibus aut fore videndam oculo corporeo, sed naturam humanam quam vere pro nobis assumpsit, & nusquam dimisit, quæque humanis offerebatur aspectibus, invincibiliter exinde concludens.

Quæritur. Quodnam ferendum sit judicium de doctrina aliorum Patrum qui apud nonnullos in suspicionem venere tamquam de intuitiva illa Dei visione recte minus locuti?

Resp. Hoc omnes, etsi quorumdam inter eos duriora verba aliquando videantur, recte ac catholice de possibilitate ac existentia intuitivæ visionis in sensu a nobis mox exposito, differentibus de mente ac doctrina Chrysostomi & Theodoreti, constanter fuisse locutos; firmissime teneas ac nullatenus dubites, æquissime lector: ipsos visionem Dei aut comprehensivam, aut per corporis oculos impossibilem judicasse, & Sanctos in cœlesti patria Deum facie ad faciem esse visuros & jam videre, hancque beatam spem Deum aliquando intuitive videndi in sinu suo repositam habentes semper vixisse tibi manifestabunt, si illos adeas, quæcumque vel dixere vel scripsere. De iis autem qui sinistre illos interpretantur atque in judicium vocant, mitius, cum hæreticis quos impugnabant, agendum existimantes, pro ut tibi ratio dictaverit judicabis.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum ulli hominum in terris degenti concessa aliquando fuerit visio Dei intuitiva.

Sit ne possibilis in præsenti sæculo vel non intuitiva Dei visio, tum de potentia Dei ordinaria, tum de potentia extraordinaria ut loquuntur, non inquirimus, factum dumtaxat perpendimus, cum illam quibusdam speciali privilegio, Moysi potissimum & Divo Paulo, fuisse aliquando in terris degentibus concessam ex Sacris Scripturis colligi posse videatur. De Christo Deo & homine pro quo res ipsa clamat quæstio non movetur.

AS-

ASSERTIO UNICA.

Nulli mortalium dum viveret, neque Moysi, neque divo Paulo datum est, nec ad horam Deum clare ac intuitive videre.

PRo veritate hujus assertionis quæ ad dogmatis Catholici substantiam non pertinet sed mera de facto est controversia in qua non multos habemus adversarios, pugnant Sacræ Scripturæ, Sancti Ecclesiæ Doctores, ipsaque ratio. Moysi ardentissimo Deum videndi studio flagranti, idque ab ipso Deo sollicite postulanti quid responderit Deus Exodi cap. 33. nullus ignorat. Dicebat enim, ille, *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam ut sciam te;* cui Dominus; *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.* & rursus: *videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* ex quo Scripturæ textu duo evincuntur: & Moysem Deum non vidisse, & legem ab ipso Deo latam absque ulla restrictione pro omnibus, de non concedenda beatifica illa visione ulli mortalium. unde apud Joannem cap. 1. dicitur, *Deum nemo vidit umquam:* quæ verba universalissima sunt, non secus ac illa Pauli ad Timoth. epist. 1. cap. 6. dicentis de Deo *qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* quibus congruunt ea quæ loquitur epist. 1. ad Corinth. cap. 13. statum vitæ præsentis cum futuro veluti comparans: *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* videtur ergo Sacris Scripturis omnimode contrarium quod alicui in terris degenti, sive Moysi, sive Paulo, intuitiva Dei visio, nec ad tempus concessa perhibeatur.

Innumeris propemodum patrum testimoniis posset eadem veritas confirmari. S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 37. hæc habet. *Moyses cupivit manifeste videre eum qui secum loquebatur, & dictum est ei, sta in loco alto petræ, & manu mea contegam super te.... tunc videbis posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi: non enim videbit homo faciem meam & vivet.... non igitur manifeste faciem ipsam Dei videbunt prophetæ, sed dispositiones, & mysteria per quæ inciperet homo videre Deum.... igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multi de cœlestibus viderunt, quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini.*

Tertullianus lib. contra praxeam cap. 14. ait, *invenimus & a multis Deum visum, & neminem tamen eorum qui eum viderant mortuum. Visum quidem Deum secundum hominis capacitatem, non secundum plenitudinem divinitatis.*

S. Augustinus tract. 3. in Joan. de Moyse hæc scribit. *Et ne forte aliquis dicat, & gratia & veritas non est facta per Moysen, qui vidit Deum? statim subjecit, Deum nemo vidit umquam. & unde innotuit Moysi Deus? quia revelavit servo suo Dominus. quis Dominus?... quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est: typum domini sui gerebat non ipsius Domini præsentiam exhibebat. Namque aperte habes in lege, & loqueba-* tur

tur Moyses cum Domino, contra in contra sicut amicus cum amico suo. sequeris ipsam Scripturam, & invenis Moysem dicentem, si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te. Et parum est quia dixit: responsum accepit, non potes videre faciem meam: loquebatur ergo fratres mei, cum Moyse Angelus, portans typum Domini... illud autem sciatis, quia omnia quæ corporaliter visa sunt, non erant illa substantia Dei... facta enim sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostenderetur: non utique substantia ipsa demonstrabatur & manifestabatur.

Non diffitendum tamen prælaudata Augustini verba, sicut & alia plura quæ ex ipso possent afferri, etsi pro nobis litem dirimere videantur, non difficile de visione per corporis oculos intelligi posse, ut non indocte observant l'herminier, licet huic non concedendum existimem hæc alium sensum præ se non ferre. visionem hanc Dei intuitivam ad tempus Moysi & Apostolo Paulo concessam fuisse, aliquando opinatum fuisse Sanctum Doctorem libenter pronunciarem. illa quæ de iis scribit lib. 12. de genesi ad litteram referenda existimo, ut quid ille censuerit facilius unusquisque deprehendat. in ullo libro disserit Augustinus de paradiso & tertio cœlo quo raptus est Paulus, ac de multiplici visionum genere. multis curiose docteque hinc inde disputatis quæstionem principalem quasi soluturus sic loquitur cap. 26. 27. 28. „ ibi videtur claritas Domini non per visionem significantem, sive „ corporalem, sicut visa est in monte Sina, sive spiritualem, sicut vidit „ Isaias vel Joannes in Apocalipsi, sed per speciem, non per ænigmata, „ quantum eam capere mens humana potest, secundum assumentis Dei „ gratiam, ut os ad os loquatur ei, quem dignum tali Deus colloquio fecerit; non os corporis, sed mentis, sicut intelligendum arbitror quod de „ Moyse scriptum est. Concupiverat enim, sicut in Exodo legimus, videre „ Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia quæ Deus est, nulla assumpta corporali creatura quæ mortalis carnis sensibus præsentetur; neque in spiritu figuratis „ similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eum capere „ creatura rationalis & intellectualis potest, revocata ab omni Corporis sensu, & ab omni significativo ænigmate Spiritus. Sic enim scriptum est si „ ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te: cum Paulo superius legatur locutus Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum. Sentiebat ergo „ quid videbat, & quod non videbat desiderabat.... illo ergo modo, in illa specie qua Deus est, longe ineffabiliter secretius & præsentius loquitur „ locutione ineffabili, ubi eum nemo videns vivet vita ista, qua mortaliter „ vivitur in istis sensibus corporis; sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnium exiens de corpore, sive ita aversus & alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat sicut Apostolus ait, utrum „ in corpore an extra corpus sit, cum in illam rapitur & subvenitur visionem. quapropter si hoc tertium visionis genus... tertium Cœlum appellavit Apostolus, in hoc videtur claritas Dei, cui videnda corda mundan-
„ tur

„ tur, unde dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, „ non per aliquam corporaliter vel spiritaliter figuratam significationem tamquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, quod de Moyse „ dictum est os ad os, per speciem scilicet qua est Deus quidquid est...... „ Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo Doctori gentium, rapto „ usque ad istam excellentissimam visionem, voluerit Deus demonstrare vitam in qua post hanc vitam vivendum est in æternum? „ hæc Augustinus.

Non leviter prima fronte urgere quod ibi loquitur Hipponensis ingenue fateor. Nihilominus si accurate pensentur cuncta ipsius verba tribus illis in capitibus, quæ omnia referre longius fuisset; illum potius opinative quam assertive fuisse locutum facili deprehenditur negotio. Idque libentius dicam, cum ipse de Patriarchis, inter quos Moyses, quærens an vel quomodo Deum viderint, sæpius asserat ipsum non fuisse visum in natura propriam quam Moyses videre cupiebat. unde lib. de videndo Deo verum esse dicit quod responsum est Moysi non videbit me homo & vivet. videre Deum ut ipse est promittitur Sanctis in alia vita. & aliunde lib. 2. quæstionum in Exodum diversimode loqui videtur quam in illo libro de genesi ad litteram: ait enim relata petitione Moysis cum ipsi data responsione; „ Non videbit ho„ mo faciem meam & vivet; ostendens huic vitæ, quæ agitur in sensi„ bus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse: „ id est, sicuti est, videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ mo„ riendum est. „ præterquam quod de libris suis de genesi ad litteram ipse dicat lib. 2. Retract. „ plura in iis quæsita fuisse quam inventa fuerint: „ & eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata: cætera vero ita posita, vel „ ut adhuc requirenda sint. „ unde pro nostra assertione adhuc stare Sanctum Doctorem non temere dicemus.

Nihil ambiguitatis habent quæ scribit Sanctus Doctor lib. 10. de civit. cap. 13. de invisibili Deo, qui se visibilem sæpe præstitit, non secundum quod est, sed secundum quod poterant ferre cernentes, sic loquens: *Nec movere debet, quod cum sit invisibilis, sæpe visibiliter patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus quo auditur sententia in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa: ita & species qua visus est Deus in natura invisibili constitutus, non erat quod ipse. Veruntamen ipse in eadem specie corporali videbatur, sicut illa sententia ipsa in sono vocis auditur: Nec illi ignorabant invisibilem Deum in specie corporali, quod ipse non erat, se videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyses, & ei tamen dicebant, si inveni gratiam* ante te, ostende mihi temetipsum scienter ut videam te. Deum spiritalem sciens Moyses hunc spiritualiter, non vero corporis oculo, videre cupiebat, nec in forma assumpta, sed secundum id quod est in se Deus. quod autem Israelitici populi dux flagranter adeo expostulabat, nullibi legitur ipsi fuisse concessum, nec illud affirmat Augustinus, de eo Sacra silente Scriptura.

Inter Sanctos patres, quos omnes referre non vacat cum de rebus fidei non præcise agatur in præsenti, adeo receptissimum est visionem Dei beatificam

ficam seu intuitivam nemini mortalium in terris fuisse concessam vel ad tempus, ut plures ex eis id impossibile existimaverint. sic Clemens Alexand. lib. 5. stromatum, allatis verbis Exodi cap. 33. & Pauli 1. ad corint. cap. 13. quæ jam sæpius laudavimus ait, *clarum est neminem umquam vitæ tempore posse Deum clare percipere: qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt postquam ad extremum finem venerint*. & Sanctus Papa Gregorius lib. 18. moral. de Moyse sermonem faciens dicit, *videri potuit Deus per circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis*. quod idem de Moyse cunctisque hominibus loquitur S. Bernardus, ut alios omittamus, hæc habens serm. 2. in ramis palmarum; *quantum ad plenam sane visionem, nec ipse Moyses dum viveret in hoc mundo impetrare potuit faciei ipsius visionem, quia sicut ipse ait, non videbit me homo & vivet*. & serm. 31. in Cantica, *Nunc quidem apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non Sanctus, non propheta videre illum sicuti est potest aut potuit in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali qui dignus habetur. itaque videtur & hic, sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est.*

Ipsam rationem diximus pugnare pro veritate assertionis: & revera visione enim intuitiva Dei quæ simul cum amore fruitivo, seu charitate intensive perfecta & consummata, qui ab hac visione separari nequit, est summa creaturæ intellectualis Beatitudo, quemquam in præsenti sæculo, etiam ad tempus, potiri absurdum non minus quam impossibile videtur. siquidem possibile non est quemquam eodem tempore consistere in statu viæ simul & in statu patriæ: incompossibilis est pro eodem instanti uterque ille status in quo de eodem individualiter homine verificarentur prædicata essentialiter contradictoria. Dato autem quod aliquis in terris degens intuitive Deum videret incompossibilia de illo legitime prædicarentur. tunc enim vere dici posset homo justitiæ consummatæ simul & justitiæ non consummatæ; simulque impeccabilis & non impeccabilis. justitiæ consummatæ, ex eo quod non potest esse amor fruitivus nisi supponatur intensissima charitas quæ est justitia consummata: unde Sancti Deum possidentes in patria illum diligunt, & necessario, in quantum potest diligi, & exinde illorum justitiæ consummatæ oritur indefectibilitas ratione cujus sunt impeccabiles. a visione autem intuitiva nequit separari amor fruitivus, illam hic necessario comitatur; & ex utriusque connexione interminabili generatur summa creaturæ intellectualis beatitudo. at is idem homo esset eodem tempore justitiæ non consummatæ; siquidem posset ab illa justitia deflectere & per peccatum ab illa recedere: is enim non esset in termino sed in via, & nonnisi in termino consummationem obtinet justitia, quæ nihil aliud est quam confirmatio in gratia, seu omnimoda charitatis indefectibilitas, quæ necessario conjuncta est cum perseverantia finali, cujus donum essentialiter ac inseparabiliter unitur cum illo ultimo vitæ instanti in quo viator in termino constituitur ut Dei intuitiva visione fruatur, suæ perfectæ justitiæ fructum ac præmium per æterna sæcula consecuturus. illa igitur homo (quum sit absurdum nemo non sentit) simul esset in termino & in via. in termino, utpote qui visione intuitiva Dei gaudere

dere

dere ſupponatur, quæ nonniſi Beatis in patria conceditur, cum illa ſit vera & unica ſummaque felicitas eorum, qui in termino ſunt, præſertim in eorum principiis qui viſionem intuitivam qua poſſidetur Deus, eſſe totalem vel ſubſtantialem alterius vitæ Beatitudinem defendunt, cui ut complementum, neceſſarium quidem, advenit amor, quem non poteſt non producere talis beatificans viſio. in via eſſet; in hoc corpore mortis enim in quo peregrinamur a Domino per fidem ambulantes, pariter ſupponitur & eſt, cum adhuc in terris degat. quæ duo ſecum pugnantia cum admitti nequeant, nec pariter admittendum quemquam inter mortales, etiam ad breviſſimum tempus, ad viſionem Dei intuitivam fuiſſe aliquando elevatum, aut etiam fore elevandum.

Nec dicatur ea quæ ad fundandam ſententiam noſtram ratione theologica locuti ſumus, gratis excogitari. Tam enim certum eſt quam quod maxime, Deum intuitive videntem eodem inſtanti quo, in illum toto amoris pondere ferri, & irreſiſtibiliter, huncque neceſſario diligere ſecundum totam latitudinem charitatis, cujus, auxilio ſupernaturali ſuperveniente, capax eſt creatura rationalis; cum tanta ſit naturæ divinæ amabilitas, ut in quantum illam cognoſcit intellectus, in tantum neceſſario amore illam proſequatur voluntas: eſtque adeo vehemens deſiderium quis illam cernens accenditur, ut hunc ab illo ceſſare ſit omnino impoſſibile ex quo fit, quod ſi ex pariter impoſſibili, quis in terris degens ad Deum per breviſſimum etiam temporis ſpatium raptus, viſione intuitiva Dei qua in Cœlis gaudent animæ juſtæ, vere dignaretur, ceſſante illa Beatifica viſione, ob deſiderium vehemens quo per illam inflammaretur, ſtatim hac vita excederet, exemplo ſuo oſtenſurus, vera eſſe juxta litteram quæ Moyſi cupienti Dei ſubſtantiam videre reſponderat Dominus: *non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet.*

Ergone, dicet aliquis, ſi privilegio quodam ſpeciali ad hunc tranſitoriæ felicitatis gradum Deo placeret mortalium quemdam elevare illi ſe ipſum manifeſtando, ut Beatis in patria manifeſtatur, illud pro arbitrio exequi non valeret? Numquid omnia quæ vult non facit Deus; & undenam in tali ſuppoſito repugnantia? Huic breviter reſpondebo Deum poſſe omnia quæ vere vult: poteſtas enim & voluntas in Deo realiter identificantur, ſummaque eſt inter utramque concordia, nihilque impoſſibile eſt Deo niſi quod invariabilibus ipſius Sapientiæ legibus opponitur, quas metiri noſtrum non eſt. unde quidquid non eſt juxta regulas divinæ ſapientiæ, quæ aliæ non ſunt præter divinam ejus voluntatem, illud velle Deum non poteſt ſupponi; & minime nihilominus limitata exinde reputabitur ipſius omnipotentia, cujus objectum ſunt ea omnia circaque ſe exercet incommutabilis & æterna ejus voluntas. undenam autem præſentis ſuppoſiti oriatur repugnantia, ſatis indicant quæ jam expoſuimus. & convincens penitus mihi videtur hæc ſupra allata ratio e meo penu; quæ in natura viſionis Beatificæ vere fundatur; quæ Beatifica viſio a qua nihil differt viſio illa Dei intuitiva de qua in præſenti agimus, cum capacitati hominis viatoris non ſit accom-

modata, nemini in terris degenti concessa est, etiam ad tempus, aut concedetur.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Moysen inter homines degentem intuitive vidisse aliquando Deum non obscure indicare videntur Scripturæ. quid enim aliud significant verba hæc Domini Moysi petenti ut ipsi faciem suam ostenderet respondentis, *ego ostendam omne bonum tibi*. ut legitur Exodi cap. 33. nec non ea quæ leguntur Numerorum cap. 12. Deo Aaron & Mariam sic alloquente. *si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. at non talis servus meus Moyses qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquar ei & palam; & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* hinc est quod in Exodi laudato capite 33. narratur Dominum cum Moyse locutum fuisse *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. quæ cum ita sint, non potest universaliter propugnari quod fert assertio.

Resp. Quadam intuitiva Dei visione donatum fuisse Moysen, ex primis laudatis verbis evidenter satis colligi posse quampluribus visum est, ex eo quod, inquiunt, nihil aliud omnis boni nomine valet designari quam clara Dei cognitio, in cujus comparatione cuncta bona creata simul nihil sunt, atque ut stercora parvi sunt facienda, juxta Apostoli mentem, ut beate Deo fruamur. verum, si quid sentiam liceat dicere, etsi in sensu mystico & morali hæc Exodi verba sic possint intelligi, relative ad præsens propositum nihilominus hunc sensum præ se ferre non videntur, nec visionem Dei intuitivam indicare: quandoquidem aliud insinuant verba tam Moysis rem unam a Deo postulantis, quam ipsius Dei servo suo respondentis, ut ex toto Exodi contextu apparet. præceperat Moysi Dominus ut cum populo Israel recederet de loco in quo erat, dicens, *vade ascende hinc, tu & populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham*. iratus in populum Deus, qui cum illo sub forma quadam ænigmatica solebat ambulare, dicit Moysi se missurum Angelum illorum præcursorem, seque ob indignationem cum ipsis non ambulaturum: *& mittam præcursorem tui Angelum & intres in terram fluentem lacte & melle: non enim ascendam tecum; quia populus duræ cervicis es, ne forte disperdam te in via*. quibus auditis populus luxit & clamavit ad Dominum, qui Moysis orationibus placatus est. post aliquod tempus Moyses, qui gratiam pro populo invenerat coram Domino, iter suum cum gente hac juxta Dei mandatum confecturus, sive dubius de via, sive ut ex aliquo signo sensibili innotesceret populo a Moyse Deum fuisse placatum, deprecatur Deum, ut in testimonium quod ab ira erga Israelem cessaverat, pro more cum eis gradiatur, dicens *præcipis ut educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris, novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me. si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respi-*

respice populum tuum gentem hanc. de Domini protectione pro itinere certior factus Moyses, instat obsecrans ut ipse Deus modo quodam evidentiori suam manifestet præsentiam seu assistentiam, unde dicit, *si non tu ipse praecedas, ne educas nos de loco isto. in quo enim scire poterimus ego & populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum*. hanc visibilem Dei præsentiam, quam enixe poscit servus Dei, significasse videtur per illa verba mox relata, *ostende mihi faciem tuam ut sciam te:* quasi diceret, quomodo scire potero nos gratiam invenisse in conspectu tuo, teque futurum nobiscum per viam, nisi ostendas mihi faciem tuam, hoc est nisi nobis signo aliquo præsentiam tuam declaranti te ipsum manifestaveris. Hunc autem verum esse ac litteralem sensum totius sermonis, nihilque aliud eo loci Moysen petere ostendunt verba sequentia; quæ ad invicem cum præcedentibus debent comparari, ut plena totius textus ac colloquii habeatur intelligentia. *Dixit autem Dominus ad Moysen, & verbum istud quod locutus es faciam...qui* (Moyses) *ait ostende mihi gloriam tuam*; *respondit* (Dominus) *ego ostendam omne bonum tibi*. quæ ultima verba v. 18. & 19. conferenda sunt cum istis ℣. 14. *facies mea praecedet te, & requiem dabo tibi*. facies, quæ, Deo promittente, Moysen præcedere debebat, illa erat de qua dixerat iste, *ostende mihi faciem tuam ut sciam te*, ut evidens fit ex contextu. quam autem dixerat superius faciem, nunc dixit gloriam: quæ utraque vox significat, ut dictum est, manifestum divinæ præsentiæ & assistentiæ testimonium, juxta quod Moysi pollicetur Deus se requiem ipsi daturum, concedendo illi quod postulaverat dicens, *ostendam omne bonum tibi*; quasi diceret quodcumque tibi & populo tuo bonum erit in itinere vestro præstabo, unde observandum est non dicere Scripturam, ostendam tibi omne bonum, quod significare posset summum bonum, sed ostendam omne bonum tibi. Nec vanæ aut pueriles reputari debent grammaticales observationes illæ, quæ ad faciliorem & veriorem librorum sacrorum intelligentiam, præsertim in textibus primigeniis, non parum aliquando juvant, unde ad propositæ difficultatis solutionem dicimus, verba illa relata nullum ordinem dicere ad intuitivam Dei visionem: ideoque illa gratis opponuntur. & forte ad eorum quæ dicta sunt confirmationem addi posset, id quod eo loci a Domino petebat Moyses, non pro se solum, sed & pro omni populo cujus erat ductor, & in conspectu cujus magnificari cupiebat, eo quod duræ cervicis esset gens illa, hunc a Domino postulare, ut ex tota capitis trigesimi tertii serie non leviter colligitur, in quo, etsi in singulari numero & prima persona sæpe loquatur Moyses, pro se tamen & pro populo conjunctim loquitur, eodem modo quo Deus ibidem, ipsum populum, totamque Israeliticam gentem alloquitur, licet ad Moysen solum verba facere videatur. quo posito nulla esset ratio prædicta verba, *ostende mihi faciem tuam; ostende mihi gloriam tuam*, exponendi de visione Dei intuitiva, quam certe pro tota gente non postulasset Moyses. idque satis congruere videtur cum veteribus latinis codicibus quibus utebatur Sanctus Augustinus dum scribebat quæstiones in Exodum, ubi sic legebat. *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manife-*
 ste,

ste, ut videam te, ut sim inveniens gratiam ante te, & ut sciam quia populus tuus est gens hæc. Cæterum, etiamsi de visione Dei intuitiva hæc intelligantur, nihil adversus assertum inde concluderetur, cum nullibi legatur a Deo fuisse concessum Moysi id quod postulabat ut notat Hipponensis. quin potius illud ipsum non fore obtenturum responderit ei Dominus dicens, *non poteris videre faciem meam*: *non enim videbit me homo & vivet*.

Nec pariter urgent quæ opponuntur ex libro Numerorum, ex quibus solummodo infertur Deum Moysi familiarius suam manifestasse voluntatem, quam aliis Prophetis, quibus vel per somnia, vel sub imaginibus obscuris & & ænigmaticis loquebatur, cum e contra Moysi per diem, & sub forma quadam sensibili, Angelorum ministerio, ut vulgo creditur, appareret altissimas & obscurissimas res illi revelans, majoresque illi quam cunctis aliis de sua Divinitate cognitiones præbens, nec non majorem illi ostendens benevolentiam, Angelo, qui vices Dei gerebat, coram in forma assumpta, & ore ad os clare & distincte cum illo colloquente, sicut solet amicus cum amico. Hinc dictus est Moyses vidisse Dominum palam, & non per ænigmata & figuras. Dei autem naturam visione intuitiva conspexisse minime ex loco laudato sequitur. Si enim hac visione donatum fuisse Moysen quis concluderet ex eo quod referatur cum Deo locutum os ad os, facie ad faciem, quare ardenter adeo postea postularet a Domino ut faciem suam ipsi ostenderet, quod illi fuisse concessum nullibi legitur. & illegitima est illatio quorumdam volentium ex his verbis facie ad faciem concludi necessario pro visione intuitiva quam Moysi concessam arbitrantur, ex eo quod apud Apostolum ad Corinthios facie ad faciem Deum videre intelligatur ab omnibus de visione intuitiva Dei qua in Cœlis gaudent omnes Sancti, & quam similiter opponit Apostolus visioni per speculum & in ænigmate. Apostolum loqui de visione Dei sicuti est ac in propria natura demonstrant ipsius verba ejusque scopus; ad Moysen vero quod attinet, non nisi de visione secundum formam assumptam sermo habetur. utrobique est idem loquendi modus, idemque visionis genus, intuitivæ scilicet; sed non est idem utrobique objectum. utraque visioni ænigmaticæ opponitur, quia speciem assumptam sub qua Moysi loqui dignabatur Deus, vere ille oculo corporeo cernebat, sicuti Divinam naturam in propria forma intuitive sunt visuri in cœlesti patria omnes qui cum Christo æternum regnabunt.

2. *Objectio* Sanctus Paulus, ut ipse scribit epist. 2. ad Corinth. cap. 12. raptus usque ad tertium cælum & in Paradisum, audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, nihil autem aliud significare voluit ac potuit sic loquens, nisi se fuisse usque ad visionem Dei contemplativam ad instar Beatorum ex privilegio speciali elevatum. quod non obscure confirmatur ex iis quæ de illo referuntur in actis Apostolorum cap. 26. ubi conversionis ejus ordo recensetur, & hæc verba a Christo Jesu audivisse: in hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti.

Resp. Quid circa Apostolum Paulum actum fuerit in hac illius cum Deo intimiori communicatione, ille novit qui fecit: neque enim nos ea narrabimus

mus quæ is qui in paradisum raptus fuerat annuntiare noluit vel non potuit. id unum indubitanter asseremus, nimirum in hac Apostoli brevi narratione nihil esse quo necessario ducamur ad illam de intuitiva Dei visione interpretandam. idque eo magis quod ipse qui raptus erat non dicat se vidisse, sed audivisse quæ homo sermone promere non valeat; & statum suum raptus istius tempore se ignorare confitetur. ait enim, *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit)* quod iterato dicit: *raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum*, &c. qui autem de suo statu incertus remanere potuisset homo qui visione Dei intuitiva fuisset potius? quomodo pariter in tali supposito ad Timotheum scribere potuisset aliquot ab hinc annis, nullum hominem Deum vidisse, imo nec videre posse? aliunde ex toto capite illius Epistolæ ad Corinthios manifestum est Apostolum intelligi voluisse de variis fidei nostræ Mysteriis, quæ illi raptus sui tempore revelata sunt; & quorum meminisse videtur, dum de Evangelio quod prædicabat loquens epist. ad Galatas cap. 1. dicebat, illud non esse secundum hominem: *neque enim*, inquit, *ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. unde sic incipit, *si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini Scio hominem*, &c. Has autem quas tunc temporis habuerat revelationes, & visiones eo loci commemorat Apostolatum suum commendans, pro ut urgens quædam tunc necessitas postulabat, ut textus series ostendit. illas easdem revelationes habuerat, ut a Christo jam passo & ad Patris dexteram sedente vocatus Apostolus, quæ erat Gentibus prædicaturus, quæque ab aliis Apostolis non audierat, ab ipso Christo cujus minister & testis constituebatur, edoceretur ut manifestant verba relata ex actibus Apostolorum, quæ nihil probant pro intuitiva Dei visione, de qua nec ullum verbum fecit Paulus; quod probabiliter non omisisset, præsertim quando se ipsum commendare, vel potius ministerium sibi a Christo creditum cogebatur, ob illos qui ejus Apostolatum deprimebant, veluti aliquid minus esset cæteris Apostolis, qui a Christo in terris degente electi fuerant, & cum illo conversati, quæ de illo viderant & audierant certius narrare exinde possent Paulo, qui Christum in carne minime viderat. liquet ergo ex mox expositis, verba laudata nihil facere contra nos.

Nec quidquam roboris objectioni accedit quoniam aliqui inter Sanctos Patres existimasse putantur Paulum in illo raptu Deum sicuti est vidisse: Nihil enim interest cum, ut dictum est, ad fidem id non pertineat, quod Patres, & cum ipsis Theologi, diversæ fuissent inter se opinionis. verum si illorum verba, ut par est, pensentur, ad nostram sententiam illos omnes accedere facile dignoscetur, Patresque omnes qui ab illa recedere magis videntur, de quadam extasi & singulari Spiritus Sancti irradiatione, qua præ aliis Sanctis & Prophetis Moyses & Paulus a Deo ex speciali privilegio donati fuerint, esse intelligendos, nullatenus vero de intuitiva visione, quæ in cœlis est veræ justitiæ præmium.

3. *Objectio*. Esto quod nulli in terris degenti concessa fuerit intuitiva Dei vi-

visio: sed quod nemini sit concedenda, ut sequi videtur ex iis quæ dicta sunt ad fundandam assertionem, id gratis supponitur cum nullo modo repugnet, nec ex parte hominis viatoris, cujus intellectus, sive in via, sive in patria sit homo, ejusdem est conditionis, & quod quandiu vivit homo super terram mens ipsius in suis operationibus a sensibus dependet, est quid accidentale illius naturam non mutans: nec pariter repugnet ex parte Dei, qui tam potest adjuvare infirmitatem intellectus creati concurrendo mediante lumine gloriæ ad sui visionem sive tempore vitæ hujus sive post mortem. quod posset facile confirmari exemplo Christi, qui a primo sui exordio ad mortem usque, fruebatur ut homo per humanum intellectum intuitiva essentiæ divinæ visione. saltem istud assertionis veluti corollarium quolibet spoliabitur sufficienti fundamento.

Resp. Etsi de possibilitate istius visionis investigare, ut initio monuimus, mens nostra non fuerit, tamen cum nonnulla dixerimus ordinem ad illam habentia, ex quibus implicite sequitur visionem Dei intuitivam, quæ nemini in terris degenti concessa est, nulli etiam esse concedendam, ad propositæ difficultatis solutionem dicemus, quod concedatur ulli mortalium istiusmodi visio repugnare (salva absoluta Dei omnipotentia de qua sermonem non facimus) ex parte hominis simul & ex parte Dei, ex parte, inquam, hominis cujus intellectus in suo naturali ordine constitutus, ut est intellectus hominis quandiu est in via, nullam ex se habet aut habere potest proportionem cum Deo, quem videre homo non valet, nisi ipsius intellectui præsentialiter uniatur Deus, ut alias dictum est. Non est autem in hominis potestate præsentialis hæc unio, quæ est puræ ipsius Dei liberalitatis effectus, ratione cujus intellectus creatus, lumine gloriæ adjutus, & ad statum supernaturalem evectus, notitiam Dei propriam & immediatam attingit. Nec pariter lumen gloriæ mentem humanam ad statum supernaturalem evehens in illius est potestate, aut illi debetur, cum nulla possibilis sit creatura cui connaturale sit, ac debitum possit esse lumen illud, quod est conditio sine qua non, absolute necessaria ut Deus possit ab intellectu creato intuitive videri. unde ex parte hominis viatoris repugnat quod intuitiva Dei visione aliquando donetur. & falsum exinde intelligitur quod addunt, intellectum scilicet hominis sive in via sive in patria, ejusdem esse conditionis, cum homine ex viatore in termino per mortem corporis constituto, mens ejus a statu naturali transeat ad statum supernaturalem, diversæque fiat tunc conditionis. Repugnat etiam ex parte Dei quod homini viatori aliquando concedatur illa Beatifica visio, in quantum nempe Deus, qui negare se ipsum non potest, hoc est sibi metipsi fieri contrarius, juxta sapientiæ suæ regulas, quas nihil aliud esse jam diximus quam immutabilia omnipotentissimæ suæ voluntatis decreta, sibi ipsi legem posuisse videtur de non concedenda homini viatori intuitiva sui visione, ut ostendunt verba illa Dei ad Moysen sæpius relata: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.*

Et juxta hunc sensum illa vere intellexit S. Augustinus, dum quæstionum in exodum lib. 2. cap. 54. iis relatis sic prosequitur: *ostendens huic vitæ, qua* agi-

agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse: id est, sicuti est videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est. quæ Sancti Doctoris illorum Dei verborum expositio, ea quæ hic statuimus, litteraliter enuntiat. Nec aliquid in contrarium eruitur ex Christi exemplo, quem viatorem simul & comprehensorem fuisse nullus Christianus ignorat. non enim intellectus humanus in Christo, vi sua nativa, hoc est in quantum intellectus humanus, intuitiva divinæ essentiæ visione imperturbabiliter gaudebat; sed quia natura humana stante divino supposito, ut dicitur ubi de incarnati verbi mysterio, hypostatice unita, non poterat illius anima hac divinæ essentiæ visione ullo modo fraudari. quapropter non ut homo præcise, necessario hoc privilegio ipsi debito fruebatur Christus, sed ut Deus homo. unde quantum ad præsens propositum nulla est comparatio: & velut ex omni parte manet indubitatum vix possibilem dici posse homini viatori intuitivam Dei visionem, quamvis non adimatur a Deo potestas concurrendi active vel objective super terram homine vivente, sicut in cælo anima a corpore soluta, mediante lumine gloriæ ad hujusmodi visionem cum intellectu creato concurrit, sed illi voluntatem concurrendi inesse negatur ob allatas rationes.

Quæritur. Quodnam ferendum sit judicium de tot Sanctis utriusque sexus, qui Deum vidisse sicuti est, & cum eo familiariter fuisse confabulatos ab historicis narrantur.

Resp. Iis esse parce credendum, & de illis esse sobrie loquendum, hoc unum pro certo habendo nullum inter eos ad videndum Deum in propria natura fuisse elevatum, aut cum ipso Deo vere fuisse locutum. Nunnullos singulari privilegio visionibus cœlestibus, sive sub specie quadam sensibili corporis oculum afficiente, sive in mentis excessu modo mere intellectuali, nulla sensibili forma interveniente, fuisse a Deo donatos, & quodam tunc temporis fuisse extraordinario lumine perfusos, quo juvante plura veluti divinitus didicere, sive ad propriam, sive ad aliorum utilitatem, pia credulitas est, cui, modo nihil adveniat quod rectæ fidei, bonisque moribus adversetur, magisque spirituali piorum ædificationi e contra valeat inservire, Ecclesia non contradicit. verum iis in rebus caute incedendum, nec facile omni spiritui credendum, sed potius an juxta veritatem sint, sapienter probandum. si enim inter ea quæ de istiusmodi visionibus aut revelationibus referuntur, quædam sunt vera, quædam sancta, quædam laudabilia, multæ tamen narrantur fabulationes nullo authentico nixæ instrumento, sed a scriptoribus insufficientis judicii pro arbitrio adinventæ, quæ proinde nec Deo, qui non nisi veritate delectatur, gloriam aut honorem, nec fidelibus Populis, quorum saluti quod vere est religionis dumtaxat conducit, fructum & utilitatem, afferre possunt. & quo pacto de illarum visionum realitate aut veritate testificari possent pro majori parte qui de iis scripsere. enim vero Sancti præ humilitate hæc insolita cœli dona pro viribus plerumque occultabant. & aliunde quomodo quæ in illis extasibus in quibus mere passive se habet humanus intellectus, audierant vel intellexerant extra sensus rapti, referre dilu-

dilucide potuissent, qui de suo statu præsenti raptus sui tempore minime certi erant? si enim Doctor Gentium, vas electionis, Paulus Apostolus ea quæ circa ipsum gesta sunt in hac percelebri visione, quando usque ad tertium cœlum raptus est, eloqui fuit impotens, quanto minus sancti inferioris notæ, inferioris meriti, (sunt enim pro majori numero homines simplices & idiotæ, aut mulierculæ, de quibus mirabilia illa narrantur) quæ de ipsis erant nuntiare potuerunt? De iis ergo timide modiceque dicendum. hæc omnia pensanda videntur ex dignitate vel auctoritate illorum a quibus aut de quibus talia referuntur, attentis loci ac temporis circumstantiis, ac perpensa utilitate quæ Christianæ Reipublicæ ex illis mirabilibus advenire potuit, cum Deus, qui nihil agit frustra, talia pro solito non operetur, nisi pro communi Ecclesiæ suæ bono. Nec satis est ut tuto ac fidenter fidelibus populis nuntientur, aut in actis Sanctorum transcribantur, librisque consignentur posteritati transmittenda, quod veritatis speciem præseferant, sed etiam quod de illorum veritate certo constet. Nec enim Sancti, ut de gloriosa Virgine Deipara dicebat Bernardus Epist. 174. falso egent honore, veris cumulati honorum titulis. & qui falsa pro veris, dubia pro certis, etsi sub specie pietatis de Sanctis sciens narrat, hunc ego Spiritui Sancto mentientem, Sanctis veritatem diligentibus, necnon & ipsi Deo qui veritas est, impie detrahere incunctanter pronuntiabo. verum de illis hæc sint satis: quæque obiter medius fidius protuli, sub censura omnia dixerim, qui rem tanti momenti, innumerisque undequaque scatentem ambagibus dirimere non suscepi.

QUÆSTIO SEXTA.

Quibus & quando sit concedenda visio Dei intuitiva, utrumve mille annorum Regnum post Resurrectionem sit admittendum.

VIsione intuitiva Dei, qui nec per corporis oculum, nec intuitive per mentem ab homine viatore potest videri, donandas esse animas justorum, quæ egredientes ex hoc ergastulo carnis nihil habent purgandum, æternoque divinitatis conspectu, nulla interveniente mora esse fruituras, catholica fides est, ab Apostolorum temporibus ad nos usque non interrupte perducta. ab illa recessere plures e veteribus recentioribusque hæreticis, atque etiam, licet diversa ratione, inter catholicos nonnulli, prioribus ecclesiæ sæculis, ex Sanctis Patribus, existimantes ante judicii diem, generalemque mortuorum resurrectionem Beatifica hac visione animas illas non fore potituras: atque etiam in illam requiem non ingressuras corporibus suis denuo unitas nisi post mille annorum spatium, per quod, ante rerum omnium consummationem, Christum arbitrabantur in terris cum suis electis regnaturum, ac non nisi peracto terreno illo mille annorum regno, in cœleste regnum ipsis a constitutione mundi a Deo paratum Sanctos cum Christo esse intraturos.

Du-

Duplicis ordinis extitere Millenarii, qui & græce Chiliastæ, a fictitio illo mille annorum regno sic vocati. alii quorum fuit dux Cerinthus, primus anilis istius fabulæ excogitator, quæ de coelesti Hierosolyma, æternaque Beatorum cum Christo mansione sunt intelligenda in Sacris Scripturis, interpretatus de terrestri illa Hierusalem a Tito funditus eversa, quamve in fine temporum restaurandam supponebat, istud mille annorum spatium inter carnales ventris & libidinis voluptates traducendum, ut lib. de hæresibus refert S. Augustinus, confinxit, legis Mosaicæ ritibus & sacrificiis splendidius quam antea de novo instauratis. unde non mirum videri debet quod plures ex Judaismo Christianos quibus cordi semper erat Mosayca religio, habuerit sui erroris sectatores, qui Davidis regnum per Messiam in pristinam gloriam restituendum sperantes, quod in primo ejus adventu non succedebat, in secundo fore complendum arbitrabantur. de Cerintho, a quo Cerenthiani, hęc referunt Cajus & Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. historię: & post ipsum Theodoretus lib. 2. hęret. fabul. Cerintho sequenti sęculo secundo adhęsisse saltem ex parte Marcionitas habemus ex Tertulliano lib. 3. cont. Marc. nec non quarto sęculo Apollinaristas, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Hieronymo testantibus.

Papiam Hierapolitanum Episcopum in Asia, perexigui ingenii hominem, Sancti Polycarpi Episcopi & Martyris sodalem, Joannis cujusdam, non Apostoli ac Evangelistæ, sed Apostolorum discipuli ac presbyteri, ut notat Eusebius, auditorem, principem habuit alter Millenariorum ordo. Hic suæ pietatis fama plures, etiam majoris notæ, homines in suas partes traxit: inter quos Justinus Martyr, Ireneus Episcopus & Martyr, Tertullianus, Lactantius aliique doctrinæ clarissimi numerantur, ipseque Augustinus qui lib. 20. de civit. ipsius sententiam aliquando secutum se fuisse scribit. verum a primi ordinis Chiliastis dissimilis Papias cum suis, in illo fictitio mille annorum regno nonnisi puras & innoxias delicias futuras volebant. atque etiam inter se isti in aliquibus discrepabant. etenim alii, inter quos Justinus, Irenæus, Lactantius cum Papia dicebant Sanctos consuetis & licitis voluptatibus corporeis tunc fruituros, cum e contra Tertullianus & Augustinus spirituales delicias dumtaxat ibi admittendas esse existimabant. nonnulli insuper ut Tertullianus, volebant ab illa beatificæ visionis dilatione communi excipiendos esse Martyres, quos, ut primum pro Christo mortem subierant, intuitiva Dei visione æternaque felicitate gaudere credebant. Non defuere inter eos qui Millenariis non immerito annumerantur, licet fictitium illud regnum non admittentes, qui crediderint animas justorum visione beatifica non esse fruituras ante generalem mortuorum resurrectionem. Sic sensisse Summum Pontificem Joannem XXII. non pauci affirmant: idne jure an immerito infra inquiremus.

Ad resurrectionem usque differendam esse Sanctorum Beatitudinem, eorumque interim animas visione Dei intuitiva non donandas nisi quando venerit Christus in fine temporum justis vel injustis pro uniuscujusque merito aut demerito supplicia retributurus ac præmia, in quodam esse refrige-

rii loco tenuisse Vigilantium habemus ex S. Hieronymo in ipsum scribente. idem tempore Concilii Florentini opinabantur nonnulli græcorum, atque etiam nunc post Lutherum & Calvinum recentioris ævi ecclesiæ catholicæ hostes infensissimos quamplures ex eorum sectatoribus opinantur, a quibus minime hac in parte recedunt Sociniani. varia quorumcumque illorum commenta, etsi in quibusdam dissimilia, duplici assertione simul convellemus. otiosæ mentis de mille annorum regno Christi super terram cum Sanctis suis post generalem mortuorum resurrectionem, chimæram quolibet carentem fundamento dispellemus, animas justorum quæ nihil purgandum habent e corporibus exeuntes, ad supremam beatitudinem, visionem scilicet Dei intuitivam, absque ulla mora esse admittendas, deinceps ex fidei principiis ostensuri.

ASSERTIO PRIMA.

Fictitium Christi cum Sanctis suis mille annorum regnum super terram, quocumque sensu intelligatur, inter vanas anilesque fabulas omni carentes fundamento, juxta constantem Ecclesiæ catholicam fidem, est computandum.

ET revera illud juxta constantem catholicæ Ecclesiæ doctrinam & fidem pronuntiatum asserimus, adversus nonnullos, qui Millenariorum delirium in Ecclesia prioribus sæculis non mediocriter audiisse, temere contendunt, Patrum qui Papiæ commentis ex parte adhæsere numerum granditer augentes, veluti opinio, quam præcipiti judicio & non satis intellectum amplexi sunt pro tempore, doctrina & pietate clari homines, qui melius consulti ab ea deinde pro majori numero recesserunt, quamque Episcoporum ac Doctorum multitudo omni ævo strenue debellavit atque proscripsit, Ecclesiæ catholicæ doctrina posset reputari, ita ut huic errori opposita veritas constanti & perpetua Traditione non fulciretur. id cum Antonio de Dominis & Dallæo, imperite garriant Sociniani; illos, ex iis omnibus, quæ ad duarum assertionem firmitatem ostendendam sumus adducturi, invicte ac liquido arguemus.

I. Audiatur Sacra Scriptura contra Millenarium commentum pro veritate opposita pugnans. *Regnum meum non est de hoc mundo*, inquit Christus Joannem cap. 18. & de illo eodem regno dicitur Mariæ per Angelum ipsi nuntiantem Verbi Incarnationem Luc. cap. I. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*; quæ ultima verba Symbolo Nicæno addi voluit Concilium Constantinopolitanum primum contra Apollinaristas regnum Christi Chiliastarum mille circumscriptum annis admittentes. perpetuam ejus regni durationem nuntiaverat Daniel in hac percelebri prophetia quæ de Christo semper fuit intellecta, utpote quæ de alio præter ipsum nequeat intelligi, & in qua Dan. cap. 7. sic loquitur Propheta. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit.... & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient: potestas ejus,* pote-

potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. Hæc & alia Scripturæ testimonia iis similia quæ afferri possent, exponat quis si potest, vel potius conciliet cum Millenariorum errore.

Fictitiam regni Chiliastarum hypotesim funditus evertunt, omnemque post judicium statim a resurrectione dilationem æternæ beatitudinis adimunt hæc verba Christi unicuique in die illa secundum merita vel demerita retribuentis, facta judicii descriptione, Matth. cap. 25. *venite*, inquiet *rex his quia a dextris ejus erunt, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi .... dicet & his qui a sinistris erunt, discedite a me maledicti in ignem æternum .... & ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Nullum temporis spatium agnoscit Scriptura judicium inter & præmium aut supplicium. cœlum ingredientur eodem instanti electi omnes & in infernum detrudentur reprobi. quibus jam relatis librorum sacrorum momentis si addamus hæc Christi verba Matth. cap. 22. *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*: illaque Apostoli Roman. cap. 14. *Non est regnum Dei esca & potus*: cuncta Millenariis in commentitio eorum regno de voluptatibus corporeis spes aufertur.

2. Audiamus quosdam e sanctis Ecclesiæ Patribus qui Millenarios impugnarunt, illos qui intuitivam Dei visionem æternamve beatitudinem justis hac vita functis absque mora retribuendam scripsere, sequenti assertione audituri. priorum agmen ducit Cajus Ecclesiæ Romanæ presbiter, apud Eusebium lib. 3. Hist. cap. 28. adversus Cerinthum sic loquens. *Cerinthus per revelationes quasdam a se, tamquam a magno quodam Apostolo, conscriptas, portenta quædam quasi ab Angelis sibi ostensa commentus nobis introducit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursum homines Jerosolymis degentes, cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore: additque ille divinarum Scripturarum hostis, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quo facilius imperitos homines decipiat.* Hunc apud eumdem lib. 7. cap. 24. sequitur Dionysius Alexandrinus, qui & adversus Irenæum scripsit, teste Hieronymo præfat. ad lib. 18. in Isaiam. de illo Nepotem quemdam Ægypti Episcopum duobus libris refellente scribit his verbis Eusebius. *ad hæc duos libros de promissionibus composuit. Causam scribendi præbuit Nepos quidam Episcopus Ægypti, qui promissiones Sanctis Hominibus factas in divinis voluminibus judaico sensu exhibendas docebat, & nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat .... Hunc ergo Dionysius in libris de promissionibus acriter impugnat.* ab his non est disjungendus ipse Eusebius, qui Millenariis contrarius, de Papia ejusque opinionibus loquens errorem esse dicit, ejusque mille annorum regnum veram fabulam; & illos qui commentum illud debellarunt celebrat. adeatur ipsius historia.

Hos sequatur Origenes qui lib. 2. de principiis cap. 12. cui titulus est de repromissionibus, hæc habens. *sicut ergo in hac vita alius quidem summum bonum corporis judicat voluptatem: alius vero in commune consulere, alius studiis & intelligentiæ operam dare: ita requiramus in illa vita; quæ vera est, quæ ab-*

scondita esse dicitur cum Christo in Deo, in illa æterna vita; si aliquis nobis talis erit vivendi ordo vel status. quidam ergo laborem quodammodo intelligentiæ recusantes, & superficiem quamdam legis litteræ consectantes, & magis delectationis suæ quodammodo ac libidini indulgentes solius litteræ discipuli, arbitrantur futuras voluptates & luxurias corporis expectandas.... Apostoli Pauli de resurrectione spiritali corporis sententiam non sequentes. quibus consequenter addunt & nuptiarum conventiones, & filiorum procreationes etiam post resurrectionem futuras fingentes sibimetipsis Jerusalem terrenam urbem ædificandam .... & ut breviter, dicam, secundum hujus vitæ conversationem per omnia similia esse volunt omnia quæ de repromissionibus expectant; id est, ut interim sit quod est. hoc ita sentiunt qui Christo quidem credentes, judaico autem quodam sensu Scripturas intelligentes, nihil ex his dignum divinis pollicitationibus præsumpserunt. Hæc Origenes, quo agente ad veritatem revocati sunt quidam Arabes, qui eo devenerant insaniæ, ut vellent hominum animas una cum corpore interire ac corrumpi, sed iterum resurrectionis, tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam fore redituras. Euseb. lib. 6. hist.

Post Sanctum Ephrem qui commenta Millenariorum ut Scripturis contraria debellavit opusc. 3. Sanctum Basilium qui Epist. 74. ad occidentales Apollinarii millenariis adhærentis scripta de resurrectione, fabulosa vocat & ridicula: S. Gregorium Nazian. orat. 51. & 52. Apollinaristarum commenta persequentem & irridentem: S. Epiphanium hæresi 77. Millenariorum erroneas opiniones commemorantem: Philastrium Brixiensem qui de hæresibus Tom. 4. biblioth. patrum cap. 12. Chiliastarum hæresim declarat eorum opinionem de mille annorum regno; habemus Sanctum Hieronymum Millenariorum dogmata frequenter proscribentem & sugillantem, etsi ad caput 19. Jeremiæ dicat hanc opinionem nondum fuisse sua ætate ab Ecclesia damnatam illam licet errorem hæresimve non vocet, multorum veterum, inter quos e latinis Tertullianum, Victorinum, Lactantium commemorat, e græcis vero, cæteros prætermittens, Irenæi tantum Lugdunensis Episcopi facit mentionem, authoritati ne contradicat, ut ipse habet lib. 18. in Isaiam: hanc tamen aperte improbat. unde in cap. 19. Matth. hæc Christi verba ad suos discipulos, *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut, agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, exponens juxta spiritualem sensum, ut reapse sunt intelligenda, sic loquitur. *ex occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendum: non intelligentes quod si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo.... sensus ergo iste est: qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet. quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Eamque Millenariorum opinionem Evangelicę veritati maxime inimicam dicit. & per illud Hieronymi testimonium occurritur oppositioni Millenariorum ex his verbis Christi relatis pro suo errore argumentantium apud Irenęum lib. 5.

qua

qua data spiritali expositione, quę sola est juxta Salvatoris mentem, & ab omnibus Doctoribus universaliter recipitur, ruit penitus tam Papię quam Cerinthi commentum; & nulla remanet oppositio.

Nec est omittendus Augustinus, quem indoctus quidam non multis ab hinc annis ementito Launoii nomine, novarum esse hæresum auctorem impudenter, sed non impune scripsit. sic autem loquitur lib. 20. de civit. cap. 7. S. Doctor. *De his duabus resurrectionibus idem Joannes Evangelista in eo libro qui dicitur Apocalypsis, eo modo locutus est, ut eorum prima a quibusdam non intellecta, insuper etiam in quasdam ridiculas fabulas verteretur . . . . . quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cum eos qui tunc resurrexerint dicant immoderatissimi carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant; sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant: nullo modo ista possunt nisi a carnalibus credi: hi autem qui spiritales sunt, istos ista credentes Chiliastas appellant græco vocabulo, quos verbum e verbo exprimentes nos, possumus Millenarios nuncupare.* Cerinthi Millenariorum principis commenta inter hæreses annumerat Sanctus Augustinus lib. de hæres. num. 8.

Theodoretum a quo Nepos lib. 3. hæret. fabul. ea de causa hæreticis accensetur: Episcopos orientales Cyrillo contrarios Tom. 3. Concil. Cyrillum Alexand. Dionysium de cælesti hierarchia, Sanctum Fulgentium, cum aliis quibusdam, referre liceret de Millenariorum placitis idem sentientes, si brevitati ab iis supersedere nos monenti, non esset consulendum, præsertim cum ea omnia a quampluribus Theologis apud quos videri poterunt collecta habeantur.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Varia Christi verba conglomerant Millenarii in confirmationem sui erroris, quæ si litteraliter vel potius carnaliter possent intelligi non parum ipsis faverent. sic Math. cap. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* cap. 26. in ultima cœna discipulis suis dicebat Christus: *non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patri mei.* & Luc. cap. 22. *ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* ex quibus directe inferantur deliciæ corporales, quibus in regno peculiari Christi fruituri sunt electi; ipsumque illud regnum & cœlesti beatitudine longe diversum, hancque per mille annos super terram præcedens post generalem mortuorum resurrectionem, per ea non obscure significatur. Hæc millenarii.

Resp. Si Sacras Scripturas pro arbitrio uniuscujusque interpretari satis esset, ut aliquando observavimus, ad fundandam oppositionem directam adversus aliquod fidei caput, nullum foret catholicum dogma quod ex ipsis directe non impugnaretur, cum nullus fere possit error excogitari, qui testimoniis

mcniis sacrorum librorum in alienum falsumque sensum detortis non fulciatur. verum cum ex locis illorum male intellectis nihil directe contra quamcumque veritatem valeat inferri, nulla remanet oppositio, ut in casu praesenti. quid enim habent, aut habere possunt affinitatis cum laudatis Christi verbis fictitiae voluptates carnalesque deliciae quas in commentitio mille annorum regno post resurrectionem electis promittunt super terram Chiliastae? quid cum escis & potibus satietati illi quam per aeterna saecula pollicetur Christus Dominus justis, qui imperfectam ac in multis deficientem esse in hoc seculo justitiam suam experientia edocti quotidiana, in Deum, apud quem solum perfecta est consummataque justitia, quę nusquam deficit, nec potest deficere, pleno cordis impetu feruntur? ejusdem generis absque dubio erunt satietas cum fame & siti. cibum potumque spiritalem desiderant quos Beatos dicit Christus ex eo quod justitiam esuriant & sitiant: spiritualis ergo erit illorum satietas dum Deum intuitive videbunt, qui est fons & origo nec non plenitudo totius justitię. & ideo ex illa vere saturati, cum nusquam a Deo defecturi nihil amplius habeant quod esuriant & sitiant: indeque plene Beati non in momentaneo illo mille annorum regno gratis excogitato, sed in illo nusquam cessaturo regno Christi & Dei, in quo illi amatores veri & inconcussi boni, ut loquitur Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, illo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit, meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, quod est justitia, & illa aqua de qua quisquis biberit, fiet in eo fons aquae salientis in vitam ęternam. Illis justitiam esurientibus & sitientibus, qui cum apparuerit gloria Dei satiabuntur, inebriati ab ubertate domus ejus, & voluptatis ejusdem torrente potati, juxta psalmistę verba, sicut & Apostolis suis, disponebat Christus sicut disposuerat ipsi Pater regnum, ut edant & bibant super mensam ipsius in regno suo, hunc spiritalem cibum potumque cœlestem, quibus semel refecti, qui ad ęternam agni cœnam vocati sunt, nec esurient nec sitient amplius; vel potius semper esurientes, continuoque sitientes, perpetuo reficientur de hoc genimine vitis quod novum semper est, bibentes in regno Dei. genimen vitis vere pretiosum quod Christus suę instantis passionis pręscius, recumbens in ultima cœna cum discipulis duodecim, dicebat se cum illis bibiturum in regno Patris sui, per quę ultima verba, si ut par est notentur, funditus evertitur Millenariorum commentum. neque enim dixit Christus, *in regno meo*, quod postularet fictitia ipsorum hypotesis, sed *in regno Patris mei*; quod cum nullum aliud sit quam cœlorum regnum, ęternaque justorum felicitas, cum Millenariorum de terreno Christi regno fabula nullo modo valet conciliari.

Spiritualiter igitur & non carnaliter accipienda esse utrobique Salvatoris verba nullus est qui non sentiat. Sub specie cibi & potus, ac vini designari ęternę civitatis, quę sursum est, gaudia nusquam cessatura, intelligunt qui sępe in Scripturis sub imaginibus nuptiarum, & epularum ęternam beatitudinem exhiberi non ignorant. Hinc universalitatem bonorum & gaudiorum quibus abundat beatitudo cęlestis commemorat Christus his verbis apud Mathęum

theum cap. 8. *multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum:* & juxta eumdem sensum dicitur Luc. cap. 24. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*. metaphorice locutum fuisse Apostolis Christum duobus in textibus, in quibus se dicit cum illis de genimine novo vitis in regno Patris sui bibiturum, illosque super ipsius mensam esuros & bibituros, volunt omnes patres, licet de tempore quod i s verbis designatur, omnes non consentiant: nonnullis, inter quos Chrysostomus, ea intelligentibus de tempore quod Christi resurrectionem secutum est, quod dicunt fuisse Christi regnum super terram, cum potestatem sibi a patre datam exercere cæpit, eamque Apostolis suis ad Ecclesiæ, quæ est vere ipsius regnum super terram, regimen ex parte communicavit. Præterquam quod dici potest illa esse etiam litteraliter adimpleta. cum post suam resurrectionem pluries, per illos quadraginta dies qui ipsius ascensionem in Cælum præcessere, manducavit & bibit cum discipulis suis, ut legitur in Evangelio, & ut refert Apostolorum Princeps, act. cap. 10. *manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis*. Nihil ergo est in laudatis Scripturæ locis quod Millenariorum errori faveat, nisi quis iis impune abuti, a legitimo ac vero eorum sensu recedendo, temere præsumat. cæterum dicant qui Millenariorum adhuc partes agunt, quomodo in illorum hypotesi accipi debeant hæc Christi verba apud Lucam cap. 22. quæ immediate leguntur post illa quæ nobis objiciuntur; *& sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel*. ut quid illi throni in regno hoc Christi, ut sedeant qui judicaturi sunt, cum non futuri sint in illo qui judicentur. in illo enim regno soli cum rege suo Christo erunt electi: quinam ergo erunt de quibus ferendum sit judicium? optime autem intelliguntur illa verba cum præcedentibus recte cohærentia, dum hæc omnia in sensu metaphorico, pro ut a Christo prolata sunt, accipiuntur. His verbis si quidem figurate exprimitur gloria seu potestas, qua in fine temporum, nedum in die judicii, sed etiam per æterna sæcula a Christo donabuntur cum Apostolis electi omnes, a quibus judicabuntur, id est condemnabuntur. reprobi, quos mundi nomine designat Paulus epist. 1. ad Corint. cap. 6 dicens, *an nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?* sicut ad duodecim tribus Israel pertinent quot quot judicandi sunt, ad duodecim thronos pertinent quotquot sunt judicaturi cum duodecim Apostolis, propter significationem universitatis, ut habet S. Augustinus in psal. 86. Si verba illa Christi juxta literam accipi non posse advertissent, quos Papiæ sicut & Cerinthi fabula suos fecit, quoddam sui erroris fundamentum, falsa interpretatione delusi, in ipsis non sibi imperite finxissent.

2. *Objectio*. Ad litteram descriptum videtur mille annorum Christi regnum ab Apostolo & Evangelista Joanne in suæ Apocalypseos libro cap. 20. „ sequentibus verbis: „ & vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem „ clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draco„ nem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per „ annos mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, „ ut

„ ut non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni. & post
„ hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei. & qui non adoraverunt bestiam „ neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in „ manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Hæc est „ resurrectio prima. Beatus & Sanctus, qui habet partem in resurrectione „ prima; in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes „ Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. & cum consummati „ fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit & seducet „ gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prœlium, quorum numerus est sicut arena maris. & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum & civitatem dilectam. & descendit ignis a Deo de cœlo & devoravit eos; & „ diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris ubi „ & bestia." Hæc autem Joannis narratio ita cohæret cum hypotesi Millenariorum, ut illam non prædixisse Joannem atque spiritu prophetico vidisse possibile non sit. unde, inquiunt, nec fundamento caret in Scripturis mille annorum Christi regnum cum suis Sanctis super terram, nec inter vana otiosæ mentis commenta est recensendum, sed potius ut sententia librorum sacrorum testimoniis fulta, & a quampluribus variorum temporum Patribus ac Doctoribus propugnata, est retinendum. ita millenarii.

Resp. Millenariorum de Christi regno cum justis super terram post generalem mortuorum resurrectionem opinioni favere minime percelebrem hanc Joannis prophetiam, sed potius illi adversari, nemo legit qui non advertat: tantumque abest ut illa fulciatur hujusmodi commentum, quin potius per eam funditus evertatur. Juxta Chiliastarum hypotesim fictitium illud mille annorum regnum exordium a generali resurrectione est sumpturum. illi vero mille anni de quibus Apocalypsis, resurrectionem præcedunt, ut demonstrant hæc verba: *cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni*. quibus si addantur ea quæ loquitur Joannes in decursu capitis ejusdem: *& vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum . . . & vidi mortuos, magnos & pusillos stantes in conspectu throni . . . & judicati sunt mortui . . . & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*: per quæ, ut evidens est, describitur judicium universale quod resurrectionem subsecuturum est, nullus remanet ambigendi locus, opinionem Millenariorum Joannisque prophetiam inter se nullatenus cohærere, imo secum ex adverso pugnare. Idque clarius innotescit ex istis ejusdem verbis. *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes*, &c. quare & quomodo de carcere seu de abysso exiet, quasve gentes est seducturus Satanas, cum jam venerit, peracto generali judicio, finis universæ rei, solumque, si futurum esset, remaneret Christi regnum cum electis suis? Numquid electos post resurrectionem in æternum cum Christo permansuros tunc tem-

temporis seducet diabolus; sed possibile non erit. neque enim tentationi aut seductioni locus erit ubi in resurrectione corruptibile hoc quod ferebat in præsenti sæculo hæc caro peccati induerit incorruptionem; & aliunde transactis his mille annis regni Christi super terram, electi omnes, concedentibus Millenariis, cum capite suo sint in regno Cœlorum intuitiva Dei visione illos beante donati perpetuo futuri. Nihil ergo inter hanc Apostoli & Evangelistæ simulque Prophetæ Joannis prædictionem & Millenariorum commentum: maxima inter utrumque extat oppositio, quæ primo intuitu legentes fugere non potest, unde a diligentiori inquisitione abstinendum nobis ratio dictat.

Quisnam igitur, dicet fortasse aliquis, erit sensus prophetiæ hujus, quod namve objectum ipsius: Rem haud parum difficilem a nobis hic expostulari non diffiteor: hancque resolvere nostri non esset instituti, cum satis sit quod ostenderimus illam prophetiam nullum ordinem dicere ad Millenariorum systema. Verum ne videamur hac in re omni ex parte deficere verbis Joannis nullatenus intellectis, aliquid, quantum conjicere licet, ab Apostoli testimonio forte non alienum, pro nostra tenuitate in medium proferre tentabimus.

Christum, corpusque ejus mysticum quod est ipsius Ecclesia, ad quam ab Abel justo, ut loquitur Sanctus Gregorius Magnus in cap. 20. Matth. usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, pertinent omnes Sancti, esse quarumcumque prophetiarum objectum & terminum vel proximum vel remotum nullus est qui dissentiat. quotquot ante Verbi incarnationem extitere Prophetæ, omnes de illius adventu, vel de illius ministerio, vel de formatione ejus Ecclesiæ constanter prænuntiaverunt. a mortis ipsius & resurrectionis tempore quidquid prophetice locuti sunt sancti Dei homines vere inspirante Spiritu Sancto, hoc ad illius spectare Ecclesiam; & in ipsa fore adimplendum, certissimum est. inter varias quæ in Scripturis Sanctis sparsim reperiuntur Apostolorum prædictiones, ea celeberrima est quæ legitur in libro Apocalypsis, in qua permulta circa Ecclesiam ad finem usque temporum prænuntiantur. quo tempore & quomodo consummanda sint hæc omnia ille solus novit qui ea voluit scribi. Apocalypsim Joannis pro libro canonico habet Catholica Ecclesia, de sensu illorum quæ in eo continentur non judicans nihilve definiens. prælia militantis Ecclesiæ super terram, persecutionesve quas passura est, nec non vindictam quam de persecutoribus ipsius Christus est sumpturus, ab Evangelista Joanne describi non difficile intelligitur. meretricis magnæ quæ sedet super aquas multas, mulieris sedentis super bestiam, Babylonis magnæ matris fornicationum & abominationum terræ, nominibus, de quibus cap. 17. & 18. Romam infidelem sub Imperatoribus Paganis, qui Ecclesiam Christi trecentis circiter annis acerbissime persecuti sunt, designari, quis non videt? & merito dicta est meretrix magna; quæ, ut loquitur Sanctus Leo, serm. 1. in natali Apost. Petri & Pauli, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat errori-

 bus,

bus, magnam sibi videns assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem: in qua proinde diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Hanc pro idololatria ejusque parente diabolo bestiæ nomine designatis, totis viribus per tria sæcula pugnantem, ideoque vere ebriam de Sanguine Sanctorum, & de Sanguine Martyrum Jesu, justo Dei judicio facinorum suorum pænas dantem, stupentibus populis universæ terræ præ multitudine vulnerum ejus, videt Apostolus; terminumque ipsius impietatis, Ecclesiæ tranquillitatem ejusque pacem, nec non triumphum & victorias illorum qui pro Christo ac fide certantes hac vita functi sunt prænuntiat cap. 20. simulque describit gloriosum Christi regnum super terram, hoc est, Ecclesiæ illius gloriam, ligato Dracone & misso in abyssum; quæ Ecclesiæ Christi gloria cum pace perseveratura est per mille annos: per quos indefinitum & longum aliquod temporis spatium ad permulta indeterminate sæcula se extendens exprimitur, juxta usitatum Scripturarum loquendi modum. etenim in illis mille annorum numero temporis universitas sæpissime indicatur, ut post Cyprianum notat Augustinus lib. 20. de civit. cap. 7. transacto illo tempore, consummatisque mille annis de quibus Joannes, modico tempore solvetur satanas, & adveniet Antichristus gentes seducturus, magnaque fiet persecutio in Ecclesia, & erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet, ut Matth. Cap. 24. nos admonet Christus, sed propter electos breviabuntur dies illi. descendet ignis de Cælo impios devorans, & mittetur diabolus in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia: & post hæc fiet universale judicium omnium hominum, nullo excepto, corporibus e pulvere excitatis. Hæc totius, loco laudato, prophetiæ summa, cum Joannis prophetica narratione, omni ex parte cohæret, quod breviter ostendetur: indeque melius apparebit quam immerito Joannem eo loci in suas partes trahere tentarint Millenarii.

Dria circiter post sæcula a Christi Domini ad Cælos ascensione, per quæ fere continua facta est per omnes gentes, per quas disseminabatur verbum Dei, persecutio magna, præsertim cuncta in ditione Romani imperii, jubentibus ethnicis imperatoribus, vel illorum ministris provinciarum præfectis, crescente nihilominus, Deo promovente, christianorum numero, Roma inebriata Martyrum Sanguine, quem effuderunt velut aquam, descendit Angelus de Cælo, ut viderat Joannes, apprehendit draconem & ligavit eum per annos mille; quibus feliciter incipientibus, gentes & populi cum principibus & regibus, qui convenerant adversus Dominum & adversus Christum ejus inania meditati, ex persecutoribus Christianorum facti sunt discipuli Christi, cujus Evangelio obedientes etiam Imperatores Romani, illis exemplum præbente Constantino Magno, Sacra Christi Cruce signati, Sanctæ ipsius religioni, facti idololatriæ ejusque fautoribus infensi, palam patrocinari cæperunt. Tunc imperii sui fines ubique terrarum gloriare dilatans Christus, cui Deus dederat gentes hæreditatem suam, ut verus Deus æternique Patris Filius pro communi hominum salute factus homo, ab omnibus successive nationibus

cœ-

cœpit adorari. memoriæ Martyrum, quæ clam & vix, vigente persecutione, a Christianis frequentabantur, publice celebrari cæperunt, sacrisque ipsorum reliquiis honor palam redditus est; simulque cum ipsis Sancti Confessores, qui etsi Martyrio usque ad sanguinis effusionem non fuerant coronati, Christum tamen coram Tyrannis non erubescentes, ipsum libere confessi fuerant religioso cultu sunt honorati, juxta prænuntiatum a Joanne dicente, & vidi sedes . . . . & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei. quid enim aliud significatur per illas sedes, & per judicium quod datum est super illas sedentibus, animabus videlicet decollatorum, eorumque omnium qui bestiam non adoraverunt, nec characterem ejus acceperunt in frontibus suis, nisi honor ille triumphi quem ipsis decernit ab eo tempore ritu solemni Sancta Christi Ecclesia illorum merita exultans, fortiaque eorum gesta pangens: quibus Christi Martyribus ac confessoribus sociandos deinceps judicavit Sanctos illos & justos quorum mortem prætiosam in conspectu Domini fuisse non ambiguis indiciis agnovit? Hi omnes quorum triumphis congaudet populus Christianus, vere vivunt apud Christum & cum ipso regnant per mille annos; horumque regnum, cujus gloriam & magnificentiam narrat Ecclesia, vere pro ipsis est prima quædam resurrectio, cujus consortes non sunt cæteri mortuorum, qui, licet mortui in Domino, in memoria hominum non vivunt, ignotis ipsorum meritis, perfectaque illorum justitia ecclesiæ, quæ vere est Christi regnum super terram, non manifestata, nec manifestanda donec consummentur mille anni. Beatus & Sanctus, ait Joannes, qui habet partem in resurrectione illa prima. & reipsa beati hi omnes qui jam vivunt & regnant cum Christo, cum exinde in his non habeat potestatem mors secunda; sed sunt sacerdotes Dei & Christi, se ipsos & laudum sacrificia Deo & Christo per æterna sæcula offerentes.

Consummati cum fuerint mille anni illi quorum durationem solus agnovit qui omnia tempora in sua posuit potestate, solvetur Satanas de carcere suo & exibit & seducet gentes, vices illius agente super terram Antichristo, quem pseudoprophetæ nomine designat Joannes. acerbissima erit illis diebus persecutio adversus Sanctam civitatem & Sanctos, id est ecclesiam piosque in ea degentes. verum post modicum tempus, quod nonnulli trium circiter annorum futurum esse arbitrantur, descendet ignis a Deo de Cælo, ministros impietatis, filiosque perditionis devoraturus; mitteturque diabolus qui illos seducebat, in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. statim autem post tribulationem dierum illorum, sedente super sedem majestatis suæ Filio hominis, a cujus conspectu fugit terra & Cœlum, & locus non invenietur eis, mortui magni & pusilli, (mari, morte, ac inferno dantibus mortuos suos qui in ipsis erant) stabunt in conspectu throni, & libri aperientur, & ex his quæ in libris erunt scripta, judicabuntur mortui secundum opera ipsorum: cumque de singulis fuerit judicatum, mors & infernus mittentur in stagnum ignis, cum iis qui in libro vitæ inventi non fuerint scripti. Hæc est mors secunda. justi vero hac in secunda resurrectione corporibus resum-

 ptis

ptis transferentur in Cœlum, cujus gloriam ac splendorem sequenti capit. 21. describit Joannes allegorice sub nomine civitatis Sanctæ, novæ Jerusalem.

Ex sic intellecto juxta literam Apocalypsis vigesimo capite, cujus genuinum sensum attigisse nobis videmur, colligere cuilibet facillimum est, nihil in eo ex quacumque parte reperiri quo vel tantillum fulciatur Millenariorum hypotesis, ab intento verbisque Joannis radicitus dissidens. unde ut illud opponentibus directe respondeatur, non videtur eo recurrendum esse ut dicatur, totam illam prophetæ narrationem esse allegorice explicandam: hæc enim responsio indirecte supponit quod si litteraliter sumatur, Millenariis favere quodammodo potest, quod penitus falsum ostendit ipse textus in se simpliciter & prout sonat sumptus. Id unum obiter contra nonnullos Theologos istius testimonii Joannis expositores liceat observare, per verba illa v. 5. *cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*, non posse intelligi animas impiorum utpote morte peccati qualibet vita destitutus: neque enim consummatis etiam mille annis vivent, sicuti vere sunt victuræ illæ de quibus eo loci Joannes, ut non obscure indicat illud temporis adverbium *Donec*, quod est inclusivum, non vero exclusivum. unde in sensu supra exposito hæc sunt accipienda. nec pariter per Angelum habentem clavem abyssi, & catenam magnam, designatur primus Christi adventus, sævitiam dæmonis ejusque potestatem cohibentis, cum inferni malitia etiam adversus ipsum Christum quadamtenus prævaluerit dum fuit cruci affixus, & per tria sæcula in ipsius discipulos crudelissime sævierit; ideoque hæc diaboli in vinculis conclusi servitus ad Constantini iisque tempora videtur differenda; unde juxta allatam superius expositionem id est intelligendum.

ASSERTIO SECUNDA.

Justorum Animæ quæ e corporibus exeuntes nihil habent purgandum, ad supremam Cœli beatitudinem, claramque Dei visionem absque mora esse admittendas tenet omnis catholice sentiens.

Istud fidei nostræ caput & Christianæ spei veluti fundamentum, non minus Sacræ Scripturæ testimoniis nititur, quam Ecclesiæ definitionibus, traditionisque auctoritate: unde e catholicorum numero expungendus jure censetur qui contradicit. cognitionem quam de Deo habemus in præsenti sæculo comparans cum illa quam habituri sumus post mortem Apostolus, non ambigue significat epist. 1. ad Corinth. cap. 13. statim a morte visione intuitiva justorum animas fore donandas: ait enim, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Ne autem procrastinandam quis existimaret summam illam vitæ futuræ felicitatem, illud *tunc* de indefinito quodam tempore intelligens subjungit, nunc *cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*; cum scilicet *venerit quod perfectum est*, atque *evacuabitur quod ex parte est*, vitæ præsentis tempore; qua transacta adve-

adveniente morte corporis, *sive prophetiæ evacuabuntur*, *sive linguæ cessabunt*; *sive scientia destruetur*: sola in æternum remanebit Charitas quæ numquam excidit. eodem igitur modo quo vita futura præsentem immediate subsequitur, ita imperfectæ Dei cognitioni hujus incolatus, illico succedet clara Dei visio in æternitate mansionis. Hac spe munitus, illaque fide fretus idem Apostolus, cui vivere Christus erat, lucrum reputabat mortem qua in cælo cum illo statim se futurum sperabat, æterna beatitudine & intuitiva Dei visione potiturus. Hinc desiderium illud vehemens quo pressus scribebat epist. ad philip. cap. 1. *mihi... mori lucrum... coarctor autem... desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. eo tendere piorum vota ut corpore soluti Deo illico fruantur eleganter describit epist. 2. ad corint. cap. 1. his verbis. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes... nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum*. ut quid ingemiscerent gravati fideles, & Paulus cum ipsis, si ut primum corpore solventur, se videre Deum per speciem, hoc est intuitiva visione, & cum illo esse in cælo non firmissime sperarent?

Eamdem veritatem confirmant hæc Pauli verba de Christo ascendente in cœlum sic loquentis epist. ad Ephes. cap. 4. *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*. credit enim Ecclesia Patriarcharum, prophetarum, cunctorumque justorum animas e lymbis ubi detinebantur exeuntes, tamquam victoriæ Christi trophæum cum ipso cælum fuisse ingressas. de Ecclesia triumphante in cœlis hæc scribit epist. ad Hebr. cap. 12. *accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem Cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum & Spiritus justorum perfectorum, & testamenti novi mediatorem Jesum*. quibus omnibus si addantur hæc Joannis verba Apocal. cap. 7. *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus... stantes ante thronum & in conspectu agni amicti stolis albis*, &c. evincitur aperte ex Scripturis, non expectata judicii die, sed absque mora animas justorum sine macula decedentium æterna beatitudine frui, Deumque in cælo intuitive videre.

Nec tacenda judicamus ea quæ latroni in cruce locutus est Jesus, Luc. cap. 23. *ille dicebat ad Jesum: Domine memento mei: cum veneris in regnum tuum*. & dixit illi Jesus: *amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso*. Hæc enim pro assertione nostra aperte pugnant: nec ullo modo ambigua esse, sed magno referta lumine asserimus, quidquid Petavio, quem sequitur Juenin, videatur. quid paradisi nomine eo loci sit intelligendum, an cœlum, an sinus Abrahæ, an aliquod aliud voluptatis receptaculum, parvi refert. de loco,

loco, ut ita dicam materiali, frustra quæritur. quis enim negaret cælum vel Paradisum, vere esse ubicumque animabus justis Deus se, ut est in se, exhibet præsentem, ac remuneratorem, magnificum se ostendit; eo modo quo loquitur Christus, nullum relinquit ambigendi locum. si dixisset simpliciter, hodie eris in paradiso, quædam circa locum vel Paradisum difficultas probabiliter efformaretur. sed addendo *mecum*, cuicumque difficultati ac dubio occurrit. ibi juxta veracissimum Christi promissum fuit fortunati illius latronis anima, ubi fuit ipsa Salvatoris Jesu anima: præcisa sunt, non obscura, verba Christi promittentis. visione Dei intuitiva donatam fuisse Christi animam, qua semper, ob unionem hypostaticam naturarum utriusque divinę & humanę, potita est, nullus diffitebitur, ideoque ex perpetuo divinitatis consortio beatus extitit Christus licet viator, etiamque dum cruci affixus mortem pro hominum salute subibat; ad ejusdem divinitatis consortium eo ipso die pervenisse latronem, quamvis non eodem modo quo Christus, privilegio equidem particulari, fatendum est; alioquin frustranea, saltem ex parte videretur spes ipsi data a Christo, quem suis non exacte stetisse promissis arbitrari quis posset, quod vel cogitare blasphemum esse nemo ibit inficias.

Idem fidei caput quod Sacris nititur Scripturis confirmat Ecclesiæ auctoritas. in formula seu professione fidei græcorum & latinorum in Concilio Lugdunensi secundo hæc habentur. *credimus illorum animas qui post Sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutæ... sunt purgatæ, mox in cælum recipi.* Huic definitioni in decreto unionis concilium Florentinum addit, *& intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* unde concilium Tridentinum sess. 25. docet *Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre... illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, impie sentire.* id etiam decretis summorum pontificum roboratur. sic Benedictus XII. in extravaganti quæ incipit, *Benedictus Deus*, de qua Raynaldus ad an. 1336. definit animas Sanctorum ante corporum resurrectionem ac generale judicium visuras esse Deum visione, ut ait, faciali & intuitiva: damnatque eos ut hæreticos, qui verbo aut scriptis scienter & pertinaciter contrarium tenuerit. Huic veritati ante ipsum decreto solemni, subscripserant Innocentius III. cap. Apostolicam extrav. de Presbytero non baptizato, & cap. majores, de Baptismo. Clemens IV. Nicolaus III. Nicolaus IV. apud Raynaldum, atque etiam Joannes XXII. illud non semel professus est, ut idem observat ad an. 1331.

Hoc Catholicum dogma constanti traditione niti ostendit unanimis Patrum consensus, cui officere nullo modo potest quorumdam Papiæ adhærentium oppositio. præter eos quos supra laudavimus, nonnullos priorum sæculorum iterum audire juvat. quid primis Ecclesiæ diebus hac de re credebatur, testantur revelationes illæ quas sibi factas refert in libro Pastoris Hermas vir inter fideles magni nominis Apostolorum Coætaneus, qui lib. 3. simil. 8.

de

de mystica illa turri sub cujus specie cœlestis felicitas illi repræsentabatur loquens, alios turrim ingressos ut coronentur commemorat, aliis in terra dimissis ut pœnitentiam agant. in turrim euntes, inquit Pastor, coronati sunt, quicunque luctati cum diabolo, vicerunt eum: satisfecerunt legi & servaverunt eam.

Clemens Romanus in priori ad corinthios Epistola: *Accipiamus*, inquit, *præ oculis nostris bonos Apostolos Petrus... multos sustinuit labores; atque ita Martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum... Paulus patientiæ præmium obtinuit, & sub principibus Martyrium passus... in locum Sanctum abiit... His viris qui divinam vitam duxerunt aggregata est ingens electorum multitudo*. quis sit ille gloriæ locus in quo præmiatur virtus, quis non intelligit?

S. Ignatius instante Martyrio ad quod ardenti studio properabat, hæc ad Romanos scribebat. *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci... finite me purum lumen haurire*.

S. Polycarpus Apostoli Joannis auditor in Epistola ad Philippenses sic de Sanctis Apostolis loquebatur: *persuasi quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, sed in fide ac justitia, & quod in debito sibi loco sint apud Dominum cum quo & passi sunt*. ab ipsius doctrina non recedens Smyrnensis Ecclesia cujus ille erat Episcopus, de martyrio Sancti Polycarpi scribens sic de Martyribus loquebatur. *respiciebant ad ea bona quæ tolerantibus reservantur, quæ nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt; ipsis autem a Domino monstrabuntur*. postea Polycarpum ad Dominum sic orantem inducit: *Benedico te qui me in hunc diem, horamque hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio Martyrum tuorum, inter quos utinam suscipiar hodie coram te in Sacrificio pingui & accepto*. Deinde ad eumdem Polycarpum rediens prosequitur; *per tollerantiam devicto injusto præside, sicque immortalitatis corona accepta, cum Apostolis, omnibusque justis exultans Deum glorificat*.

Adeo universaliter credebant Christiani secundo ecclesiæ sæculo Martyres statim a morte sempiterna beatitudine in conspectu Dei donari cum aliis justis ut de Sancto Polycarpo affirmabant Smyrnenses in sua Epistola circulari, ut in actis Sanctæ Symphorosæ & septem filiorum ejus hæc leguntur. *Elegerunt magis decollari, quam vinci: passi mortem, inter Angelos cum rege æterno vita fruuntur in cœlis*. dicatque circa idem tempus in sua pro Christianis apologia Athenagoras: *persuasi sumus, nos in hac mortali vita defunctos, alterum hac terrestri longe meliorem, nempe cælestem, victuros apud Deum & cum ipso*.

Eleganti stylo eidem veritati testimonium perhibet Sanctus Martyr Cyprianus lib. de Mortalitate, in fine sic loquens. *amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos & laqueis sæcularibus exsolutos, Paradiso restituit & regno Cœlesti... patriam nostram Paradisum computamus... Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum; Filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. qualis illic Cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quam summa & perpetua felicitas? illic*

lic Apostolorum gloriosus Chorus : illic Prophetarum exultantium numerus : illic Martyrum innumerabilis populus..... triumphantes illic virgines:... remunerati misericordes... ad hos, fratres dilectissimi avida cupiditate properemus, & cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat optemus. & tractatu de exhortatione ad Martyrium circa finem hæc habet. *quanta est dignitas & quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus? Tum feliciter migrandi, quanta velocitas? terris repente subtraheris, ut in regnis cælestibus reponaris.*

S. Basilius homil. in 40. Martyres, illos sic alloquitur. *vos non terra contexit, sed cœlum excepit: apertæ sunt vobis Paradisi portæ: dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & justis omnibus spectaculum.* His similia habet pluribus in locis. ipsumque sequitur S. Gregorius Nazianzenus, Appollinaristas Millenariis adhęrentes cum eo impugnans. pręclara sunt ea quę habet orationibus in Cęsarium fratrem, in Gorgoniam sororem, in mox laudatum Basilium Magnum, aliisque in locis: quibus, sicut & iis quę in Pulcherię laudem, ac in encomio Sancti Ephrem scribit S. Gregorius Nyssenus, ostenditur nedum Martyribus, sed & aliis justis ex hac vita migrantibus nihil purgandum habentibus, statim concedi beatificam Dei visionem, æternamque in cælo felicitatem; hancque fuisse eorum temporibus totius Ecclesiæ fidem, cui testimonium similiter perhibent Cyrillus Hierosolymitanus & Pictaviensis Hilarius. ipsis adjungeremus Ambrosium & Augustinum, atque etiam novissimis pro temporibus Claravallensem Bernardum nisi de iis fusius essemus infra dicturi.

Omnibus nota sunt quæ Orat. Panegyrica de S. Philogonio habet S. Joannes Chrysostomus. *Maximopere gratulor hujus Sancti felicitati*, inquit, *quod quamquam translatus est, atque hanc quæ apud nos est, civitatem reliquit, tamen in alteram adscriptus est civitatem, nempe Dei: & digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis, ac relictis hisce festis transiit ad celebritatem Angelorum.* Huic Cyrillum Alexandrinum, Sanctum Leonem I. Sanctum Fulgentium Ruspensem Episcopum; Sanctum Gregorium Magnum, pluresque alios adjungere possemus. si enim a quarto sæculo, excipiatur Lactantius eloquentia & grammatica celebrior quam Theologicis & Ecclesiasticis doctrinis, cui possunt accenseri perpauci inferioris etiam doctrinæ, omnes alios, quotquot fuere Episcopi, hominesque cujusdam celebritatis in Ecclesia, inveniemus Millenariorum deliriis contrarios, & adversus illos nobis consentientes pro fide catholica totis viribus certantes: quidquid in oppositum garrire queant recentiores hæretici.

His omnibus, ex quibus invicte colligitur a primis Ecclesiæ diebus ad nostra usque tempora, omnes Ecclesiæ Patres, renitentibus licet paucissimis, iisque ex maxima parte pertenuis ingenii, mediocrisque doctrinæ, constanter tradidisse, animas justorum quæ nihil purgandum habebant, fuisse statim a morte cætibus Angelicis in cælo sociatas cum Sanctis Martyribus, Deique conspectu in æterna felicitate potitas; his omnibus, inquam, accedunt,

Ec-

Ecclesiæ orationes de eadem fide testantes, hymni, publicæque preces. sive apud græcos, sive apud latinos, ut unicuique facillimum est investigare: nec non perpetua ejusdem Christi Ecclesiæ consuetudo Sanctos invocandi, ipsisque triumphi honorem decernendi, eo quod mundi principe superato, victores ascenderunt in cœlum cum immensa supellectili meritorum, ut loquitur Bernardus, de manu Domini, in cujus potentias introierunt, coronam victoriæ accipientes. ii autem Ecclesiæ usus a primis diebus, non invaluit, nisi quia semper credidit ut indubitatum quid, justorum animas, ut dictum est, statim a morte intuituiva Dei visione gaudere.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. Objectio. Æterna felicitate, intuitivaque Dei visione non fore potituras justorum animas, licet nihil purgandum habentes, nisi post generalem mortuorum resurrectionem in fine temporum directe infertur ex illa Christi parabola Math. cap. 20. in qua Paterfamilias qui diversis diei horis operarios conduxerat in vineam suam, sero per procuratorem vocatis operariis mercedem eamdem singulis reddit, denarium videlicet unicuique retribuens. Denarium æternam felicitatem significare; per vesperam intelligi mundi finem: Patremfamilias esse Deum, certissimum est. vita igitur æterna, Deique visione non præmiabuntur electi nisi post finem diei, omnesque simul & eodem tempore; quod minime dici posset posita veritate assertionis.

Resp. Quoquo modo intelligatur illa parabola quæ plures patitur interpretationes, intentum ex ea minime habent a quibus hæc nobis opponitur. Patremfamilias esse Deum, denarium significare vitam æternam intuitivamque Dei visionem, id libenter concedimus ut pote instituto Christi parabolam proponentis vere consonum. at per vesperam designari mundi finem, id non damus, existimantes per eam significari uniuscujusque obitum, & eodem tempore unicuique hominum a Deo retribui secundum opera sua. parabolam illam proponens Christus duplex videtur habuisse intentum. unum, nemini desperandum esse de sua salute quandiu in terris degit, & unumquemque post hujus vitæ decursum mercedem plenam accepturum quacumque hora vocatus a Deo fuerit, sive mane, hoc est in juventute; sive circa undecimam, hoc est in ultima vitæ periodo vel senectute, modo corde sincero, rectoque animo fuerit ad Dominum conversus, & usque in finem perseveraverit. aliud, Judæis, non esse superbiendum de sua primæva vocatione ob legem ipsis per Moysen datam, quam observantes, pondus diei & æstus portaverunt: Gentiles tamen circa mediam mundi ætatem a Deo vocatos ipsis pares esse futuros, ac etiam anteponendos, si fideles magis in mandatorum observatione reperti fuerint, & plus abundaverit illorum justitia quam Judæorum, qui se credebant a Deo plus Gentilibus accepturos fore. istud autem fuisse præcipuum Christi institutum ostendit clausula ab ipso adhibita: sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim

sunt vocati pauci vero electi. His ita expositis cum maximo Sanctorum Doctorum numero, gratis nobis hanc parabolam opponi facile intelligitur. ceterum cum Tertulliano, Chrysostomo, Augustino, aliisque juvat observare parabolas non esse curiosius excutiendas sed ad mentem eas proponentis esse attendendum. & aliunde ad litteram illa usurpata, & de vita beata quę justis retribuetur, sed differenda ad universale judicium usque, intellecta, ex illa multa incongrua, falsa atque absurda sequerentur, ut cuilibet illam legenti fit illico manifestum.

2. *Objectio*. Dilationem ęternę beatitudinis usque ad diem universalis retributionis, cum ea omnes simul donabuntur justi, non obscure indicat Apostolus Paulus Epist. ad Hebr. cap. 11. & Joannes in Apocalypsi. de Patriarchis, Prophetis, aliisque justis veteris testamenti hæc scribit Doctor gentium: *juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas salutantes.... Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. His similia aliquo modo sunt quę scribit Joannes cap. 6. his verbis. *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes; usquequo Domine.... non judicas, & non vindicas Sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? & datæ sunt singulis stolæ albæ: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi*. ut quid autem clamarent Sancti, quidve expectandum haberent, si ęterna beatitudine jam donati Dei consortio fruerentur?

Resp. Talia ex Sacris Scripturis nullum directe vel indirecte dicentia ordinem ad pręsens propositum pro arbitrio nobis opponere, Heterodoxo quid juvat? necessitatem ac meritum fidei, qua Dei promissis firmiter credimus, commendat eo loci Apostolus, fideles ad patientiam, quę necessaria est ad reportandas repromissiones, exhortans, & confortans exemplo Patriarcharum & Prophetarum quos commemorat; qui verbis Dei credentes operati sunt justitiam, tempus expectando quando secundum verbum suum cum ipsis facturus erat Deus: scientes se mercedem ab ipso aliquando consecuturos; non quidem in præsenti sæculo, sed in cælesti patria, quam quodam modo poterat adumbrare terra Chanaan, pro qua juraverat Deus ad Abraham & semen ejus, quam nihilominus quammulti ex filiis ejus non obtinuerunt: illi vero qui in ea demorati sunt, ibi fuerunt tamquam in aliena terra, confitentes quia peregrini erant & hospites in præsenti sæculo, veram patriam inquirebant, illam nempe civitatem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor Deus, ut ibidem ait Apostolus. Hac fide armati, redemptionem quam populo suo, omnique humano generi missurus erat Deus, præstolabantur, tribulationes, variasque calamitates, quibus persæpe in terra abundat, Deo permittente, justorum vita, patienter sustinentes, donec plenam & perfectam repromissionem acciperent. Hanc autem cum non possent adipisci nisi post adventum Messiæ (juxta cujus fidem omnes isti defuncti sunt) qui per suam resurrectionem mortis vincula rumpens, captivam ducturus erat captivitatem in cœlum

lum cum ascenderet, merito dicit Paulus hos omnes testimonio fidei probatos non accepisse repromissionem, Deo aliquid melius providente pro Christianis, qui statim a morte ingrediuntur in cælum, quod ante Christi ascensionem cunctis claudebatur; unde omnes veteris testamenti justi sine nobis non sunt consummati. ex hac autem Apostoli narratione qui concluderet differri consummationem illorum, & etiam Christianorum usque ad generalem mortuorum resurrectionem, eo sensu quod visione beatifica, gloriaque cælesti antea justorum animæ non donentur, nec minimum apud Apostolum verbum reperire est quo fundetur erronea hæc sententia.

Nec magis urget testimonium ex Apocalypsi desumptum, in quo nihil est quod cum assertione pugnet, quin potius: animæ enim quas vidit Joannes subtus altare sunt in cœlo, cum, Christus quem significat agnus tanquam occisus, sit super altare. infra Christum sunt Sancti, visione beatifica cum ipso donati, nec quidquam pro suæ felicitatis complemento postulantes, quam in generali mortuorum resurrectione, resumptis corporibus suis, omnimode complendam esse indubitanter sciunt. unde illos de glorificatione corporis sui, quæ ut beatitudo accidentalis, qua fraudari non possunt, debet considerari, anxios esse minime crediderim, cum Deum intuitive videnti, sicque essentiali beatitudine fruenti, nulla inesse possit anxietas. quod si juxta illud desiderium de conglorificatione suorum corporum, quam ad diem usque judicii differendam esse non ignorant, quamque minime accelerandam esse, etsi ad Deum pro illa clamarent, certo noverunt, hunc Apocalypsis locum serm. 3. in festo omnium Sanctorum interpretatur Sanctus Bernardus, id stylo oratorio loquitur, & juxta sensum accommodatitium, qui ad dogma catholicum firmandum vel impugnandum, nullius est usus, cum nihil directe, vel in sensu proprio, possit ex illo concludi. concedam tamen stolam albam quam singulæ animæ acceperunt designare felicitatem & requiem illarum, ut ait Bernardus; quamquam hæc metaphorice potius accipienda videatur, & de corona victoriæ quam pro fide Christi morientes martyres reportaverunt intelligenda. quidquid ergo clamabant animæ illæ pro vindicta sanguinis, ille intelligit cui non est ignotus modus loquendi Prophetarum futura nuntiantium veluti præterita jam fuisset aut saltem præsentia, multisque persæpe figuris in narrando utentium aut similitudinibus, sub quarum umbra delitescit verus ac præcipuus prophetiæ sensus, non raro diversus ab illo quem verba pro ut sonant præseferre videntur, quique aliquando ipsum latuit prophetam. in cælesti gloria ante thronum Dei assistentes justorum animæ nullo possunt inordinato affectu moveri, qui incompossibilis est cum consummata illa qua flagrant charitate in Deum atque etiam in proximum: ideoque non nisi metaphorice vindictæ cupidi supponi possunt: imo gloriam Dei zelantes, conversionem & salutem illorum a quibus persecutionem passi sunt enixe deprecantur, quos felicitatis suæ consortes vellent habere. mysticus aut allegoricus ille clamor martyrum quem audivit Joannes, est principium prophetiæ de vindicta quam Deus sumpturus erat de tyrannis populisque infidelibus qui ecclesiam Christi ejusque di-

scipulos atrociter ut alias diximus, persequebantur. verum cum hæc suum tempus haberet juxta divinæ sapientiæ decreta, & maximum gloriosumque testimonium durante persecutione fides habitura esset ex morte martyrum, quorum sanguis futurus erat semen Christianorum, pacemque ecclesiæ suæ non daturus esset nisi post tria circiter sæcula, audivit Joannes quod animabus illis dictum est, ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec martyrum qui adhuc, interficiendi erant, numerus impleretur. interea animas illas videt Joannes singulas habentes stolas albas in signum felicitatis ac lætitiæ ante thronum in conspectu agni, & palmæ in manibus eorum, ut narratur capite sequenti. Nec temere dixerim palmas quas habere videntur in manibus idem significare ac stolæ quibus vestiri dicuntur, & vicissim stolas idem esse ac palmas, quæ improprie ac metaphorice accipi debent, cum neque vestiri neque manus habere animas in sensu proprio & litterali dici possit. His sic expositis juxta verum Scripturæ sensum, in quantum conjicere licet ex prophetica narratione, circa quam nec Ecclesia, nec Sancti Doctores relative ad illius interpretationem determinarunt quidquam, facile intelligitur hunc locum Apocalypsis frustra nobis opponi, & ex illo adversarios nullo modo directe vel indirecte posse in nos argumentari. unde in forma iis omnibus responderetur negando illationem, ob totalem defectum cohærentiæ inter illatum & testimonia ex quibus illud quod intendunt, infertur. sicque permultis vanisque subtilitatibus, quæ sunt extra propositum, nihilque ad quæstionis elucidationem inserviunt, obviaretur. Neque enim video quid veritati, aut concertantium utilitati conferat, testimonia Sacræ Scripturæ aut Sanctorum patrum explicare ut concilientur cum propositione quæ impugnatur, quando ex illis adversus eam legitima illatio esse non potest. qua forte ingrata, nimium inter Scholasticos invaluerit rescindendus ille abusus, ex quo multa oriuntur incommoda persæpe studentibus nociva, quis novit?

3. *Objectio*. Perplura sunt Sacræ Scripturæ loca quæ vix intelligi possunt si de dilatione æternæ beatitudinis ad diem usque judicii non intelligantur, ut sunt ea in quibus Christus loquitur de separatione bonorum a malis quæ fiet in die illa, quando congregabuntur ante eum omnes gentes: quod confirmari videtur per ea Apostoli verba dicentis, *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, ut habetur 2. Epist. ad Timoth. cap. 4. ad quæ accedunt ista 1. Epist. ad corinth. cap. 15. *si mortui non resurgunt .... ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. quibus similia fere sunt illa quæ leguntur lib. 2. Machab. cap. 13. *Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*. quibus addi possunt hæc Joannis verba Epist. 1. cap. 3. *scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est*. Hæc autem non nisi in secundo Christi adventu vere sunt complenda. ad illum ergo differenda est cœlestis beatitudo, ad quam statim a morte non admittuntur justorum animæ, etsi nihil purgandum habeant quando vita funguntur.

Resp. Ex iis omnibus Scripturæ momentis, quæ post Calvinum lib. 3. in-

stit.

ſtit. cap. 25. ab Heterodoxis opponuntur, vix unum eſt quod reſpectum habeat quemdam ad intuitivam Dei viſionem, æternæque Beatitudinis fruitionem. eapropter juxta id quod modo obſervabamus, de iis non indecore tacere poſſemus; verumtamen ne imperito cuidam nos vinci difficultate dicendi locum dare videamur, dicemus, quod ſi juſtorum Beatitudinem ad ultimum uſque Chriſti adventum ſuſpenderet Scriptura quodam in loco, quod non concedendum exiſtimamus, id eſt intelligendum de Beatitudine totali & generali, quando ſcilicet juſti omnes, illorum animabus ſuis corporibus denuo unitis in generali reſurrectione, poſt latam a ſupremo judice ſententiam, ſimul ibunt in vitam æternam totali donati beatitudine corporis & animæ. ſed exinde non evincitur juſtos ex hac vita migrantes ſtatim a morte in cæleſtem patriam non evolare felices quoad animam ſemper futuros, quos intuitiva Dei viſione abſque mora gaudere ex ipſa Scriptura oſtenſum eſt. ſi de ultimo loquatur judicio Chriſtus Dominus, de futura beatitudine quantum ad tempus in quo unuſquique illa eſt donandus nihil cogitat. hominum, quibus in die illa tremenda nullus amplius erit pœnitentiæ locus, vigilantiam excitare vult; ideoque manifeſtationem boni & mali, juſtorumque ab iniquis ſegregationem cunctis ſpectantibus creaturis, unoquoque noſtrum pro ſe rationem redditturo, ob oculos ponit, diverſas iſtius univerſalis judicii circumſtantias commemorans, quarum memoria timor utilis animis incutiatur. noſque omnes in ſuo illo adventu paratos invenire deſiderans, hortatur ut continuo vigilemus quia neſcimus diem neque horam.

Timotheum hortans Apoſtolus ut adverſus falſos doctores Evangelium Chriſti adulterantes fortiter & cum fiducia prædicet, patienter tolerando quæcumque infligentur adverſa, illumque per Chriſtum judicem obteſtans, illi prædicit futuram ſuam paſſionem, oſtenditque ſe a Prædicatione Evangelii non ceſſaſſe etſi permultas habuerint perferendas perſecutiones, pro quibus ſperat nihil hæſitans in fide, ſe a Deo juſto judice mercedem plenam accepturum eſſe, quam vocat coronam juſtitiæ, non ſibi ſolum reddendam, ſed & iis qui Chriſti judicis adventum diligunt: quæ omnia loqui videtur eo loci Apoſtolus, ut ſuo exemplo animos addat Timotheo, ut eadem fide armatus, eademque ſpe munitus pro nihilo habeat quidquid illi poſſet mali advenire miniſterium ſuum adimplendo. alius eum non ſit eo loci Pauli ſcopus, ut ex ſola lectione evidens eſt, gratis opponi hæc verba pariter evidens eſt: nec ex illis in præſenti diſſertatione aliquid pro vel contra inferri poteſt.

Multo minus ſunt ad propoſitum alia ejuſdem Apoſtoli verba, ſi mortui non reſurgunt, &c. in Chriſti Domini Reſurrectione totaliter fundari Chriſtianæ fidei certitudinem, illaque ſola niti ſpei noſtræ firmitatem oſtendere volens Paulus, optime argumentatur ex veritate Reſurrectionis Chriſti. Si enim Chriſtus non reſurrexit, nec nos, quorum futuræ aliquando reſurrectionis certitudo non aliud habet fundamentum præter illam quam prædicamus jam peractam Chriſti reſurrectionem, reſurgemus. Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt fides noſtra. Si mortui non reſurgunt,

gunt, ergo & qui dormierunt in Christo perierunt: nos quoque qui in hac vita solum in Christo sperantes sumus, si non est resurrectio mortuorum, miserabiliores sumus omnibus hominibus. & reapse miserabiliores, qui dura & terribilia pro Christi Evangelio ac fide patimur, sperantes nos plenam mercedem pro passionibus in resurrectione reportaturos fore, ab illa spe decidimus, in vanum laboramus. si a nobis hac vita functis solum superest sepulchrum, quid ergo habebimus de labore nostro? quid juvat animam dare, sanguinem fundere pro Christo! invictissimum est illud Pauli argumentum contra illos qui animæ humanæ immortalitate negantes, futuram quam speramus corporum resurrectione fabulam reputant. unde ex veritate resurrectionis Christi certitudinem omnium futuræ resurrectionis a simili & ab exemplo legitime colligit & infert, exinde pariter ostendens non periisse qui dormierunt in Christo, nec miserabiles esse christianos, qui multo majorem spem in Christo habent pro vita futura quam pro præsenti. Hinc sequitur responsio ad textum desumptum ex libro Machabæorum. si qui ceciderant in prælio non essent resurrecturi, anima cum corpore intereunte, pro mortuis orare quid juvaret? sed anima corporis mortui superstite, sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, ut alibi ostendemus cum omnibus catholice sentientibus. interea nemo non videt utrumque præallatum testimonium esse extra propositum.

Ad verba Joannis quod spectat, licet dubitari possit illud *cum apparuerit;* an ad Christum referatur, vel ad *quid erimus:* nihil tamen contra assertionem inde colligitur. *Nondum apparuit. quid erimus*, ait Joannes, *scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicut est*. in resurrectione quid futuri simus omnes nos, nondum apparuit. Cum apparuerit quod nunc ignoramus, & ipse Christus, nobis resurgentibus, ut est Deus homo etiam epparuerit, tunc similes ei erimus, eum videntes eadem qua nos carne indutum, ut vere est. tuncque magis cognoscemus *qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus*, ex quo verus & Unigenitus filius ejus factus est homo similis nobis, ut nos homines sibi similes, efficeret filios Dei. hæc omnia si uniantur, ut mihi videntur unienda plenum habent sensum; unde veluti per inductionem ex præcedentibus prosequitur Apostolus, *& omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille Sanctus est.* quoquo tandem modo exponantur verba Joannis, id solum ex illis legitime infertur, nos Christo in resurrectione similes futuros esse, illum corporis nostri oculis in carne nostra etiam fore visuros: quod utrumque ut omnimode indubitatum speramus.

§. 4. *Objectis.* Inter priorum sæculorum Sanctos Patres qui Millenariorum commentis quadam ex parte adhæserunt, major eorum numerus distulit justorum beatitudinem in cœlis usque ad judicii diem. Sic Papias, Justinus martyr, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique. non est ergo cujusque catholice sentientis fides illa quam de justorum animabus statuit assertio.

Resp. Quidquid de prænominatis patribus fuerit, quod curiosius adhuc inquirere esset superfluum, exinde minime sequitur fidem quam proposuimus, non

non esse omnibus catholice sentientibus communem; inferendum ex præmissis solummodo esset hos Patres, re nondum satis eorum temporibus explorata, a communi fidelium sententia in quibusdam recessisse, quod ultro concedemus. Nec mirum quod Millenariorum fabulis leviter, ac ex præoccupatione mentis fascinati, intuitivam Dei visionem æternamque futuri sæculi felicitatem ad judicem usque procrastinandam existimaverint. verum præter quod sibi parum constantes fuere, ut ex eorum scriptis constat, & alii ab aliis diversa sentirent, fere omnes Patres, cunctæque ecclesiæ per orbem dispersæ, eam quam nos profitemur fidem, eodem tempore cum Ecclesia Romana profitebantur, errorque illi oppositus privatorum hominum de re nondum comperta aut recte minus intellecta litigantium, quidve de ea esset certo tenendum dubitanter inquirentium fuit opinio, nec fidelibus populis ut amplectenda umquam, etiam ab ejus propugnatoribus, nuntiata, ut illorum temporum historiæ testantur; imo hæc semper fuit a doctioribus improbata, atque etiam valide impugnata, tandemque a Romano Pontifice damnata, & ab universa Ecclesia rejecta. Non tamen hæreticos fuisse dicatur, qui bona ducti fide, aut propria decepti simplicitate, vel etiam quorumdam, pietate ac doctrina moti, opinionem illam tunc ab Ecclesia minime proscriptam tenuerunt aut propugnaverunt. ex illorum ergo Patrum testimoniis contra constantem Ecclesiæ fidem, invalide argumentari cum Socinianis Novatores, facillime etiam indocti valent intelligere.

5. *Objectio*. Sanctus Hilarius qui Millenariorum insaniæ minime adhærebat procrastinari tamen existimavit regni cælestis beatitudinem ad judicium usque: voluit enim justorum animas de corporibus exeuntes ad introitum cæli reservari, in sinu Abrahæ interim collocari, quem adire impii non possunt, donec adveniat tempus rursum introeundi in regnum cælorum. opinatus est insuper sepultis corporibus animas ad inferos descensuras fore, hunc locum, quem Christus moriens visitavit, inevitabiliter perlustraturas. quæ autem sic locutus est Hilarius in psal. 120. & 138. minime scripsisset, si animas justorum statim a morte æterna Dei eas Beatificantis visione fruituras esse credidisset: unde regnum Christi distinguit a regno Dei Patris.

Resp. Modo intricatissimo pluribus in locis fuisse locutum Hilarium, multaque de animabus a corporum discessu pro singulari genio, intellectu difficilia scripsisse certum est. animas omnes defunctorum ad inferos ex communi lege & necessario descendere ad Christi morientis similitudinem, ut putaverat Tertullianus a quo lib. de anima hanc ebibit opinionem dixit Hilarius; non tamen eas, justorum scilicet animas, illic commorari debita sibi beatitudine fraudatas voluit, nec velle poterat, cum de animarum descensione ad inferos loquatur ad imitationem Christi, qui statim ab inferis ascendit, & perpetua felicitate semper fruitus est, idemque de animabus justis sentire debuit, & revera sensisse ostendunt quæ habet in psal. 57. affirmans justos statim ab obitu judicari, & de morte transire illico ad vitam. & in psal. 141. transire in cælestem Hierusalem, in terram viventium, in Paradisi incolatum, in regnum hæreditatis. Hinc licet non facile

ca-

capiatur quare & quomodo Christi regnum distinguat a regno Dei, cum tamen nec gloriam, nec Dei possessionem excludat a regno Christi, nec sinum Abrahę separet a cœlesti Jerusalem, & aliunde in psal. 65. dicat Martyres in cœlestis domicilii habitationem consummatis hostiarum sua um sacrificiis introisse, manifestum est a nostra sententia non recedere Prędulem Pictaviensem, sed potius illam confirmare.

6. Objectio. S. Chrysostomus videtur dubitasse an justorum animę statim a morte fruantur visione Dei intuitiva: licet enim partem affirmativam aliquando sequatur, in negativam nihilominus sæpe deflectit; alicquin non assereret animas bonis ęternis non fruituras sine carne ut id dicit hom. 39. in epist. 1. ad corinth. in hæc Pauli verba: *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus*, &c. nec diceret tam justos veteris testamenti quam Christianos uno eodemque tempore omnes esse præmiandos, ait enim Deum tempus unum omnium coronarum definisse, homilia 28. in epist. ad Hebræos. & insuper paradisum alium esse a regno cælorum non existimasset, negando sinum Abrahæ in quem ex ipso feruntur justi morientes, esse cœleste regnum nobis a Deo promissum, ut aperte scripsit de bono latrone loquens, hom. 7. in genes. ut dogma ergo fidei non habuit Joannes sententiam illorum qui tenent animas justorum statim a morte ad supremam cœli beatitudinem evolare intuitiva Dei visione fruituras.

Resp. Sanctum Chrysostomum sententiam quam cum Ecclesia catholica propugnamus aliquando in dubium revocasse immerito fingitur: adeo enim aperta sunt quæ de illo supra retulimus, quibus alia non pauca, si opus esset, addi potuissent, ut in iis multum desudandum non habeamus ad infirmandam illationem quæ ex mox allatis parum sequitur. incertus fuerit Sanctus Doctor de loco in quo quiescunt animę justę, ubi situs certo dici queat, atque etiam utrum cœlum & sinus Abrahæ sit unum & idem, illud ipsi commune est cum omnibus fere veteribus, qui nihil de eo certi habent, etsi animas illas, in loco ubi sunt, intuitiva Dei visione donari, cælestique felicitate gaudere incunctanter tenuerit. de bono latrone loquens, ipsum consummatam tunc non habuisse beatitudinem, sicuti illam non sunt adepti veteres, nec adipiscentur Christiani nisi post generalem resurrectionem, ultimumque judicium, quando advenerit a Deo definitum unum tempus, ut loquitur, omnium coronarum, voluit Chrysostomus, ejusque mentem aperiens censuit Theophilactus. & revera non totaliter perfecta erit Sanctorum felicitas, nisi resumptis corporibus e pulvere excitatis, iterumque per uniuscujusque animam informatis. tunc cunctis suis partibus constante Christi corpore, cujus vera membra sunt omnes quorumcumque temporum electi, quodve donec illorum impleatur numerus, est quodammodo imperfectum, ipsis in unum cum suo capite Christo in æternum radunatis, consummationem obtinebit Sanctorum beatitudo, cui aliquid perfectionis deest quandiu super terram adhuc militant nonnulli eorum quos elegit Deus ante mundi constitutionem. non sequitur tamen exinde beatas jam non esse ex intuitiva Dei visione animas justorum quæ nihil habebant purgandum mortuo

tuo corpore, ex quo ascendente in cœlum Christo apertæ nobis sunt januæ cœli. Nec alia fuit mens Chrysostomi, aliorumque Sanctorum Patrum, si ad illorum scopum attendatur, recteque pensetur eorum verba.

Nec movere debent ea quæ stylo oratorio scripsit Chrysostomus hom. 39. in mox laudata Pauli verba: nihil enim protulit quod non sit veritati omnimode consonum, mentemque Apostoli est optime assecutus. nam, ut diximus eumdem locum interpretantes, si corpora non resurgunt, nec anima corona donabitur. non quod anima absque corpore beatitudinis aut coronæ sit incapax: hancque non attingit quæstionem S. Doctor; sed quia mortuorum resurrectio fundata in Christi resurrectione, est fundamentum spei nostræ: hac quodammodo nituntur omnes promissiones a Christo factæ, quæ, nobis non resurgentibus si non est resurrectio mortuorum, nihil aliud sunt quam verba, quibus credentes Christiani in hac vita tantum sperantes in Christo, miserabiliores essent omnibus hominibus. in hac hypotesi animarum gloriam Chrysostomus negat: & nos illam cum ipso pariter negaremus: non vero posita fidei nostræ & spei firmitate, juxta cujus principia indubitata idem ac nos profitemur dogma vere professus est Constantinopolitanus Joannes.

Objici, adhuc solent adversus quam defendimus fidem, orationes Ecclesiæ ac liturgiæ veterum Patrum, in quibus preces ad Deum funduntur pro omnibus defunctis absque ullo discrimine, sive quid purgandum habeant sive non, ut locus quietis ac refrigerii ipsis concedatur: atque etiam in nonnullis fit mentio virginis Deiparę, Apostolorum, Martyrum, & aliorum; quod frustra Deus postularetur, si existimaret Ecclesia jam illis æternam felicitatem a morte fuisse concessam. verum parum esse in eis difficultatis mox advertet, quisquis liturgias & orationes legens intellexerit non eamdem esse precum rationem, nec unum esse illarum omnium finem. Beatam Virginem Mariam, aliosque Sanctos in missæ Sacrificio commemorans Ecclesia de illorum triumphis ac glorificatione Deo gratias agit, & ut illorum adjuvemur intercessionibus deprecatur, illisque defunctis, qui nondum purgati, ad Sanctorum non transiere consortium, prosint merita eorum, qui, nihil purgandum habentes, stant ante tronum Dei, intuitiva illius visione donati. unde Ecclesiæ preces quæ generatim, & inidistincte pro quibuscumque defunctis fiunt, ad diversum scopum & finem juxta intentionem Ecclesię sunt referendę per accommodam distributionem, ita ut purgandis cælestem claritatem peroptantens, hancque pro ipsis absque mora suppliciter expostulantes per intercessionem Sanctorum quorum memoriam celebramus, illos quibus victoriam & felicitatem gratulamur, Deo pro beneficiis illis collatis debitas reddentes laudes, patronos & advocatos apud ipsum habere possimus, eorumque adjuti suffragiis & protectione muniti, ad eamdem mereamur pervenire gloriam continuo deprecemur. sicque cum defunctis nondum purgatis pro quorum liberatione preces fundimus, in æternam simul translati requiem per Christi merita, nos omnes cum Domino semper esse possimus. eo dumtaxat tendunt Ecclesię orationes: juxta hunc sensum vere sunt intelligendæ, quoquo

modo exprimantur: nec aliud fidelibus intendere licet, quam quod ipsa intendit catholica Ecclesia, cujus mentem tot quorumcumque seculorum monumenta testantur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quid de justorum decedentium animabus quæ nihil purgandum habent opinati sint Sancti Patres Ambrosius, Augustinus, & Bernardus.

DE loco in quem migrant e præsenti sæculo transeuntes animæ justorum æterna beatitudine fruituræ, parum certis pluribus inter Sanctos patres priorum temporum, ut mox incidenter observavimus, eos in malam partem trahere conantur recentiores hęretici, traditionis auctoritati exinde detrahi existimantes; non attendentes hęc duo esse valde dissimilia, dubitare de illarum gloria, & dubitare de loco glorię. re nondum satis illorum temporibus explorata, excogitarunt receptacula quædam in quibus ex Dei possessione felices ad resurrectionem usque commorarentur, ambigentes an hęc receptacula essent vel paradisus, vel sinus Abrahę, vel aliquid aliud; *circa* quod nullum jam, etiam a pluribus seculis, remanet dubium, animas illas in Cœlum migrare ante Dei conspectum mansuras docente Ecclesia. cum Ambrosius, Augustinus, & Bernardus apud quosdam in suspicionem venerint tamquam a Millenariis non satis recedentes, animarum de quibus agitur felicitatem ex Dei visione ad judicium usque procrastinari putaverint, illorum mente accuratius juvat aperire, ne Sanctis his Doctoribus a malevolis hęc nota impune inuratur, quos defensores catholici dogmatis extitisse certissimum est.

ASSERTIO UNICA.

Nec Sanctus Ambrosius, nec Sanctus Augustinus, nec Sanctus Bernardus, a catholico dogmate vel minimum deflexisse dici possunt, utpote qui de animarum beatitudine statim atque corpore solutæ sunt numquam dubitaverint.

I. Ab illo dubio vindicatur Sanctus Ambrosius.

APerta sunt adeo quæ de statu animarum post mortem variis in locis scripsit Mediolanensis antistes, ut circa istud catholicum dogma vindicari nullo modo indigeat, nec dubia ullatenus ipsius fides cuiquam videri merito possit. Hunc vel ut Doctorem & episcopum, vel ut oratorem audiamus loquentem, justorum animas beatitudine cælesti, cujus basis & fundamentum est intuitiva Dei visio, potiri asserentem ubique illum inveniemus. De Acholio episcopo Corinthiorum, vel Thessalonicensium recens hac vita functo sic loquitur epist. 15. *est igitur jam superiorum incola, possessor civitatis æter-*

æternæ illius Hierusalem, quæ in Cælo est. videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia jam dudum quidem sibi comperta; sed nunc facie ad faciem manifestata videns dicit: sicut audivimus ita & vidimus in civitate Dei nostri. de Sanctis Gervasio & Protasio loquens alia in epistola dicit illorum corpus esse in terra & animam esse in Cœlo. loquens vero de lapsu Petri lib. 10. in Lucam sic ipsum compellat. *unde te evocem, Petre, ut doceas me quid flens cogitaveris? unde te, inquam evocem? De cælo, ubi jam choro insertus es Angelorum*. orationem quam habuit de funere Theodosii imperatoris, illum Paradisi & supernæ civitatis incolam dicit: & oratione in obitu Valentiniani, istum jam frui vita æterna prædicat. tandemque in libro de bono mortis, ob quem apud nonnullos in suspicionem venit, præcise ita loquitur ut omne dubium a se prorsus avertat. ait enim de justis cap. 11. quod *hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem*. quibus omnibus si addantur ea quæ in fine illius libri scribit fideles adhortans ut constanti animo mortem venientem intueantur, mirum cuique videbitur quod sinistre circa præsentem statum animarum, potuerit usquam apud litteratum aliquem audire Ambrosius. *intrepide*, inquit, *pergamus ad Redemptorem nostrum Jesum, intrepide ad Patriarcharum concilium, intrepide ad Abraham patrem nostrum, cum dies advenerit proficiscamur... ibimus eo ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit. Sequimur te Domine Jesus, sed ut sequamur accerse, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, præmium. suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. pande illud tuum bonum quod videre desiderabat David. Demonstra nobis illud bonum, quod est simile sui, semper indissolubile atque immutabile. in quo simus æterni*.. ex Ambrosio animæ justorum corpore solutæ sunt incolæ & possessores civitatis æternę quę in Cœlo est, & in hac civitate Dei vident facie ad faciem lumen æternum quod Deus est: Angelorum choro insertæ præmiantur videntes Dei faciem: sunt eo in loco ubi Christus Jesus servis suis paravit mansiones; bonum indissolubile atque immutabile quod Deus est, contemplantes. Nec aliquid dixit aliquando aut scripsit Sanctus Doctor ex quo sibi contrarius jure merito dici queat, imo sibi constans in eadem sententia perseveravit. a Catholico igitur dogmate circa statum animarum quæ corpore solutæ nihil purgandum habent nec minimum deflectere dicendus est Mediolanensis præsul, qui eamdem fidem quam nos profitemur perpetuo tenuit.

Opponunt tamen quibus placet asserere Ambrosium a communi patrum opinione hac in parte recessisse, aut saltem de præsenti Sanctorum gloria ancipitem fuisse, & dicunt illum lib. 2. de Cain & Abel cap. 2. scripsisse animam corpore solutam post finem vitæ hujus adhuc futuri judicii incertam remanere, quod conciliari nequit cum æterna beatitudine. adduntque Sanctum episcopum libro citato de bono mortis cap. 10. recludere animas justorum in receptaculis quibus dum quæ promptuaria vocat, ubi diem judicii expectant ut coronentur: & commendare opinionem eorum qui volebant ani-

mas illas ad inferos descendere: unde concludunt ipsum animabus illis non concedere cælestem æternamque felicitatem. præterquam quod, inquiunt, ex septem lætitiæ ordinibus quos statuit pro animabus Sanctis, nullus visionem Dei complectitur, imo dicit animas prævidere gloriam suam, at illas expectare plenitudinem temporis ut remunerationem debitam consequantur: quæ omnia juxta ipsos hominem in sua sententia vacillantem ostendunt.

Resp. Sancti Ambrosii mentem liquido ostendunt ea quæ ex ipso mox retulimus, quibus nullatenus adversantur illa quæ opponuntur, quin potius Sanctum Doctorem, non vacillantem, sed sibi constantem nobis exhibent: *solvitur*, inquit, *corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambigua suspenditur*. & merito quidem incerta, imo & anxia manet corpore soluta anima; sive quæstio moveatur de judicio particulari, ut indicare videntur hæc sequentia Ambrosii verba: *ita finis nullus, ubi finis putatur*. suspenditur ambigua post finem vitæ hujus ignorans quam de illa sit laturus sententiam justus judex: omnis quippe justus moriens, cum Apostolo dicturus est, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; & de sorte sua sollicitus trepidat donec de se judicatum sit ab eo qui & *in Angelis suis reperit pravitatem*. sive loquatur S. Doctor de judicio universali, cujus tempus ignorant sancti in Cœlo, & in expectatione illius incertæ hærent animæ justæ, non de salute sollicitæ, cum beatitudine inchoata fruantur, sed de illius perfectione, quę post corporum resumptionem dumtaxat consummabitur; & licet cum Christo jam regnantes in Cœlis, supervestiri, & superindui cupiunt secunda illa stola, quæ in corporum resurrectione illas manet. Nihil aliud significare voluit Ambrosius per ea verba, quæ quoquo sensu donentur, cum catholico dogmate optime concordant.

Sed recludit, inquiunt, animas illas in promptuariis & receptaculis diem judicii expectantes ut coronentur. quæro ab ipsis, ab illis receptaculis excluditne Mediolanensis præsul intuitivam Dei visionem regnique cęlestis lætitiam? Nequaquam. Hęc promptuaria ex ipso sunt diversę illę mansiones, quę dicente Christo in domo patris sunt, quarum diversitas, meritorum diversitati respondet. His in receptaculis judicii diem, ut jam dictum est, expectant ut coronentur omnes simul in conspectu omnium gentium ob felicem victoriam quam de inimicis suæ salutis ex gratię auxilio, Deo aspectante dum in agone contenderent, & adjuvante ut vincerent, in pręsenti sæculo reportaverunt, sicque gloriam ex Dei promissiones ipsis debitam, quęque quandiu a corporibus separatę fuerint in ipsis inchoata solummodo erat, plenam & perfectam resumpto corpore tandem obtineant. verum gloria illa, cujus ad judicii diem usque consummatio retardatur non privantur animæ illę, cum interim hanc remunerationem habeant ut videant faciem Dei, inquit Ambrosius, ut supra retulimus. Ideoque non dixit justos illa interea fraudari gloria, sed quod videantur debita sibi remuneratione fraudari, mercede scilicet plena & consummata, quam accipient de manu Domini, ut alias diximus de Paulo Apostolo loquentes, in die illa, triumphali laurea publice donandi: unde ait, mirabiliter dici coronæ esse similem il-

illum judicii idem; quæ ultima verba Ambrosii mentem plene aperiunt, ipsumque loqui de solemni justorum triumpho post resurrectionem ostendunt, quos jam supernæ civitatis incolas cum Angelis esse confitetur. Quod si videatur commendare eorum sententiam qui existimabant animas illas ad inferos descendere, nihil refert. cum id verum fuerit pro tempore quo id fuit scriptum, ante Christi mortem, & aliunde id intellexit de pertransitione non de commoratione ut multis veteribus placuit excogitare. inde tamen falso concluderetur illam Cælestem beatitudinem animabus illis, circa quarum domicilia nihil definire voluit, non concessisse, cum ex dictis oppositum constet.

Quare ergo, inquiunt, ex septem lætitiæ ordinibus animarum Sanctarum quos statuit, visionem Dei nullus complectitur? quam fraudulenter id opponatur textum Ambrosii legentibus notum est. quid aliud sonant hæc illius verba? *Quintus ordo exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hæreditatem*. quænam est hæreditas justis repromissa, nisi cœlorum regnum in quo ex intima divinitatis præsentia lux æterna lucet animabus Sanctis quæ perpetua, ad quam pervenerunt, libertate gaudent: ibique præ gaudio exultantes prævident gloriæ suæ consummationem in temporis plenitudine, quum expectantes cum magna tranquillitate requiescunt. vacillantem ergo circa animarum sanctarum præsentem statum dicant Mediolanensem Ambrosium qui voluerint, nemo nisi imprudens aut indoctus ipsi consentiet. obscura quædam & intricata in libro illo de bono mortis scripserit Sanctus Doctor, esto. Sed ea lucem mutuant ab iis quæ in aliis ejus scriptis sunt aperta; quæque si inter se comparentur, catholico dogmati de statu animarum quæ corpore solutę nihil habent purgandum, ex animo firmiter adhęsisse Sanctum Ambrosium nemo negabit.

II. *Ab eodem dubio vindicatur Sanctus Augustinus*.

SAnctum Augustinum initio sacerdotii in Millenariorum opinione aliquo tempore versatum fuisse habemus ex ipso, lib. 20. de civit. ut supra observavimus; hancque opinionem brevi deinde ipsum exuisse pariter significat his verbis, *quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur: nam etiam & nos hoc opinati fuimus aliquando*. Ex quo autem huic sententiæ, quam omni carentem fundamento facile intellexerat, valedixit, animas ut primum corpore solvuntur, si nihil ipsis purgandum supersit, æterna felicitate gaudere, in Cœlum recipi, Dei consortio frui constanter tenuit Hipponensis, quod innumeris ejus testimoniis comprobari potest. nulla afferemus, cęteris omissis, ne in dicendo prolixiores inveniamur. quę de Nebridio amico suo loquitur confess. lib. 9. cap. 3. audiamus. *Nunc ille vivit in Sinu Abraham. quidquid est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto Filius, ibi vivit . . . . jam non ponit*
au-

aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. lib. 12. de genesi ad litt. cap. 34. de bono latrone loquens Sanctus Doctor hęc habent: *quapropter animæ illius latronis cui dixit. bodie mecum eris in Paradiso: non utique inferos præstitit ubi pœnæ sunt peccatorum: sed aut illam requiem Sinus Abrahæ . . . aut illum Paradisum, sive in tertio Cælo, sive ubicumque alibi, quo post tertium Cælum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum ubi sunt animæ beatorum.* Beatus ergo jam supponit animas illas Augustinus. quænam autem potest excogitari beatitudo pro justis hac vita functis præter vitam ęternam & Cœlorum regnum in quo facie ad faciem videtur Deus?

Animas illas esse cum Christo, jamque ante resurrectionem cum eo regnare scribit lib. 20. de civit. cap. 9. exponens verba Joannis in Apocalypsi. *Animæ inquit occisorum . . . . regnaverunt cum Jesu mille annis, animæ scilicet martyrum nondum sibi corporibus suis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi . . . quamvis ergo cum suis corporibus nondum sunt, jam tamen eorum animæ regnant. cum illo, dum isti mille anni decurrunt . . . Sed ideo tantummodo Martyrum animas commemoravit, quia ipsi præcipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam quod est regnum Christi.* & cap. 13. ait, *certe animæ victrices gloriosissimorum Martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis atque finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt & regnant, donec finiantur mille anni, ut postea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent.* unum idemque est regnum sive ante resurrectionem sive post. Nihil interesse videtur discriminis juxta Augustinum quam corporum resumptio; unde eadem est pro utroque tempore felicitas, veraque pro æternitate beatitudo, quæ alia esse non potest pro iis qui cum Christo sunt, quam Deum ut est in se videre: qua enim gaudet felicitate Christus ut homo, eadem gaudent & Sancti; qui cum ipso unum corpus efficiunt, cujus caput est Christus, cui in regno Cælorum consociantur animæ justorum statim atque corpore solvuntur: quod ut certum & indubitatum ubique prædicat Augustinus. quid aliud significant ea quæ loquitur enarrat. in psal. 119. in hæc verba, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* de cælesti Jerusalem omnium beatorum patria cogitans ait, *Ibi omnes justi & Sancti, qui fruuntur Dei fine lectione, sine litteris: quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illic cernunt. qualis patria?* tract. 26. in Evang. Joan. ad illa Christi verba, *& ego resuscitabo eum in novissimo die* hæc scribit. *ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam in requie, quæ Sanctorum Spiritus suscipit: quod autem ad corpus attinet, nec caro ejus vita æterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum novissimo die.* & tract. 10. in epist. Joan. de quolibet homine obeunte hæc habet: *namque ille qui vixit & mortuus est, rapitur ad alia loca anima ipsius, corpus ipsius ponitur in terra: . . . jam aliud agit, aut aliud patitur: aut in Sinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ modicum desiderat.* suntne vacillantis hominis

nis & de iis quæ opinatur dubitantis hæc omnia Augustini verba? Numquid ex illis concludi potest æterna beatitudine carere ad diem usque judicii animas justorum? ut quid ergo suum facere conantur Hipponensem quibus a catholico dogmate recede placet? totus noster est Sanctus Doctor; & non nisi ex male intellectis aliquot ejus verbis diversimode sentire licet.

Opponunt interea & dicunt, esto quod pluribi velit Augustinus animas justorum statim ac corpore solvuntur æterna beatitudine gaudere, Deumque facie ad faciem videre: in pluribus tamen suis operibus oppositum sentit. etenim serm. 259. in die octavarum paschæ, dicit post judicium seu ventilationem quietem futuram Sanctorum in hac terra, & cum venerit illa requies Sanctos & justos Dei sabbatizaturos, antequam eamus in illam vitam, & in illam requiem de qua dictum est, oculus non vidit, &c. insuper variis in locis dicit animas illas ante diem judicii in quibusdam esse receptaculis ubi in pace requiescunt, & non in Cælo ubi Deus videtur. Sic lib. 1. de civit. cap.13. & lib.12. cap.9. in enchiridio ad Laurentium cap. 109. imo visione Dei non esse fruituras tenet ante resurrectionem, donec Angelis æquales effecti fuerimus, ut aperte satis colligitur ex iis quæ habet epist. 148. ad Fortunatianum lib. 1. restrat. cap. 14. tract. 49. in Joan. enarr. in psal. 43. ubi exponens hæc Davidis verba, *qui mandas salutes Jacob*, ait *illa visio facie ad faciem, liberatis in resurrectione servatur*. non immerito igitur circa præsentem animarum statum dubius pronuntiatur Augustinus.

Resp. aliquando Millenariorum opinioni de futuro Christi regno in terra ex parte saltem adhæsisse Augustinum jam diximus laudatis verbis illius de hac re testantibus. Sed re maturius ab illo librata, constanter docuit, priori opinione revocata, justorum animas statim ab obitu clara Dei potiri contemplatione: nihilque in contrarium ex locis allegatis directe colligi potest, quod singillatim ostenderemus nisi brevitati esset consulendum attente legatur Augustinus, omnia ejus verba perpendantur: & vix unus reperietur qui nobis non consentiat. perpauca nihilominus in globo addere juvat ne oppositorum difficultate victi reputemur. ad primum ergo dicendum est, non, ut respondent omnes Theologi majoris notæ, quibus non consentire nobis per ipsos licebit, Augustinum Millenariorum opinione imbutum, quam brevi postmodum exuit, hac scripsisse. cum de tempore quo habitus est sermo ille in die octavarum paschę non constet, & Augustinum jam episcopum fuisse, proindeque ac Millenariorum commentis valde alienum, cum illum habuit, non improbabiliter judicetur. sed dicendum, ex iis quæ in illo sermone loquitur Sanctus Doctor, nec ullo modo colligi posse ipsum existimavisse ante judicii diem animas justorum non gaudere intuitiva Dei visione, cum de illa directe vel indirecte nec minimum habeat verbum, & de illarum statu a solutione corporum ad resurrectionem usque haud quidquam loquatur. Sanctos post judicii diem quietem habituros, & sabbatum in hac terra cum Christo, qui Ecclesiam, ad quam nullus malus intrabit, est habituros, juxta Scripturam celebraturos fore dicit Hipponensis: inde tamen non sequitur illorum animas cælesti beatitudine fuisse fraudatas ante

illud

illud tempus, quas illa donari pluribi, ut ostendimus, docet. utrum autem tempore illius sabbati Deum visuri sint justi nec ne, quidve durante illo sabbato sint acturi, omnino tacet, dicens dumtaxat illud esse celebrandum antequam eamus in illam vitam, & in illam requiem de qua dictum est, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se*. unde ex illo sermone nihil quocumque modo erui potest, quod Augustinum dubitantem vel non dubitantem exhibeat circa statum animarum ab obitu usque ad diem judicii. Hinc gratis opponuntur laudata verba ut pote quæ sint extra propositum.

Nec validius in nos argumentantur ex eo quod dixerit Augustinus animas sanctas post mortem in quibusdam esse receptaculis ubi in pace requiescunt. de loco ubi sunt animæ illæ certus non fuit Sanctus Doctor, quod ipsi commune est cum omnibus fere veteribus, ut jam observavimus loquentes de Sancto Chrysostomo. verum quidquid opinatus fuerit de illarum domicilio de quo non inquirimus, certum est illum non dubitasse de earum gloria. ubique possunt esse beatæ, quia ubique est Deus ex cujus possessione vera oritur beatitudo. & aliunde tenet Sanctos apud inferos jam non esse, ut ante Christi resurrectionem fuere veteres. *profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio* (sanguinis Christi) *jam redempti, prorsus inferos nesciunt*, inquit lib. 20. de civit. cap. 14. illas autem animas in loco ubi sunt, quisquis ille sit, Deum non videre nusquam dixit: imo illum contrarium docuisse ostendunt testimonia quæ mox allata sunt. quod confirmatur tum ex iis quæ habet lib. 2. quæst. Evan. quæst. 38. *jam Sinus Abrahæ*, inquit, *intelligitur secretum Patris quo post passionem resurgens assumptus est Dominus ..... ubi etiam ante resurrectionem, justorum animæ vivunt cum Deo*. Tum ex illis quæ scribit lib. 1. de peccat. mer. ac remiss. cap. 19. de parvulis morientibus post susceptum baptisma. *Si percepto baptismate*, inquit, *de hac vita migraverit* (parvulus) *perficietur illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia creatoris illuminat*. Non est autem potior ratio pro parvulorum animabus quod Dei præsentia seu visione statim a morte fruantur ut docet Augustinus, qui aliunde sæpius asserit contra pelagianos, qui volebant parvulos sine baptismo decedentes æternam vitam consequi, non vero regnum cælorum, illos utrumque obtinere si baptizati decedant, & utroque privari si non baptizati obeant: non est, inquam, potior pro illis ratio quam pro animabus adultorum. vitam æternam autem, regnumque cælorum nihil aliud esse ex Augustino quam Deum videre, quis nescit? quapropter evanescit oppositio; & gratis fingitur in domicilio suo, quodcumque illud supponatur, justorum animas visione intuitiva Dei cælestique felicitate nunc privari in mente Sancti Doctoris.

Quod si Dei visionem servare videatur ad resurrectionem usque, quando scilicet de hominibus in Angelos profecerimus, ut loquitur post Hieronymum scribens ad Fortunatianum, de simplici visione Dei non est intelligendus Augustinus, veluti anima ante resumptionem corporum Deum minime videre censuerit, tunc enim, ut ex allatis constat, esset sibi metipsi contrarius; sed de

de visione perfectiori. siquidem cum aliis non paucis existimavit Sanctus Doctor, perfecta Dei cognitione Sanctos non fore potituros nisi post resurrectionem, sive propter vehementem animarum in corpora affectum, ex quo toto impetu non feruntur in Deum, ut ferentur resumptis corporibus suis, nihil amplius habentes desiderandum; sive alia quadam occultiore de causa. unde licet perfectum hunc beatificæ visionis gradum Sanctis ante resurrectionem, in qua Angelis æquales efficiemur, abjudicaverit, non tamen hanc visionem simpliciter ipsis denegavit. & juxta hunc sensum beatitudine completa corporis scilicet & animæ, non gaudebunt Sancti nisi post resurrectionem, qui jam quoad animam & quoad ipsam visionis Dei substantiam vere sunt beati, post resurrectionem incrementum accepturam esse Dei visionem voluerunt plures ex veteribus. idne futurum sit vel non, noluit determinare Hipponensis: unde lib. 1. retract. cap. 14. ait, *utrum autem ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non est hic locus disputando inquirere*. Hæc visio facie ad faciem, quæ Patribus ante Christi ascensionem concessa non fuerat, merito dicitur ab Augustino liberatis in resurrectione servari. tunc enim illa visione donabitur simul universitas liberatorum cum beatitudine completa, qua incomplete & minus perfecte nunc potiuntur justi statim a morte, quod nullibi negat Augustinus aut in dubium revocat. quæstionem principalem attingens Sanctus Doctor nihil a catholico dogmate recessit; animas justorum ut primum corpore solvuntur Dei consortio frui, & beatitudine æterna gaudere constanter docuit, varias quæstiones minoris momenti, ad principalem tamen quemdam habentes ordinem, vel intactas relinquens, vel dubitanter de iis quæ nullam præseferunt certitudinem, aut de quibus nihil temporibus suis certi compertum erat, pro sua prudentia loquens, ut ostendunt quæcumque ex ipso in præsentibus retulimus.

III. *Ab eodem dubio vindicatur Sanctus Bernardus*.

OBscura quædam licet scripserit Sanctus Bernardus, ex quibus inferri potest ipsum aliquando voluisse justorum animabus ad extremam usque diem procrastinandam esse cælestem beatitudinem, diserte tamen adeo sententiam oppositum tenuit, Sanctos in Cælis triumphum agere, gloria coronari, divinitatis essentiam contemplari, æterno circumfundi lumine, lætari cum angelis affirmans sæpissime, ut non nisi ex mentis praeoccupatione anceps hac de re alicui possit videri. & qua ductus ratione Durandus præ cæteris, acerbe nimis Sanctum hunc Doctorem est insectatus, mitiusque cum eo agens Petavius pronuntiavit tamen notissimum esse illum justorum felicitatem ad diem usque judicii suspendere, difficile intelligitur: Neque enim illos Abbatis Claravallensis scripta non legisse vel non intellexisse licet asserere, quos vel incautos vel indoctos dicere summę esset inscitię. ipsos circa istius mentem fuisse vehementer hallucinatos manifestabunt testimonia non pauca, quę causam ejus agentes, sumus modo allaturi.

Bernardum ergo loquentem audiamus ferm. 2. de Sancto Victore. *Hodie*, inquit, *despecto mundo, & mundi principe triumphato, supra mundum vere Victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ .... anima ejus in bonis demorabitur. quæris ubi? cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cælorum. ita cum talibus & tali in loco sedet .... Non est terra oblivionis quam anima Victoris inhabitat: non terra laboris ut occupetur in ea: non denique terra, sed cœlum est .... jam cælos ingressus, quos & ante apertos beatis oculis suspiciebat, vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum. Beata visio quæ in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem tamquam a Domini spiritu.* Hic ab adversariis petere liceat, arbitraturne ad diem extremam usque suspendi justorum felicitatem, qui illos dicit jam de manu Domini accepisse victoriæ coronam, in bonis demorari in regno cœlorum, & revelata facie gloriam Dei speculari? quid aliud intelligit qui talia profert, nisi illorum animas vere esse beatas quæ intuitiva Dei visione fruuntur. His quæ de Sancto Victore prædicat Bernardus, similia sunt ea quæ ferm. 2. de verbis Apostoli, super hæc, non est regnum Dei esca & potus, habet de justis defunctis sic loquens. *Jam hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, sed fine fine.* Nihil certe ambiguitatis præseferunt hæc verba, ut dubius circa præsentem animarum Sanctarum statum haberi possit Bernardus.

Hunc iterum audiamus in festo omnium Sanctorum ferm. 3. sic loquentem. *acceperunt jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos: quomodo de patriarchis & de prophetis ait Apostolus; Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. Stola enim prima ipsa est quam diximus felicitas & requies animarum: secunda vero immortalitas & gloria corporum ...... unde & Beatus Joannes qui multa nobis de eo statu in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per spiritum reseravit: sine macula, inquit, sunt ante thronum Dei.* eodem sermone nos hortans ad sectanda Sanctorum vestigia, gloriamque eorum in nostra mente revocandam hæc habet. *Oculus meus, memoria mea, & cogitare de Sanctis, quodam modo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium .... sic, inquam, conversatio nostra in cælis est. veruntamen non sic nostra sicut illorum. ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus.* His addere juvat quæ habet ferm. 2. de S. Malachia Episcopo in Hybernia. *pro hujusmodi ergo*, inquit, *dilectus a Deo & hominibus non immerito hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. & quidem ante Angelus erat, non minus puritate quam nomine: sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria & felicitate lætatur*, de eodem loquens epist. 376. *itaque*, inquit, *& pium est Malachiam flere defunctum, & pium magis Malachiæ congaudere viventi. Numquid non vivit? & beate*, illius deinde animam sic alloquitur. *Absit autem ut tua nunc, o anima Sancta, minus efficax æstimetur*

tur oratio, quando præsenti vividius supplicare est majestati; nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. absit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipsa prius stillicidia sitiebas. His in omnibus Bernardi verbis, aliisque non paucis quæ sparsim ipsius in scriptis leguntur, solemnem ac constantem dogmatis catholici professionem qui non agnoscit, hunc vel arenam in littore maris, vel aquam in Oceano vix deprehensurum arbitrarer.

Opponunt Quædam Abbatis Claravallensis testimonia quæ indicant ipsum animabus justis Dei visionem, ingressum in requiem & gaudium Domini denegasse ante diem judicii. etenim serm. 2. in festo omnium Sanctorum, modum loquendi Joannis in Apocalypsi tenens dicit animas justorum esse sub altari & non supra, ubi expectant beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris sui, donec mereantur in gaudium Domini introire, illasque non nisi post resurrectionem implendas esse lætitia cum vultu Dei. & aliunde enumerans Sanctus Doctor bona quibus nunc fruuntur animæ illæ, visionis divinæ mentionem nullam facit, cujus certe meminisset si eas illa frui existimasset, cum in ea potissimum reponatur supernaturalis creaturæ intellectualis beatitudo. ex quibus non immerito colligitur incertum saltem fuisse Bernardum an cœlesti felicitate ante diem judicii donentur animæ justorum.

Resp. Nec ullum dubitationis vestigium circa beatitudinem qua jam fruuntur in cælis animæ justorum quibus nihil expiandum superest, in omnibus quæ loquitur Abbas Claravallensis reperiri agnoscet quisquis mentem ipsius assecutus ejusdem verba pensaverit. felicitatem inchoatam & imperfectam a beatitudine consummanda & perfecta, ut par est, distinguens optime Bernardus, istam ad judicii usque diem merito distulit, illam statim ab obitu animabus justis licet concedens. Hanc autem felicitatem quæ in Dei contemplatione ex parte consistit, a Bernardo etsi nunc non completam justorum animabus concedi ostendunt, tum illa quæ habet lib. de diligendo Deo cap. 11. dicens; animas *jam solutas corporibus immersas ex toto credimus immenso illi pelago æterni luminis & luminosæ æternitatis*. quid enim aliud est lumen æternum præter ipsum Deum, cujus æterna cognitione & beatificante visione Sancti omnes in cælo indeficienter illuminantur? Tum ea quæ leguntur in illo sermone secundo de omnibus Sanctis. ubi de utraque hac felicitate perfecta & imperfecta distincte loquitur mentem suam modo non ambiguo aperiens. dicit enim de Sanctis quos cum Joanne in Apocalypsi sub altari collocat: *adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici; & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu suo ..... Recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ: lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala ... quanta est felicitas eorum! quam immensa lætitia! qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exultant*. jam dixerat animas illas converti in requiem suam, donec veniat dies qua introire mereantur in requiem Domini,

ni, perfectam scilicet, quando resumptis corporibus completa beatitudine fruentur, quam incompletam existimat post Augustinum Bernardus, & cum ipsis censent omnes Theologi, quandiu erunt a corporibus separatæ; unde subdit, ut juxta hunc sensum se locutum fuisse ostendat; ***expectant beatam spem & adventum*** *gloriæ magni Dei & Salvatoris sui, qui resuscitabit & reformabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati*. opinabatur Sanctus Bernardus a doctrina Sancti Augustini non recedens, minus perfecte Deum nunc videri ab animabus justorum quam post resurrectionem, proindeque imperfectum esse pro tempore præsenti illorum beatitudinem, quæ, in corporum resumptione, quam ardenter exoptant animæ illæ, complenda est beatitudinem consummatam vocat Bernardus Domini requiem; sumptam pro completa corporis & animæ felicitate, in quam ut ingredi mereantur, expectant, scientes se in illam non fore ingressuras nisi corporibus suis in mortuorum resurrectione iterum uniantur. ex præsenti illarum a corpore separatione involuntaria imminuitur justorum felicitas ob pondus nimium, quo jam animæ in sua corpora inclinantur : *adeo*, inquit, *viget in eos desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum*. concedens ergo Bernardus animabus justis felicitatem inchoatam , ipsis denegat ad diem usque judicii plenam & perfectam beatitudinem dumtaxat ; & juxta hanc sensum intelligenda sunt ea omnia illius verba , quæ animas illas cælesti beatitudine nondum potiri videntur supponere. quod ne gratis a nobis excogitatum reputetur, ipsum Sanctum Doctorem audiamus sui ipsius interpretem, tum Serm. 87. de diversis, hæc de statu præsenti animarum de quibus loquimur promentem. *in hoc statu positi Sancti bibere quidem possunt ; sed inebriari non possunt : quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum* adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi prestolantur. tum lib. de diligendo Deo cap. 11. de imminutione felicitatis ob vigens in animabus illis desiderium sic loquentem. *vino divini amoris etiam tunc anima suavitatem naturalis immiscet affectionis, qua resumere corpus suum, ipsumque glorificatum desiderat. æstuat ergo jam Sanctæ charitatis potata vino, sed plane nondum usque ad ebrietatem , quoniam temperat interim ardorem illum hujus lactis permixtio* . Nec ullatenus urget quod addunt dicentes Sanctum Bernardum recensentem bona quibus nunc fruuntur animę justorum non loqui de intuitiva Dei visione : de illa enim si non explicite loquitur , implicite illius meminit animas in hoc statu beatas esse pronuncias, cum non possint alia re quam Dei intime ipsis pręsentis visione esse felices. & aliunde in manifesta divinę essentię contemplatione hominis supernaturalem in patria felicitatem reponit variis in locis Sanctus Doctor . Nec mirum est, inquit Carolus VVitasse , si in præsentis animarum status descriptione visionem Dei non commemorat : duos animę status comparans, ut extollat futurum more oratorum pręsentem deprimit , & quęcumque in isto eminere possunt silet, ut ille magis ac magis illustretur .

Opponunt iterum: æterna beatitudine quæ in Dei contemplatione sita est donari non censet justarum animas, qui illas dicit esse non in domo Dei , sed solummodo in atriis domus illius. id autem affirmat Bernardus , tum

Serm.

Serm. 3. in festo omnium Sanctorum docens, illas in beatissimam hanc domum sine nobis, nec sine corporibus suis intraturas: tum Serm. 4. de Dedicatione Ecclesiæ dicens, in atriis illis esse magis liberationem a malo, quam boni remunerationem, illicque justos esse securos, sed in domo fieri beatos, & aliunde atria domus Dei in quibus collocat justorum animas, sunt locus expectationis, & in eo est gustus lætitiæ, in domo vero satietas gloriæ. Non sunt ergo adhuc beatæ ex Bernardo animæ illæ, nondum que Dei intuitiva visione fruuntur.

Resp. Si de domo Dei quæ juxta communem scripturarum loquendi morem est ipsum cælum in sensu proprio loqueretur Sanctus Bernardus, ex iis quæ in duplici hoc sermone scripsit, exurgere quædam difficultas posset circa illius mentem, dubiumque aliquod efformari quantum ad præsentem animarum de quibus agitur statum. verum cum in sensu allegorico, ut evidens est, de domo Dei, per quam intelligit beatitudinem completum animæ & corporis, loquatur, omne evanescit dubium, cunctaque ruit difficultas. ad hæc Psalmistæ verba, *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* ad hæc verba, inquam, quæ figurate vel allegorice exponit attendens, tres animarum sanctarum status distinguit: unum in corpore corruptibili, seu in militia, vel in tabernaculis: alterum sine corpore, seu in requie, vel in atriis: tertium in corpore jam glorificato, vel in beatitudine consummata, seu in domo Dei. tertium hunc animarum statum, in quo beatitudine perfecta & consummata fruetur homo, felix secundum se totum, in anima videlicet ac in corpore, extollere vult S. Bernardus, in eoque omnem justorum felicitatem videtur collocare, veluti in secundo statu cælesti felicitate non gauderet animæ illæ. sed hæc per auxesim loqui Sanctum Doctorem intelligit quisquis omnia ipsius verba diligenter expendit. idque eo magis quod in illo secundo statu, quem ut supra observavimus, plus æquo pro more oratorum, deprimere videtur, animas illas felices prædicat, ejusdem felicitatis, quæ perfecta non potest esse nisi resumptis corporibus, ut pluries dictum est, consummationem expectantes: Hæc quæ mentem illius aperientes proferimus ipsum confirmantem audiamus duplici in illo sermone quem nobis opponunt: *acceperunt jam* animæ illæ inquit, Serm. 3. de omnibus Sanctis, *singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos . . . . . stola enim prima ipsa est . . . . felicitas & requies animarum: secunda vero immortalitas & gloria corporum . . . . sed unde hoc tibi, o misera caro, unde tibi hoc? animæ Sanctæ, quas proprio Deus insignivit Sanguine, te desiderant, quas redemit proprio sanguine, te expectant, & ipsarum fine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest . . . Hæc est ergo beata spes, quam expectant animæ Sanctæ: & licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in qua jam requiescunt, adhuc tamen orant & clamant ad Deum pro consummatione quam præstolantur.* & Serm. 4. in festo Dedicationis Ecclesiæ, *in atriis est gustus lætitiæ*, inquit: verum ubi est gustus lætitiæ, numquid ibi non est felicitas saltem inchoata? cùm ergo, ut constat

ſtat ex mox allatis, tertium ſtatum animarum, in quo ex duplici corporis & animæ felicitate conflatur integra & completa hominis juſti beatitudo, nomine domus Dei per allegoriam intelligat Sanctus Bernardus, mirum non eſt ſi eas in illa domo nondum eſſe, nec in eam ante corporum reſumptionem, quæ fiet in reſurrectione in noviſſimo die, ſore ingreſſurus affirmet, ut revera id futurum credimus & ſperamus. *neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur*. interim ſtola prima, quæ eſt felicitas & requies animarum, ut loquitur, veſtiuntur animæ illæ, quæ beati non poſſunt niſi Deum contemplando, ut docet ipſe Bernardus, expectantes donec in reſurrectione veſtiantur ſecunda, quæ eſt gloria corporis & immortalitas. O vere igitur beatę animę, quę in tabernaculis declinantes a malo, quod eſt culpa, in atriis ubi liberantur a malo, quod eſt pœna, habent guſtum lętitię, orantes ut ingrediantur in domum Dei, recepturę bonum, quod eſt ſatietas gloriæ. His, ut ęquitas poſtulat, attente perpenſi nemini videbitur Abbas Claravallenſis arbitrari animas juſtorum cęleſti beatitudine privari donec advenerit judicii dies. quin potius ex iis quę de illo huc uſque diſſeruimus reſtat ipſum a catholico dogmate nullo modo aberraſſe, ipſumque animas, quę dum corpore ſolvuntur nihil habent purgandum, ſtatim cęleſti beatitudine donari, ac intuitiva Dei viſione gaudere firmiter credidiſſe.

Sed inquiunt oppoſitum tenentes, quare ergo Sanctus ille Doctor Sanctos ad reſurrectionem uſque ſub altari collocat, ſuper altare exaltandos cum venerit tempus, vultque tunc, poſt reſurrectionem nempe, Filium oſtenſurum ſe nobis non in forma ſervi, ſed in forma Dei, & oſtenſurum nobis Patrem etiam & Spiritum Sanctum, ac miniſtraturum delicias manifeſtæ ſuæ contemplationis, novas utique, & uſque ad tempus illud nobis penitus inexpertas, ut loquitur ſerm. 4. in feſto Sanctorum omnium? Talia opponentibus reſpondebimus, exaltationem ſuper altare de qua loquitur Abbas Claravallenſis, nihil aliud eſſe juxta illius allegoricum loquendi modum, quam perfectiorem Dei cognitionem, illa qua nunc donantur in præſenti, quam minus perfectam cognitionem deſignat Sanctos collocando ad reſurrectionem uſque ſub altari. idque habet ex opinione in qua cum multis aliis Eccleſiæ patribus verſabatur, exiſtimans viſionem Dei, qua ſeparatæ a ſuis corporibus animæ Sanctæ nunc fruuntur, maximum incrementum eſſe accepturam ex reſumptione corporum poſt mortuorum reſurrectionem. fuitque opinio illa ratio præcipua ob quam ſtatum illum felicitatis adeo extollit, præſentis felicitatis ſtatum ex oppoſito valde deprimens, ut ſemel obſervavimus, veluti iſte in comparatione alterius parum quid foret. ſed in ſermone illo multum eſſe exaggerationis res ipſa clamat. Sanctum autem Doctorem nihil aliud inſinuare quam viſionis Dei perfectiorem gradum, illiuſque cognitionis incrementum oſtendunt ea quæ loquitur ibidem: *tranſcendet enim*, inquit, *beata anima Chriſti incarnationem & humanitatem, ut divinitatem ejus... ſublimius contempletur*. Hactenus itaque contemplabatur Deum ſed tunc ipſum ſublimius contemplabitur. Chriſtus cujus humanitatem nunc perfecta vident & cognoſcunt animæ beatæ, illis poſt reſurrectionem ſemetipſum & Patrem,

San-

Sanctumque Spiritum perfectius ostendet, illas ad cognoscendam divinitatem tunc evehens; in quantum a creatura intellectuali cum superioris ordinis adjutorio Deus ut est in se cognosci potest. eo præcise tendit omnis Sancti Bernardi oratio: & quisquis in illa aliquid aliud intelligere arbitratur, longius a mente illius labitur. ex ipso igitur Dei cognitione ac contemplatione jam fruuntur Sancti, in cælesti patria expectantes donec in resurrectione transiens Christus, ipsis ministret novas & inexpertas delicias, quibus non resumptis corporibus nequeunt abundare.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quænam fuerit circa visionem Dei animabus justis concedendam mens Joannis XXII. utrum aliquid de ea re definierit.

JOannem vigesimum secundum Pontificem Maximum obtrectatoribus sermonis ansas dedisse, ac de se, veluti de felicitate animarum, quæ dum corpore solvuntur nihil purgandum habent, non recte opinatus fuisset, sinistre sentiendi causam suppeditasse etsi aliunde non constaret, habemus ex Benedicto XII. Joannis Successore, & ex Adriano VI. licet erga Joannem iste durius loqui videatur, infensissimis illius Pontificis hostibus probabiliter credens nimium. a vero fortasse recedunt & qui hunc Pontificem ab omni erroris suspicione plene immunem prædicant, necnon & illi qui ipsum a recta fide defecisse hac in parte indecenter pronuntiant: etsi illum ut Doctorem privatum, non ut Ecclesiæ caput ac universalem fidelium præceptorem, ea de re locutum fuisse contendant. media autem via nobis videtur incedendum, attente inspectis variis momentis quæ ad veritatem historiæ conferre possunt, ne duri censores, vel abjecti adulatores habeamur.

ASSERTIO UNICA.

Licet Joannes XXII. qui ab initio Pontificatus ad annum usque 1330. *antiquam Majorum doctrinam & fidem tenens in eam postea inclinaverit sententiam quæ visionem Dei intuitivam animabus justorum ad resurrectionem usque procrastinat, nihil tamen ea de re definiit: immo morti proximus, illam revocans opinionem, dogma catholicum palam professus est.*

DUplici argumento breviter ostenditur hunc summum Pontificem fidem majorum ac doctrinam per illud temporis intervallum tenuisse. 1. quia ut observat Rainaldus ad ann. 1331. in cunctis fidei professionibus quæ ipso jubente editæ sunt, potissimum ad Armenos, Tartaros, Persas, Lithuanos quæ fuere transmissæ, totidem verbis inseruntur decreta summorum Pontificum qui a Clemente IV. ad ipsum usque fuerunt, in quibus haud dubie aliquid saltem immutasset si diversimode ab ipsis credidisset. 2. quia id manifestant ea quæ locutus est sanctorum catalogo inscribens anno 1317. Ludo-

dovicum Caroli Siciliæ regis Filium, ex ordine minorum, & urbis Tolosæ almæ parentis Episcopum, in cujus canonizationis diplomate inquit, *in medio domus tuæ, ad Deum contemplandum facie revelata est ingressus... Huic cœli præstant hospitium.... Christus hunc reficit*. an 1320. Thomam Herfordiensem Episcopum. an. 1323. Thomam Aquinatem, in quorum canonizationis diplomatibus eodem fere modo loquitur: de quibus videatur Raynaldus. ab hujusmodi sermonibus, atque etiam a Sanctorum Canonizatione abstinuisset Joannes, si ea quæ loquebatur nullo cogente, vere non credidisset. quibus addi potest veluti tertium argumentum non levis momenti, silentium adversariorum qui de eo probabiliter non tacuissent si tunc temporis apud ipsos in levissimam etiam suspicionem venisset.

Nec valet dicere verba hujus summi Pontificis in præcitatis Bullis, fidem Romanæ Ecclesiæ ac doctrinam circa statum animarum post morrem, indicare, non vero quid ipse sentiret Pontifex. Nihil enim probat miserum illud effugium: cum ad Sanctorum illorum canonizationem ut dictum est, ipsum nulla ratio compelleret. & aliunde si animas justorum intuitiva Dei visione non gaudere existimasset, quomodo Sanctos fidelibus populis invocandos absque impietate potuisset proponere, ipsosque ille invocasset? quomodo missarum solemnia celebrasset, ut fere singulis diebus celebravit, inter quæ Sanctos summa frui felicitate, cœlique esse hospites profitebatur? antiquam ergo doctrinam Ecclesiæ, cui freqnens adeo perhibuit testimonium, tenebat Joannes, nec ab illa vel latum ungue deflexerat.

Verum ab antiqua Ecclesiæ fide nusquam directe recedens Joannes, in eam tamen opinionem, juxta quam animæ beatæ divinam essentiam visione faciali non sunt visuræ ante diem judicii, inclinavit, ideoque multis mentem ipsius minus recte capientibus, vel etiam illi aliunde infensis, in suspicionem venit, atque etiam apud quamplures, potissimum in Gallia, sinistre audivit. ipsum autem in hujusmodi opinionem aperte inclinasse, non illegitime colligitur, tum ex variis sermonibus quos habuit anno 1331. tum ex iis quas hac de re scripsit Epistolas ad Philippum Galliæ Regem, & ad Petrum Rogerium Rothomagensem Archiepiscopum, qui postea fuit Pontifex Maximus Clemens VI. tum ex prolatis a generali Ministro ordinis Minorum Gerardo Odonis provinciæ Aquitaniæ apud Gallos alumno. quæ omnia ex monumentis minime dubiis juxta historiæ fidem narrare juvat.

Raynaldus locupletissimus author ad an. 1331. refert ex coætaneo quodam Scriptore, summum Pontificem habuisse in procerum conventu publicos sermones in festo omnium Sanctorum, Dominica tertia adventus, & in vigilia Epiphaniæ, in quibus quæstionem de statu animarum quæ jam acerrime a pluribus ventilabatur, attingens, permulta ex Scripturis & Patribus testimonia quæ collegerat vel colligenda curaverat, catholico dogmati parum faventia protulit, ex quibus malevolorum numero non levi, indignationem & invidiam sibi paravit. His brevi Lutetiæ Parisiorum auditis, ut recte minus ac erronee sentiens Joannes habitus est. majoris odii seminarium fuit inconsulta ratio prędicti Gerardi Odonis Sacræ facultatis Parisien-

sis

sis Doctoris, qui a summo Pontifice in Scotiam cum socio missus, Lutetiæ, qua transibat, in numeroso cætu Pontificis, ut ajebant, sententiam publice tueri ac defendere ausus est, idque majori cum fiducia eo quod, ut plurimi suspicati sunt, ad hoc missus a Joanne fuisset.

Variis tam adversus summum Pontificem quam adversus Generalem Fratrum Minorum ministrum querelis commotus Rex Francorum, Parisienses Theologos apud se in saltu Vincennarum congregavit, ab iis postulans an catholicæ fidei consonum esset quod prædicasse ferebatur Joannes XXII. & publice propugnaverat memoratus Generalis Gerardus. Regi unanimes viva voce responderunt, se a multis fide dignis audivisse quod quidquid in hac materia sanctitas sua dixit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando: & ad rem ipsam quod spectat, se omnes in hanc sententiam convenire, quod animæ purgatæ ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam & immediatam divinæ essentiæ assumuntur. Hi omnes jubente Rege Parisios iterum congregati sua dicta in scriptis redegerunt & instrumento publico consignaverunt die vigesima septima decembris, illorumque sententiam ac declarationem alii omnes tam regentes quam non regentes, plenis in comitiis apud Mathurinenses die secunda januarii subsequentis approbaverunt.

Parisiensis sacræ facultatis declaratione fretus Philippus a Gerardo nisi ut hæreticus haberi ac comburi vellet palinodiam decantari jussit, eamdem Parisiensium Theologorum declarationem, aut decretum eodem tempore ad summum Pontificem cum acribus minacibusque litteris mittens, eique mandans ut refert continuator Nangii, quod sententiam Magistrorum Parisiensium, qui melius sciunt quid debet teneri & credi in fide quam juristæ & alii Clerici, qui parum aut nihil sciunt de theologia, approbaret, & contrarium sustinentes corrigeret. Regi Philippo respondit Joannes, de minis ipsius, ut videtur, parum sollicitus, sed de Gerardo se purgans & a rege enixe petens ut quæstionem de statu animarum in utramque partem sineret agitari, donec aliud fuerit per sedem Apostolicam ordinatum vel declaratum. interea ad Rothomagensem Archiepiscopum transmisit libellum, in quem permulta Scripturarum & patrum momenta suæ opinioni faventia congesserat. injunxit etiam cunctis Cardinalibus, aliisque Prælatis, ac Doctoribus Theologiæ & juris canonici præsentibus in sua curia, ut supra hac quæstione diligenter studerent, ipsique quid eis videretur, exponerent. id constat ex ipsius litteris ad Archiepiscopum & ad Franciæ Reginam.

Ex his ergo quæ de Joanne XXII. unanimi consensu referunt historici, evidens est ipsum aperte inclinasse in eam sententiam quæ Sanctis visionem Dei intuitivam denegat ante corporum resurrectionem. alioqui cur in sermonibus suis absque necessitate ulla quæstionem quæ magno animorum æstu agitabatur attigisset, permulta quæ opinioni huic in quam inclinabat favere poterant allegando; id enim summum Pontificem minime decebat, qui cum sit totius Ecclesiæ Pastor & Doctor, nihil in rebus quæ ad dogma catholicum necessarium ordinem dicunt, prolaturus est nisi quod ubique, quod

ſemper, quod ab omnibus tenetur? quare Gerardum ſibi addictiſſimum, ob diſſertationem ab ipſo publice habitam, ut opinionem in quam Pontifex palam inclinabat, multiplici argumento firmaret intempeſtive adeo, ſuper temeritate ſua vehementer, de ea monitus, non objurgavit, ſatis feciſſe arbitratus quod de illo ſe purgaret? quare ſciens Joannes ex iis quæ protuliſſe narrabatur, ingens ortum fuiſſe ſcandalum, eoque magis quod in erroris ſuſpicionem apud quamplures venerat, Galliæ regem a quo acriter hac de re fuerat increpatus, rogavit nihilominus ut in ſuo imperio unicuique pro ſuo genio ſentire vel defendere quod bonum de affirmativa vel negativa judicaret, per ipſum liceret, veluti de quæſtione quadam dubia & incerta res eſſet: & eodem tempore quæcumque ſuæ opinioni favebant tranſmittebat Joannes ad Rothomagenſem Archiepiſcopum? ſummus igitur ille Pontifex, velint nolint, in opinionem illam vere & palam inclinavit. Nec ad malevolos, ut de illa re conſtet, attendamus oportet, cum aſſertionem noſtram confirment Benedictus XII. qui, teſte Ptolomæo Lucenſi hiſt. lib. 24. in concione publice habita die Purificationis, aſſeruit Sanctos clare videre eſſentiam Dei contra opinionem deceſſoris ſui, qui de hoc dubium fecerat: & Adrianus VI. qui in tractatu de Sacramento Confirmationis dicit de Joanne XXII. ferri, quod ſententiam procraſtinantem ad reſurrectionem uſque intuitivam Dei viſionem publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit. ſed in ſua narratione longius progreſſum fuiſſe Adrianum exiſtimamus, eumque duobus circiter poſt Joannem ſæculis degentem, a rumoribus longe lateque ſparſis ab hujus Pontificis inimicis, vel ex illorum ſcriptis id hauſiſſe.

Verum quidquid ſit de fundamento quo nititur Adriani VI. relatio, quam diligentius perſcrutari præſentis non eſt inſtituti, certum eſt Joannem XXII. nihil circa quæſtionem de qua tractamus definiiſſe. etenim id ipſe Pontifex publice proteſtatus eſt coram tabellionibus his verbis, ut referuntur a Raynaldo ad an. 1334. die 3. Januarii. *Ne quis ſiniſtre interpretari poſſit nos ſenſiſſe aliquid aut ſentire, quod Sacræ Scripturæ obviet aut fidei orthodoxæ, dicimus & teſtamur expreſſe, quod quidquid in quæſtione... viſionis animarum... in ſermonibus & collationibus diximus, allegavimus, ... non intendentes aliquid determinare vel decidere.* Hinc apparet Theologos Pariſienſes non immerito Regi Philippo reſpondiſſe, ut ſupra retulimus, ſe multorum, quibus debetur fides, relatione audiviſſe, quod *quidquid in hac materia Sanctitas ſua dixit, non aſſerendo ſeu opinando protulit, ſed ſolummodo recitando.* de ſermonibus quorum occaſione in ſuſpicionem venerat ſummus Pontifex, loquens apud Rainaldum ad an. 1331. Ulricus doctor Germanus lib. 24. hæc habet. *ſi ſermo papalis pie & ſane intelligitur, non proprie ſermo nec definitio, nec determinatio ſeu prædicatio, ſed magis quaſi quædam ſcholaſtica diſputatio, aut diſputantium collatio eſſe perpenditur.* quod poteſt confirmari ex declaratione Gerardi Franciſcanorum Generalis miniſtri, qui confeſſus eſt, teſte Villano cum aliis, ſe quidquid, de hac re dixerit, diſputandi gratia protuliſſe tantum. Hunc autem Joannis mentem ſequi neminem latebat.

In-

Insuper ex eodem Rainaldo ad an. 1333. habemus summum illum Pontificem Regi Galliæ rescribentem, ipsi contestatum fuisse se nihil definiisse; ideo Regem obsecrat ut quilibet dicere, disputare & prædicare valeat, quod sibi juxta doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur aut etiam prædicandum. aliudque non leve indicium est quod reapse nihil definire intendisset, mandatum quod anno 1333. dedit Joannes controversiam hanc dirimere cupiens, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Doctoribus, ut summa cum diligentia eam expenderent & quidquid circa eam fuisset a Patribus Ecclesiæ pronunciatum, conferrent. idque eis a summo Pontifice ut absque dilatione facerent, sub anathematis pœna præcipiebatur. Hujus rei meminit bulla quæ incipit, *Benedictus Deus*, ipsius successoris Benedicti XII. pro ut a Bzovio refertur ad an. 1336. qui Joannis successor, in alia bulla, quæ incipit *sicut habet*, de qua Rainaldus ad. an. 1334. affirmat illum nihil definiisse, seque interfuisse narrat, cum aliis plurimis Cardinalibus publicæ professionis quam ediderat Joannes die 3. januarii, in qua, ut ait Ptolomæus Lucensis, in consistorio protestatus fuit coram Cardinalibus, Prælatis, & Capellanis, quod in prædicta quæstione nihil definiendo, sed recitando dixerat, ut supra retulimus, & quod paratus esset revocare, si qua enormia dixisset. Nec id diffitentur Ochamus, & Bonagratia, uterque ex ordine Minorum, qui Joanni XXII. infensi hostes erant, adhæserantque Ludovico Bavaro, qui Pontificem hunc deposuerat, & in ejus locum per vim & nefas Romæ coram populi multitudine summum Pontificem curiamque Romanam Avenioni residere ægre & impatienter ferente, suffecerat Antipapam Petrum de Corbario ex eadem Franciscanorum familia.

Nec ullam fidem aliunde meretur Ochamus, licet Parisiensis Doctor, & magnæ eruditionis vir, dum pro suo fervido ingenio in Joannem XXII. incurrens, in libro quem inscripsit compendium errorum Papæ Joannis, narrat illum suam sententiam de dilatione beatificæ visionis libellis & constitutionibus stabilisse, eamque pertinaciter propugnasse, ac nullum permisisse Parisiis magistrari in facultate Theologiæ, nisi prius tactis Sacrosanctis juraret, quod constitutiones suas supradictas sanas & catholicas in perpetuum reputaret, & numquam ipsas impugnaret. parvifaciendam esse hanc Ochami narrationem brevi advertet quisquis meminerit illum erga summum hunc Pontificem male affectum, rumoribus in ipsum per malevolos sparsis ex quibus fuerit deceptus, facilius credere potuisse. quod adeo verum est, ut de Pontificem accusantium dolo & fallacia ipse Ochamus dubitaverit. quapropter in dialogo parte 2. tract. 2. dicit sibi non imputandum, si rem aliter quam habet veritas narravit, sed illis qui eam hoc modo ipsi nuntiarunt. unde si quid a se imperite dictum fuisset, correctionem Charitativam se non recusaturum declarat. ex quibus evincitur non recte se gessisse in iis quæ ad Joannem XXII. spectabant, sed potius imprudenter, temere & ex invidia scripsisse: postulabat enim æquitas, non minus quam ea quæ ab omnibus fidelibus debetur Pontifici Maximo reverentia, ut rem, si de ea necessario erat scripturus, a radicibus rimaretur, ne prorsus falsa, aut saltem du-

dubia, ut accidit, narraret. falsa inquam ut accidit, cum nusquam Theologis Parisiensibus Joannes injunxerit quod, de sua propugnanda opinione tum ab ipsis, tum ab aliis qui Magisterii gradum erant consecuturi; scribit Ocham. falsa etiam, aut saltem dubia, ut ostendunt ea omnia quæ jam allegavimus ex consensu cunctorum, qui de capite illo historiæ tum Ecclesiasticæ, tum civilis scripserunt.

Nec magis audiendi sunt alii omnes qui hac in parte Ochami narrationi standum putantes Joannem XXII. erroris damnant vel suspicantur. quotquot enim fuere Ludovico Bavaro Imperatori, & Antipapæ Petro de Corbario qui adhæserunt, ut Michael de Cæsena ordinis etiam Fratrum minorum quondam Generalis minister, aliique licet numero pauci ejusdem instituti, qui a legitimo Pontifice, ob privatas rationes ad propositum nullatenus spectantes, Schismatis labe polluti defecerant, ut Pseudopapæ partes amplecterentur, quæcumque adversus Joannem a malevolis divulgabantur pro veris reputabant, & obtrectatorum sermonibus vires addebant falsa falsis apponentes, eoque libentius quod religionis larva obtegebantur. illorum hisque similium dictis quamplures fidem præstantes, circa ea quæ Joannis sunt decepti, alios pariter decepere: sed hi omnes testimoniis supra relatis redarguuntur. & aliunde quidquid a nonnullis opponeretur, ut a Marsilio Inghen, & Gersone, si vere auctor est sermonis cujusdam in festo Paschæ, probat solummodo in opinionem illam vere inclinasse Joannem XXII. ut contendimus, non vero quod quidquam de illa definierit. Dum autem addunt hunc Pontificem eos qui pro sua sententia stabant, inter eos eminet Gerardus Odonis, gratia & favore fuisse prosecutum; qui vero ab illo diffidebant, ut Durandus Meldensis Episcopus, & Thomas Vallensis, ab ipso durius fuisse exceptos; gratis prorsus id proferunt. quid enim Gerardo Papa præstitit, ut Joannis Laurentii Berti utar verbis, quod amplissimum ordinem moderantis merito ac dignitati esset impar? Durandum vero non quia aliter sentiebat circa statum animarum, sed propter quasdam assertiones non bene intellectas, aut apte minus expositas, a fidei censoribus in jus fuisse vocatum ex manuscripto vaticano constat. Thomas autem Vallensis a fidei inquisitoribus pœna mulctatus Avenione fuit, eo quod in publica concione divinam maledictionem indecenter est imprecatus in eos qui intuitivam Dei visionem æternamque felicitatem ad diem usque judicii procrastinari asserebant, ut narrat Bzovius ad an. 1331. quod privato præsertim homini, vertente controversia, minime licitum erat. quæ cum ita sint, probatum manet Joannem XXII. qui de clara Dei visione dubium fecerat, ut ait Ptolomæus Lucensis, circa illam nihil determinasse, utpote morte præventum.

Imo opinionem in quam non occulta inclinabat, morti proximus revocavit, ac dogma catholicum palam professus est de hac Joannis XXII. retractatione, quam, definitionem priori ejus sententiæ contrariam, jure merito nuncupamus, instrumentum authenticum habemus apud Rainaldum & Bzovium in illa fidei professione quam die tertia decembris anni 1334. coram Cardinalibus quorum nomina referuntur in manuscripto vaticano, edidit,

quæ-

quæque præsentibus Tabellionibus ea de causa vocatis, ipso præcipiente lecta est, *fatemur & credimus*, inquit, *quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus, sunt in Cælo, Cælorum regno, & Paradiso, & cum Christo, in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status, & conditio compatitur animæ separatæ. si vero alia vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus recitando dicta Sacræ Scripturæ & Sanctorum, & conferendo, & non determinando, nec etiam tenendo; & sic & non aliter illa volumus esse dicta. insuper .... illa habemus & haberi volumus pro non dictis, prædicatis & scriptis, & ea revocamus expresse .... & ea submittimus Ecclesiæ determinationi & Successorum nostrorum*. Hanc autem professionem quam constitutione decretoria probabiliter confirmasset Joannes si tempore sufficienti superstes ipsi fuisset, intexuit Benedictus XII. qui Joannem excepit, quique cum aliis cardinalibus quando emissa est aderat, constitutioni quam ad perpetuam rei memoriam illico edidit.

Istius prioris sententię revocationis, & veluti publicę in oppositum definitionis, pręter Rainaldum & Bzovium meminere Joannes Villanus, continuator Nangii, Nicolaus Gillius, Bullæus Historię Academię Parisiensis Scriptor, Marsilius Inghen, qui de hac controversia consuli poterunt, sicut & Ciaconius, Spondanus, Coffetellus, Belleforest, Ptolomęus Lucensis, & Ulricus. Hanc fidei professionem pręcesserat undecim abhinc mensibus alia ejusdem sententię revocatio. in illa enim authentica declaratione facta die tertia januarii de qua supra locuti sumus, postquam dixisset Joannes in publico consistorio, se *illud solum tenere & credere, quod & Scripturæ Sacræ potest, & poterat Catholicæ fidei convenire*, hęc addebat: *& si forsan in prædictis sermonibus vel collationibus, aliqua quæ vel Scripturæ Sacræ seu fidei orthodoxæ quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis prolata dicimus & asserimus, eaque revocamus expresse, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum*. & exinde colligitur ad publicam & formalem hujus quæstionis acriter ventilatæ determinationem, nihil aliud ex hoc tempore expectasse Joannem XXII. nisi maturiorem discussionem, ne præceps alicui videretur ipsius judicium: vel forte, quod non improbabiliter dixerim, ne minacibus litteris Philippi Francorum Regis territum fuisse ac cessisse a malevolis & obtrectatoribus promulgaretur. cęterum quo impellente priorem suam sententiam revocaverit summus Pontifex; an motu proprio & veritati cognitæ cedens: an amicorum suasu & affinium, qui metuebant, ne si contraria opinioni ad quam inclinabat accederet imposterum Ecclesiæ definitio, labe indecora aspergeretur Joannis memoria, ut nonnullis placuit, investigare non juvat: & aliunde non nisi temere de internis judicatur. quidquid sit, certum est Joannem XXII. ut susceperamus ostendendum, qui ad annum usque 1330. majorum fidem & doctrinam tenuerat, in eam postea inclinasse sententiam (re nondum ab Ecclesia determinata) quæ visionem Dei intuitivam animabus justis ad resurrectionem usque procrastinat; nihil tamen circa quæstionem illam definiisse, imo morti proximum, prio-
rem

rem revocando opinionem Catholicum dogma palam & publice fuisse professum.

Quæritur, utrum a recta fide defecisse in hac parte, & alicujus erroris labe maculatus reputari possit Joannes XXII?

Resp. possit ne summus Pontifex ut privatus Doctor a recta fide aliquando deficere, & cujusdam erroris labe pollui vel non, hic non investigantes, id unum ad præsens propositum respondebimus, de Joanne XXII. nullo modo ferri posse sinistrum illud judicium; idque duplici ex ratione. 1. quia etsi in opinionem quæ animabus nihil purgandum habentibus visionem Dei intuitivam ac proinde Sanctorum felicitatem ad resurrectionem usque procrastinat aperte inclinaverit in extrema senectute, nihil tamen pro ea definiens, sed circa illam dubitanter se gerens, quid tum Scripturæ tum patres de illa docerent diligentius inquiri voluit, & tandem omne exuens dubium, antiquam Majorum doctrinam, a qua aliquo tempore recessisse visus est, palam professus, oppositam sententiam morti proximus authentice revocavit Joannes, ipsis fatentibus hujus summi Pontificis magnæ doctrinæ viri hostibus infensissimis. 2. quia etsi a primis Ecclesiæ diebus inter fideles, si quosdam excipias etiam inter Sanctos Patres, qui, ut alias observavimus, Papiæ adhæserant, unanimiter obtinuisset sententia juxta quam animæ justorum, quibus nullæ maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, statim ac corpore solutæ sunt, intuitiva Dei visione fruuntur, ea tamen ut fidei dogma solemni Ecclesiæ declaratione nondum iis diebus videbatur determinata, unde de illa dubitans ad tempus Joannes, qui oppositam sententiam nulla definitione nulloque decreto firmavit, nullo est errore notandus. & indecenter satis loqui mihi videntur Catholici quidam Theologi, dum de summo illo Pontifice idem fere ac nos in omnibus judicium ferentes, addunt illum suum tandem retractasse errorem; mitius & reverentius cum illo acturi, si eum sententiam suam revocasse dixissent.

QUÆSTIO NONA.

Quodnam & quotuplex sit visionis beatificæ objectum.

NOn pauca otiose satis pertractantes aliquando Theologi, quibus a superfluis ac vanis, nulliusque utilitatis quæstionibus esset abstinendum, perplura circa beatificæ visionis objectum scire desiderant, quæ nec felicitati Sanctorum, nec disputantium doctrinæ quidquam conferunt. Numquid augmentum accipiet, aut detrimentum patietur cælestis beatitudo quod possit a Beatis videri vel non una persona in Deo sine altera, unum attributum non visis alteris? Deum, ut est in se, vident justi, & hujusmodi cognitione beantur. de iis quæ possunt esse vel non per metaphisicas abstractiones, quorumve possibilitas si afforet, nusquam ad actum reducetur, imo quod ad statum actualitatis transeat est absolute impossibile, si inter nos concertetur qui illorum interest? quidve nostræ exinde accedit eruditioni? quid nos scire

re juvat si futura, si possibilia, omnia vel ex parte, nec non & præsentia cuncta a Beatis in Cælesti patria cognoscantur vel non. propositam ergo quæstionem brevi complectamur, primarium nihilominus beatificæ visionis objectum quod Deus est & quæ in ipso sunt, a secundario, creaturis videlicet & quæ circa eas sunt, accurate distinguentes.

ASSERTIO PRIMA.

Deum unum in essentia, Trinum in personis, eaque omnia, quæ sunt in Deo formaliter, tam absoluta quam relativa, intuitive vident in Cælo Beati; nec non clare cognoscunt cuncta fidei Mysteria, quorum fidem in terris habuerunt.

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, sæpius cum Christo diximus, & cum Apostolis Paulo & Joanne, *videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie a faciem. videbimus eum sicuti est*. Deus autem in se est unus in essentia, trinus in personis, & quæcumque sunt in Deo formaliter sive absoluta sive relativa, sunt ipsemet Deus: videant ergo Beati oportet divinam essentiam, tres personas divinas, eunctaque Dei attributa: alioqui ab ipsis non videretur Deus: & in hac visione consistit æterna beatitudo, dicente Christo apud Joannem cap. 17. *hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. ad quæ Salvatoris verba ut ostendat S. Augustinus in cognitione Trinitatis sitam esse vitam æternam hæc habet tract. 105. in Joan. *ordo verborum est, ut te & quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum. consequenter enim & Spiritus Sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filii, tamquam Charitas substantialis & consubstantialis amborum. quoniam non duo dii Pater & Filius, nec tres dii Pater & Filius & Spiritus Sanctus: sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus*. omnia pariter Dei attributa quæ necessario ab essentia fluunt, nec non primarias ac specificas eorum rationes vident Beati, cum videntes Deum sicuti est, visuri sint quidquid in prima Dei notione comprehenditur, & sine quo nec esse, nec concipi potest Divinitas.

Cuncta pariter fidei mysteria, quorum fidem habuere in terris clare cognosci a Beatis in cælo aperte indicat Apostolus dum epist. 1. ad corint. cap. 13. tres virtutes Theologicas, fidem, spem, & charitatem distinguens, & de illis tribus dicens quod nunc maneant, sed de charitate sola quod sit perpetuo duratura & numquam excidat, addit nunc nos ex parte cognoscere: at cum venerit quod perfectum est, in futuro videlicet sæculo nobis post resurrectionem in cælo semper cum Domino permansuris, evacuandum esse quod est ex parte, ut quæ nunc per speculum & in ænigmate videmus, facie ad faciem contemplemur. & revera in patria nec fides nec spes erunt, quia ibi nulla obscuritas, tenebræ nullæ, nullus timor, anxietudo nulla, sed cuncta erunt in lumine, omnia in securitate: & quidquid vel ex fide credidere, vel ex spe desideravere in hoc mundo Beati, cum Deo & in

Deo

Deo possidentes in cælo, indefectibili potientur felicitate, cui certe quidquam deesset ipsis clare non intelligentibus ac cernentibus ea, quæ per fidem ambulantes in tempore crediderant. ipsos autem eorum omnium claram in æternitate cognitionem esse adepturos aperte satis significat Augustinus lib. 20. de civit. cap. 21. hæc scribens. *ibi videbimus & gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid tunc videbimus: sed quid nisi Deum? ut impleatur in nobis promissum Evangelicum, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & omnia illa quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ longe minus quam sunt, atque incomparabiliter cogitamus. & videbitis, inquit, & gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis.* omne igitur quod fide divina in præsenti vita credimus, & ad Deum necessarium ordinem dicit, quodve imperfecte & obscure noscimus, perfecte & distincte in altera vita, revelata facie Deum contemplantes, cognoscemus.

ASSERTIO SECUNDA.

Beati in cælo se invicem, suosque noscunt: de rebus vero præsentibus ac præteritis, ea sciunt quæ ad ipsos spectant: de futuris autem, & aliis ad ordinem universi pertinentibus, ea vident quæ illorum felicitati conferre possunt.

Sese invicem, suosque in cælo cognoscere Beatos tenent Sancti patres. *in meliorem statum destinamur resurrecturi in spirituale consortium, agnituri tam nosmetipsos quam nostros*; inquit Tertullianus lib. de Monogamia cap. 10. *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum... ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est!* ait Sanctus Cyprianus lib. de mortalitate. *Tunc nihil latebit proximum in proximo, nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis ubi nullus erit alienus:* dicit Sanctus Ambrosius de obitu Valentiniani. Idque sic se habere ratio dictat, cum ex istiusmodi mutua cognitione non leve augmentum accepturam esse justorum felicitatem unusquisque nostrum facile intelligat.

Ad præsentia vero & præterita quod attinet ea nosse Beatos, quæ ad ipsos spectant, colligitur ex Sacris Scripturis dicente Apostolorum Principe Epist. 2. cap. 1. *dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Idque confirmant ecclesiæ Doctores. Sic inter alios Sanctus Papa Gregorius loquitur lib. 12. moral. cap. 17. *an aliquid nesciant qui scientem omnia sciunt? an fratres suos periclitantes non videant, non current? an qui Deum toti & totum sapiunt, cum Deus charitas sit, charitatis exortes sunt?* Hinc dicebat mox laudatus Ambrosius de Theodosio loquens, illum in cælo Honorii & Arcadii filiorum ipsius curam fore habiturum & in hac cognitione quam habent in cælo Beati eorum quæ ad ipsos spectant fundatur Sanctorum invocatio, quam ex continua ecclesiæ praxi ab Apostolorum temporibus, ut Catholicum dogma contra recentiores Hæreticos definit Concilium Tridentinum. ad quid autem Sanctorum invocatio, si preces quæ ad ipsos

ipsos a fidelibus populis dirigunitur illi ignorarent? has ergo orationes, sicut & cultum qui eis in ecclesia ad ipsius præscriptum exhibetur, ipsis manifestari est indubitatum. illos ad familiam, ad Rempublicam cujus erant viventes in terris, ante Deum assistentes attendere, & quæ circa eas aguntur intelligere certissimum est. illudque quodammodo exigere videtur Dei justitia, quod Sancti in cælo sint de suorum salute solliciti, quos in medio tentationum undequaque hostibus insidiantibus circumdatos militare non ignorant. quomodo autem in eis esset hæc pro ipsis familiaritate & charitate conjunctis sollicitudo, si Beatos laterent in æternitate, quæ sunt illorum de quibus ad ipsos spectabat in tempore? Hos omnes quos sibi superstites in via reliquerunt, quorumve curam aliquando ipsi gerebant, æternæ gloriæ in patria habere consortes haud dubie delectantur Beati, illos in terris per justitiæ semitas ambulantes intueri non parum ipsorum felicitati confert; illos suis orationibus apud Deum adjuvare, ut & illi ad æternæ salutis portum pervenire mereantur, ipsorum non potest non interesse: quomodo igitur de illorum virtutibus possent exhilarari, vel illorum subvenire necessitatibus, si præterita & præsentia quæ suorum sunt non intelligerent? quanto magis ea cognoscant in cælo Beati quæ sibi propria sunt de præteritis ac præsentibus, ut sunt tentationum pericula ex quibus Deo per gratiam misericorditer adjuvante feliciter evaserunt, impiorum æterna supplicia, ultrix Dei justitia, in qua ex speciali misericordia non inciderunt, quorumve perpetua recordatione non possunt non delectari, quis non intelligit? Divitis Epulonis historiam vel parabolam apud Lucam cap. 16. adeat is cui illa omnia non essent comperta.

Res futuras, sicut & illas quæ sunt ordinis universalis in mundi istius naturali constitutione, videre Beatos quantum ad illorum felicitatem conferre valet, ex illis quæ de Angelis loquens Augustinus habet lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 24. conjicere licet. *cum Sancti Angeli*, inquit, *semper videant faciem Dei.... procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi in ipso verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tamquam in eo per quod facta sunt omnia.* quod autem eo loci de Angelis scribit Hipponensis, de omnibus aliis Beatis est pariter intelligendum, cum horum omnium sit una & eadem ratio. Sanctus Bernardus serm. de triplici genere bonorum, pro cunctis justis loquens ait: *tunc omnia quæ in cælo, & quæ in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes.* Idque videtur ipsa ratio ostendere. cognitio enim certa rerum naturalium & supernaturalium ab intellectu creato naturaliter appetitur, cum scientia quæ circa illas versatur sit vera animi perfectio. hac igitur fraudari non possunt Beati in cælo, ubi omnia perfecta erunt in genere suo: & eo minus quod in adipiscendis hujusmodi cognitionibus in gradu imperfectissimo super terram, pro naturali instinctu quamplures illorum multum desudarunt.

Non tamen existimandum cuncta tum præterita, tum præsentia, tum futura Beatos cognoscere, multoque minus cuncta possibilia; hoc enim suppo-

sito Beatorum scientia Dei scientiam & cognitionem fere æquaret, quod falsum est. unde diximus hæc cognituros esse Beatos quantum ad illorum felicitatem opus erit. in cælesti gloria Sanctos esse ex omni parte felices est indubitatum; quidquid ergo illorum beatitudini conferre valet ipsis esse a Deo remuneratore munificentissimo præstandum negari non potest. alioqui verum non esset, beatitudinem in se ipsa consideratam, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum; quod tamen, consentientibus omnibus, importat illius natura. Has ergo cognitiones alias cujuscumque ordinis sint, quæ cęlesti ęternęque beatitudini nihil pręstant, Sanctis concedere videtur superfluum illis fruuntur vel non, quid interest?

ASSERTIO DECIMA.

Quomodo fiat visio Beatifica & undenam sit repetenda ipsius inæqualitas.

NUllam dari posse Creaturam, quantumvis perfecta supponatur, cui connaturalis sit vel debita intuitiva Dei visio cum Doctore Subtili ut ex omni parte indubitatum existimantes, ex eo quod nulla esse possit, quæ ex propria & intima naturę suę conditione beata sit & impeccabilis, (quod utrumque secum necessario & absolute importat intuitiva illa Dei visio) dicente Augustino lib. 12. de civit. cap. 1. quod *omnis Creatura quæ potest esse beata, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo a quo creata est*: & lib. 4. de Trinit. cap. 4. agente de creatura intellectuali, *quamquam magna natura sit, vitiari tamen potuit, quia summa non est:* examinandum habemus quomodo ad visionem hanc beatificam elevetur intellectus creatus, & quodnam sit visionis intuitivę principium; vel quod idem est, per quid potentia naturalis ex se insufficiens ad objectum beatificum attingendum, perficiatur ut valeat ad Deum usque pervenire. Necessarium esse auxilium aliquod supernaturale ostendimus, cum homini possibilem non esse per solas naturæ vires visionem Dei intuitivam supra declaravimus contra Beguardos & Beguinas.

Circa naturam istius auxilii non omnimode inter se concordant Theologi. quidam volunt novum illud auxilii genus a charitate vere distinctum & gloriæ lumen vocatum, nihil esse aliud quam ipsum Deum creaturę intellectuali assistentem, eamque incessanter & continuo adjuvantem ad supernaturalem hunc actum eliciendum; existimant alii communiter auxilium illud vel lumen glorię, esse qualitatem quamdam fixam, permanentem, intellectui creato inhęrentem, & ab ipsa visione distinctam, quę intellectui vires addit, & cum ipso ut internum principium ad ejusmodi actum eliciendum concurrit.

Falsissimo fretus principio Jovinianus æqualem in omnibus Sanctis esse visionem beatificam sentiebat ex Stoicorum placitis, ut testatur Sanctus Hieronymus. sicut peccata æqualia inter se volebat ita & bonorum operum merita æquabat: ideoque pænarum & præmiorum respective æqualitatem propugnabat:

gnabat: unde inter Sanctum & Sanctum sicuti nec inter reprobum, & reprobum, nullam diversitatem admittebat. undenam repetenda sit beatificæ visionis inæqualitas tum in ordine morali tum in ordine physico investigandum occurrit. Id ne repetatur a solo lumine gloriæ, vel etiam ab intellectus perspicacitate, in utramque partem controvertitur. circa duplex præsentis quæstionis objectum, quænam sit nostra mens, sequentes declarabunt assertiones.

ASSERTIO PRIMA.

Creatura intellectualis per nativas vires ad Deum intuitive videndum ex se insufficiens, per lumen gloriæ, quod est habituale quoddam auxilii genus illi omnino necessarium, ad Beatificam visionem evehitur.

INsufficientiam creaturæ intellectualis ex viribus nativis ad intuitivam divinę essentię contemplationem cum alias abunde satis ostenderimus, nihilque dicendum omiserimus, pauca de secunda assertionis parte nobis tractanda supersunt. Hanc autem luminis glorię absolutam necessitatem ad supplendam creaturæ insufficientiam implicite vel indirecte, efficaciter tamen, manifestant quę de ista locuti sumus. luminis glorię veritatem sufficienter suadent divinę Scripturę: sic Psal. 35. *quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* Isaię cap. 60. *non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam:* & Apocal. cap. 22. *& videbunt faciem ejus . . . . & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*. Hinc noster Nicolaus de Lyra Academię Parisiensis Doctor Theologus percelebris in verba Psalmistę mox laudata juxta Sanctorum Patrum doctrinam hęc habet in glossa: *in lumine creato gloriæ videbimus lumen tuæ essentiæ, quod videri non potest ab intellectu creato, nisi ad hoc elevetur per lumen gloriæ, fortificans lumen naturale intellectus*. admittendum ergo est lumen illud quo mediante revelatur menti creatę eique manifestatur Deus ipse, qui est gloria nostra, & beatitudo nostra. ejus autem necessitatem, quam ut ad fidem spectantem definiit Concilium Viennense sub Clemente V. damnans errores Beguardorum & Beguinarum, ipsa ratio fatetur. Dato enim quod Deus clare cognoscibilis & facie ad faciem videndus, sit, ut revera est, extra sphæram naturalem intellectus creati, necessarium ipsi est quoddam auxilii genus, quod ipsius incapacitatem & infirmitatem suppleat, intellectum evehendo usque ad Deum, illumque roborando ad visionem Dei eliciendam, non solum extrinsece hunc afficiendo, sed sese ipsi adjungendo eique intrinsece adhærescendo, tamquam actionis ejus vel intellectionis comprincipium. ideoque creaturæ intellectuali necessarium est hujusmodi supernaturale auxilium, nedum ad facilius & expeditius, sed etiam ad simpliciter & absolute actum visionis eliciendum: unde cessante tali auxilio, si ex impossibili æterna non esset semel concessa creaturæ visio beatifica, propriæ

suæ ac naturali infirmitati vel insufficentiæ relicta creatura, a Dei visione ac supernaturali beatitudine vere & realiter deficeret.

Nec huic luminis gloriæ omnimodæ necessitati ullo modo contradicit Doctor subtilis, quin potius illam ut quid indubitatum supponit. & juxta ipsum in cælesti beatitudine lumen gloriæ se habet respectu visionis in intellectu; sicut se habet respectu amoris beatificantis Charitas in voluntate, quam nemo non necessariam existimabit. *Nullus negat communiter*, inquit in 1. dist. 17. quæst. 2. in fine, *in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu. & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis*. & miror quod Theologi insignes ut VVitasse, Tournely, aliique non mediocris notæ Scotum celeriter nimium legentes, leviter adeo asserant ipsum tenuisse homini in cælum evecto ut videatur Deus, sufficere charitatem, quæ in hominis istius anima jam erat, & ex actuali quodam & extraordinario concursu augetur, nullo ipsi adveniente de novo habitu supernaturali. Nonne advertunt talia fantes, verba Doctoris accurate minus perpendendo, se a vero illius sensu recedentes absurda & inepta illi supponere? enim vero quid confert ad visionem charitas, quæ intellectum nequit afficere? ex cognitione, quæ se habet præsuppositive ad amorem in cælesti patria, ut quondam de formali hominis beatitudine differentes diximus, inflammetur voluntas, & in Deum beatificantem vehementius feratur, id suadet ratio, & est juxta vera Doctoris principia. sed ex amore fruitivo, qui non se habet præsuppositive ad cognitionem, non enim diligimus ut videamus, contemplamur e contra ut fortius amemus, ad Dei contemplationem. Evehatur mens creata, id opinari renuit ratio, & est a Scoti mente prorsus alienum: cum ad hoc invertendus esset ordo potentiarum & operationum, quem recte semper ille distinxit: unde parum æque de eo cogitant qui, illum non admittere supernaturalis auxilii, ut est lumen gloriæ, necessitatem, ut intuitive Deum cernere queat intellectualis creaturæ, arbitrati sunt, cum oppositum sentiat.

Sed inquiunt, Scotus dicit, quod „ necesse non est aliquem habitum in „ patria creatum in ipsa anima ponere, qui sit principium videndi objectum „ vel in illud tendendi, saltem alium nisi charitatem: quodque cum essen„ tia divina sit summa lux ex se, & de se intelligibilis, & de se perfectis„ sime motiva intellectus, nullum lumen requiratur sibi cooperativum" esto quod hæc & similia dixerit Doctor subtilis. & merito quidem; quę si non dixisset, ea nihilominus dicturus erat, ut a communi Theologorum sententia non recederet. at quare & quando talia loquitur, nisi in hypotesi quod intellectus non concurreret active ad visionem beatificam, sed illam in semetipso dumtaxat reciperet, quo posito lumen gloriæ esset solum modo respectu intellectus aliquid dispositivum ad visionem recipiendam: at in tali hypotesi, quam non admittit Scotus, si ponendus esset quidam alius habitus in patria creatus præter charitatem, illa forma disponente utpote supernaturali, requirente iterum aliud ad illam dispositivum, admittendus esset progressus in infinitum. & aliunde si intellectus non concurreret active ad beati-

tifi-

tificam visionem, sed illam in se reciperet, cum essentia divina sit summa lux, & per se intelligibilis, inutile aut superfluum esset quodcumque aliud lumen sibi cooperativum: tunc enim beatifica visio ab essentia divina sola totaliter produceretur, intellectu mere passive ad eam se habente.

Verum juxta Doctoris subtilis principia cum aliter res se habeat, & ad visionem beatificam active concurrat intellectus creatus, Ipsi necessarium est lumen gloriæ, quo adjuvante ad contemplandum Deum evehatur, capaxque reddatur eliciendi visionem Dei. Hinc est quod in 4. dist. 40. quæst. 11. dicat quod „ anima humana non est sufficienter activa ex puris naturalibus „ ad consequendum actum visionis, quia ex se non habet Deum in se præ„ sentem sibi sub ratione objecti, nec in alio in quo eminentius continea„ tur: ideoque in Beato ponitur aliquid supernaturale, non propter receptio„ nem, sed propter operationem, ut a Beato eliciatur actio qua Deum at„ tingat. & cum duplex potentia in Beato concurrat in operatione, scili„ cet intellectus & voluntas, propter utramque potest talis supernaturalis for„ ma poni: una ex parte intellectus, quę dicitur lumen gloriæ: altera „ ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas. si autem objectum in se præ„ sens sufficeret ad causandam actionem visionis intuitivę, & intellectus sit „ mere passivus habens se solum in ratione susceptivi ad actum visionis, „ cum non requiratur propter receptionem solum aliqua forma ex parte in„ tellectus, tunc non requiritur lumen glorię. si etiam voluntas sit mere „ potentia passiva respectu fruitionis, tunc ex parte voluntatis non requiri„ tur charitas. unde ponentes voluntatem mere passivam respectu fruitionis „ tollunt charitatem. “ quando igitur Doctor subtilis necessitatem tollere videtur luminis glorię, loquitur juxta mentem eorum qui intellectum passivum volunt, vel de lumine glorię se tenent ex parte objecti, quod objectum cum sit totum in lumine, sitque ipsa summa lux, nullum aliud ut videatur, exigit lumen ex parte sui, satisque sit quod menti creatę se exhibeat pręsens. necessitas autem luminis illius, vel formę supernaturalis, ut loquuntur, cuncta se tenent ex parte potentię, quę ex se infirma ad actionem supernaturalem, qualis est visio Dei intuitiva, indiget evehi aut perfici ad actum hujusmodi producendum. Hæc vero potentia si passiva esset, tali auxilio non indigeret, cum nihil tunc operaretur? quapropter de intellectu respective ad visionem Dei loquens Scotus ibid. in Resp. ad 3. Arg. concludendo dicit, „ si autem est potentia passiva, & receptiva, tunc non requiri„ tur lumen gloriæ. “ indiget autem illo potentia activa: ideoque dicit in eadem quæstione num. 9. & in reportatis ibid. num. 9. „ si autem ponatur „ quod intellectus est aliquo modo activus respectu cognitionis Dei, non po„ test tamen agere nisi cum lumine. “ verum est quod dicit Doctor in resolutione dist. 49. quæst. 11. lib. 4. quod „ lumen gloriæ licet reipsa sit in „ Beatis, tamen non est simpliciter necessarium. “ Sed statim rationem velut reddens suæ sententiæ addit, quod „ voluntas divina intellectum creatum „ præveniens, sic præter habitum quemcumque potest illum elevare ac juva„ re, ut posset beatificam comproducere visionem, objiciens divinitatem ipsam

„ in-

„ intellectui ratione objecti. " & sic loquens, cum omnibus Theologis sentit, qui tenent lumen gloriæ habituale non ita necessarium esse intellectui creato ad videndum Deum, ut non possit suppleri per actualem quemdam & uberiorem Dei concursum; licet communi huic opinioni plures ex Thomistis non assentiantur. ex his ergo liquet Doctorem subtilem necessitati luminis gloriæ, quo evehatur ad beatificam visionem intellectus creatus, nullatenus contradicere, quamvis in hypotesi intellectus passivi, in quam inclinare quandoque videtur, aliud juxta ipsum ferendum sit judicium. quæ omnia si æqua lance librassent illi Theologi de quibus supra locuti sumus, opinionem Doctori nostro ab ipsius mente alienam non adjudicassent. Sic præter intentionem licet, præcipiti tamen culpandoque judicio, credulæ juventuti, sæpius in verba magistri juranti, insidiantur homines doctrina conspicui, Doctori subtili Magistro colendissimo, insulsas quandoque suppositiriasve opiniones adscribentes. quod ut verum fatear, mihi stomachum non parum movet, cum hominem profundi sermonis, subtilis, recti tamen ingenii, sanissimæ semper doctrinæ, tot titulis magni faciendum, apud permultos exinde veluti eviluisse video, atque etiam de tanta injuria ipsius discipulis non expostulantibus. His ex industria observatis ad propositum redeamus.

Lumen gloriæ de quo agitur, esse habituale quoddam auxilii genus intellectum evehens ad visionem beatificam, fatentur quotquot illius necessitatem agnoscunt. est habitus, idest qualitas quædam stabilis & permanens, supernaturalis, intellectui Beato infusa, non acquisita, non minus quam charitas in homine justo; gratiaque Sanctificans quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: & intellectui datur ut ipsa juvante, Deum non transeunter & ad tempus, sed in statu firmo ac stabili contemplari queat. id autem observandum, quod licet sit de fide ex Concilio Viennensi intellectum creatum indigere supernaturali auxilio ad Deum intuitive videndum, ad fidem non pertinet illius auxilii natura, de qua nihil definivit Ecclesia, an sit habitualis vel actualis motio, transiens vel permanens. dicitur habitus supernaturalis & infusus, ex eo quod non sit homini connaturalis, & ad operationem supernaturalem conceditur, nec ulla hominis industria, ullo labore comparari potest. per hunc habitum evectus & corroboratus intellectus Deum intuitive cernit, quem facie ad faciem non videret, nec posset videre, tali auxilio deficiente.

Ex his sequitur, in visione intuitiva intellectum esse causam principalem, quidquid sentiant nonnulli, tenentes lumen gloriæ id habere causæ principalis, & intellectum esse causam instrumentalem, quod fictitium esse facile intelligitur, cum facultas vitalis ut est intellectus, active concurrat per modum causæ efficientis & principalis ad actionem vitalem, ut est intuitiva visio, quæ est vera cognitio. unde lumen gloriæ melius diceretur instrumentum quo adjuvatur causa quæ in actione principalem habet partem. sequitur insuper illud habituale auxilii genus quod lumen gloriæ dicimus, Beatis concedi plane in ordine ad visionem, & non ad ornatum solum vel decorem: „ non enim potest poni aliqua forma in Beato solum ad decorem & pulchritu-

„ di-

„ dinem, & quæ non ordinetur ad actionem: & illa forma supernaturali: „ requiritur propter operationem eliciendam, " inquit Scotus ubi supra. quomodo autem id intellectui præstet lumen gloriæ ut illum ad intuitive videndum Deum evehat; illud præstat ipsi in ordine ad visionem Dei eliciendam, quod in nobis fides, spes, charitas habitus supernaturales præstant in ordine ad actus fidei, spei, & charitatis, cum facultatibus concurrendo efficienter, & earum virtutem augendo, non juxta modum habituum naturalium facilius operari dumtaxat præstantium, sed dando operari simpliciter, facultate naturali ad actum illum supernaturalem remanente impotente, nisi habitibus illis supernaturalibus qui dantur ad agendum, adjuvetur.

ASSERTIO SECUNDA.

Visionem beatificam, quæ in omnibus tam Angelis quam hominibus ejusdem est speciei, non esse in omnibus Beatis æqualem ob meritorum inæqualitatem nos docet Catholica fides.

Ejusdem speciei in omnibus Beatis esse visionem beatificam quis negaret? undenam enim desumeretur illius specifica diversitas, cum pro omnibus idem sit formale objectum, & eadem sint in omnibus visionis intuitivæ principia? formale æternæ ac beatificantis visionis objectum est Deus clare contemplandus, quibuslibet intellectibus beatis eodem modo se præsentem exhibens, licet juxta diversam mensuram. principia sunt intellectus creatus & lumen gloriæ: mens autem ut concurrens ad intuitivam Dei visionem, in omnibus prorsus ejusdem est conditionis, cum in cunctis sive Angelis sive hominibus, actum visionis intuitivæ eliciat ut per auxilium supernaturale evecta: sicque etiamsi specie discreparent mentes Angelicæ & humanæ, eadem omnino esset cunctarum ratio, cum non per lumen gloriæ evehantur ut formaliter vel Angelicæ vel humanæ, sed præcise pro ut sunt in genere facultates intellectuales, sub qua ratione certo non discrepant specifice. lumen gloriæ in omnibus & singulis prorsus idem est: in cunctis idem præcise munus exequitur. ejusdem ergo in cunctis Beatorum spirituum ordinibus sit speciei visio beatifica necesse est.

Illius vero beatificæ visionis inæqualitatem ob diversitatem meritorum Sacræ Scripturæ sicut & Ecclesiæ Patres prædicant. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, inquit Christus Dominus apud Joannem cap. 14. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, ait Apostolus 1. epist. ad Corinth. cap. 3. & cap. 15. dicit: *alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*. Ex his sive Christi, sive ipsius Apostoli verbis colligunt Sancti Doctores beatificæ visionis inæqualitatem fundatam supra meritorum imparilitatem. *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* inquit Tertullianus in Scorpiaco cap. 6. *Non res indiscreti judicii electio est; sed ex me-*

meriti delectu facta discretio est. multas mansiones Dominus in Cælis esse testatur: plures enim mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur; sed licet diversa sit dignitas, differt enim stella stellæ in gloria: tamen quotquot habitationibus, variis licet, digni habebuntur, fidei fructum & honorem gloriæ Cælestis sortientur. ait S. Hilarius in psal. 64. *Cum audiunt in domo patris mei mansiones multæ sunt*, ait S. Augustinus de Apostolis loquens tract. 67. in Joan. *a perturbatione recreantur certi ac fidentes post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros, quia etsi alius est alio fortior.... alius alio sanctior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt: nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.... multæ mansiones diversas meritorum in una æterna vita significant dignitates. alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum; stella enim a stella differt in gloria: sic & resurrectio Mortuorum, tamquam stellæ Sanctis diversas mansiones diversæ claritatis, tamquam in Cœlo, sortiuntur in Regno.*

Juxta meritorum mensuram repetendam esse mercedem apud Deum ut indubium habens Sanctus Martyr Polycarpus, minas mortis intentanti dicebat, ut habetur in actis passionis ejus: *merita mea doloris æstimatione pensabo: quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam*. amplitudini meritorum respondere præmii magnitudinem, sicut iniquitatibus supplicia sciens Chrysostomus dicebat homil. 41. in epist. 1. ad corinth. *etsi in regno cælesti sint omnes, non tamen omnes iisdem præmiis potientur; uti nec in gebenna peccatores omnes eadem tormenta patientur*. a quo non recedens Theodoretus in illud idem quod loquitur Apostolus de stellarum differentia, ait quod *non omnes justi ejusdem præmii erunt participes, sed recte factis congruentem habebunt remunerationem*. quibus omnibus consonant ea quæ jam dixerat Mediolanensis Antistes Ambrosius lib. de bono mortis cap. 10. his verbis: *erit igitur ordo diversus claritatis, & gloriæ, sicut erit diversus ordo meritorum*. & lib. 5. in Lucam dicens, *cum fueris in regno Cœlorum tunc processus est mansionum: etsi unum regnum, diversa tamen sunt merita in regno Cælorum*. His addantur, Cyprianus lib. de habitu virginum, & ante ipsum Justinus dial. cum Tryph. Irenæus. lib. 1. cap. 10. Prosper in sententiis. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. Gregorius Magnus lib. 4. moral. cap. 31. & alii plures, inter quos non prætermittendus S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum quem pluribus argumentis ex professo confutavit.

Scripturæ auctoritati, & Sanctorum patrum testimoniis accedunt Conciliorum decreta quod credendum statuerat Synodus Mediolanensis post Siricium damnans Jovinianum anno 389. teste Sancto Ambrosio epist. 42. definiere tum Patres Florentini in decreto unionis dicentes. *Sanctorum animas in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & unum pro meritorum diversitate, alium alio perfectius*. Tum patres Tridentini sess. 6. can. 32. anathema pronuntiantes in eum qui dixerit, *bona opera hominis justificati quæ sunt Dei dona non esse etiam hominis ipsius bona merita, aut ipsum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Christi meritum fiunt, non vere mereri si in gratia decesserit, vitæ æternæ consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum*.

Nec

Nec desunt rationes Theologicæ ad veritatis istius confirmationem. siquidem in ipsa Dei justitia ac magnificentia fundata videtur inæqualitas beatificæ visionis, data semel meritorum diversitate. Nonne postulant æquitas plus mercedis rependi iis qui plus laboraverunt, qui graviora passi sunt, qui majora gesserunt, qui dura certamina certaverunt? alioqui, quomodo vita æterna seu Cælestis beatitudo vocari posset præmium & merces, si inferioris meriti justo secundum eamdem mensuram rependeretur juxta quam accepturus est Sanctus, cujus undequaque merita coruscant? Hoc semel admisso, Beatissima Genitrix Dei virgo Maria in æterna beatitudine, nullo præ justis aliis etiam inferioris ordinis gauderet privilegio, quam super omnes Cœlos & super choros Angelorum exaltatam celebrat Sancta Christi Ecclesia. & quis id etiam cogitaret? Insuper qua ratione justitia ultrix diversas infligeret pœnas pro scelerum inæqualitate, juxta illud Apocalypseos, *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, si justitia præmians de meritorum diversitate parum sollicita, justos quoscumque faceret in retributione pares?

Ergone, inquiunt illi quibus non arridet beatificæ visionis inæqualitas, erit in cælesti patria, cur alteri unus invideat? Nonne infelicem se reputabit iste ex majori alterius felicitate, quam ex innata naturæ inclinatione non poterit non appetere? & inde angor, hinc mæror. Numquid non est in retribuendo Deus universalis Pater ille familias, qui singulis operariis sero vocatis eumdem rependit denarium, nulla diversitatis meritorum habita ratione?

Resp. quam carnaliter de Cælesti patria sapiunt, qui inordinatos naturæ vitiatæ affectus in ea futuros arbitrari videntur, dum ibi locum esse invidiæ ex retributionis inæqualitate fingunt! *Neque enim in illo regno beatitudinis in quo pax summa est, inveniri poterunt hujusmodi scandala quæ colligantur*, inquit Sanctus Papa Gregorius hom. 12. in Evang. Deo beatificatori ex intimis visceribus adhærescentes plus quam sibi omnes Sancti, quid uni præ alio in ęternitate ex æquo præstetur, vel non videbunt ut tristari possit, ita ut felicitas unius ex majori alterius mercede minueretur, indeque confundi queat hujus supernæ civitatis perfecta pax, summa concordia: vel potius diversum illud glorię pondus uniuscujusque meritis correspondens in ipsa Dei tunc non occulta justitia cernentes exultabunt Sancti, indeque lætabuntur, quod sibi datum esse pro merito suo unusquisque intelliget, ideoque sua sorte contentus, nullus erit qui quod sibi non debetur desideret: unde ex aliorum abundantia infelix non erit qui minus acceperit; sed magis se beatum reputabit quod ipse habeat quantum desiderare potuerit. Hinc idem Gregorius lib. 35. moral. cap. 15. perbelle ait, *æqualis est nec major appetitus, quia quis tantum capit quantum cupiat: quantum quisque sitit, tantum bibit: inæqualis, quia, qui plus bibit, plus sitit: æqualis tamen plenitudo, quia æqualis est omnium saturitas*. Nullus igitur angor ibi esse poterit, nullus mæror, quia quod suum est se accepisse quisque agnoscet, nec oculo obliquo alterius majorem honorum atque gloriarum gradum ullus limabit. ad quod advertens S. Augusti-

 nus,

nus, de æterna felicitate civitatis cœlestis sic loquebatur lib. 22. de civit. cap. 30. *Id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri, tamque nollet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissima concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* & revera, quomodo & quare aliquis in Cælo vellet amplius habere, quando unusquisque apparente gloria Dei ibi feliciter satiabitur?

Deum cunctis pro diversitate meritorum præmia inæqualiter largientem esse universalem Patrem Familias, operariis singulis eumdem tamen denarium rependentem quis iret inficias? & vere totius familiæ pater cunctos Filios suos æterno amore prosequens, singulisque operariis eamdem mercedem rependens, cum nullus eorum, etsi alius alio sanctior, alienetur a domo Dei, quæ, per denarium illum qui omnibus datur æqualiter in præmium, designata est. de illa tract. 67. in Evang. Joan. sic loquitur Augustinus. *Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem Pater-Familias eis qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus & qui amplius laborarunt: quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura... propter unum denarium nullus separatur a regno. atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus Charitas est, per charitatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.* inæqualitatem nihilominus meritorum cui respondet inæqualitas præmiorum in ejusdem parabolę expositione supponit vel potius declarat S. Doctor, tum serm. 87. de verbis Domini cap. 4. etsi vitæ ęternę ratione alius ab alio non discrepet. *Denarius est vita æterna*, inquit, *& in vita æterna omnes æquales erunt. quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Tum lib. de Sancta virginitate cap. 26. ubi Joviniani illa parabola in sui erroris confirmationem abutentis, videtur diluere objectionem sic loquens. *quid sibi ergo vult, inquiunt, ille denarius, qui opere vineæ terminato æqualiter omnibus redditur?... quod utique, nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicut est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit... Hic est ille denarius, merces omnium. stella tamen ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum: hæc sunt merita diversa sanctorum. si enim cælum significaretur illo denario, nonne in cælo esse omnibus est commune sideribus? & tamen alia est claritas solis, alia gloria lunæ, alia stellarum... ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus Sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est: quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivit alius alio prolixius; in mul-*

tis

tis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. una igitur erit omnibus merces quantum ad ęternę vitę durationem propter hujus denarii unitatem, sed non omnibus in eadem mensura ob meritorum inęqualitatem.

Hæc autem ut facilius intelligantur, duplex, ut ita dicam, beatitudo in patria debet distingui: essentialis una, accidentalis altera. Dei possessio per cognitionem ex parte intellectus, & amorem fruitivum ex parte voluntatis, essentialem constituit beatitudinem, quæ omnibus Beatorum ordinibus communis est: omnes enim Deum in æternitate contemplantur, illum clare & facie ad faciem videntes, huncque toto cordis affectu diligunt, & in illum toto voluntatis pondere feruntur. at cognitionis in intellectu, & amoris fruitivi in voluntate, non eadem est intensio in cunctis Deum per utramque illam operationem possidentibus. in tantum ab unoquoque justorum cognoscitur & diligitur Deus, in quantum in eo intellectus per auxilium supernaturale evehitur, & in illo dilatantur spatia Charitatis. de utroque juxta suam capacitatem quisque habet, quam in singulis æqualem esse gratis fingeretur. quantacumque sit in Beatis cognitionis & dilectionis intensio, Deum nusquam juxta ipsius cognoscibilitatem & amabilitatem cernent vel diligent, cum Deus sit infinite cognoscibilis & amabilis, & operationis infinitæ, etiam in cælo, capax non est mens creata; & ideo ob connaturalem & necessariam creaturæ limitationem, ab illa, quantumvis perfecta supponatur, Deus comprehendi non potest qui est omni ex parte infinitus. cognoscetur Deus in æterna felicitate a Beatis pro ut illis seipsum manifestabit, & ab illis diligetur juxta omnem latitudinem Charitatis; quæ cognitio ex parte creaturæ, sicut & Charitas qualiscumque sit intensionis, ex omni se creatura adhærebit Deo, & ex illimitata hac adhæsione, gloria Dei satiata creatura, summa ac perfecta felicitate fruetur in perpetuum. Hæc major vel minor cognitionis ac dilectionis intensio, in æqua Dei largitate fundata, beatitudinem accidentalem constituit: hæcque cum Sanctorum meritis æquiparetur, in omnibus justis eadem non est, sed diversa seu inæqualis juxta meritorum inæqualitatem. unde licet unus non possit dici alio beatior, quia pro modulo omnes possident Deum qui est omnia in omnibus, & hunc totaliter adeo possident, ut cuncti repleantur in desideriis animæ suæ, sicque pari fruantur felicitate in Deo veræ ac summæ beatitudinis principio consummati, non omnibus tamen datur secundum eamdem mensuram Deum cognoscere & diligere, sed unicuique datur pro ut diversa postulat ratio meritorum.

His ita observatis, quæ dicturi eramus in nostris Theologico-Moralibus exercitationibus, tractantes de actibus humanis, ubi de vera & unica hominis beatitudine tum objectiva, tum formali, facile solventur quæcumque contra præsentem assertionem opponerentur. ex mox dictis non inferas tamen in singulis Beatis inæqualem esse visionem beatificam: inepta enim & falsa hæc illatio foret, cum plures in cælesti patria reperiuntur justi æqualis meriti, qui proinde cæteris paribus, eadem beatitudine accidentali in sensu jam exposito sunt potituri.

ASSERTIO TERTIA.

Inæqualitas beatificæ visionis moraliter ex meritorum inæqualitate repetenda, proxime & efficienter petitur, tum ex inæqualitate luminis gloriæ, tum ex diversa perspicacia intellectus, qui Physice per nativam aciem active concurrit tamquam causa principalis, non autem ut instrumentalis, ad illam visionis hujus inæqualitatem.

CAusam moralem hujusce inæqualitatis esse meritorum diversitatem abunde satis ostendunt quæcumque circa præcedentem assertionem disputavimus: meritis enim debetur merces, & virtuti præmium. unde Sanctus Fulgentius lib. de Trinitate dicebat quod *tantum amplius alius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit, præceptisque ejus obediens fuit.*

Causam vero proximam istius inæqualitatis & efficientem esse tum inæquale lumen gloriæ, tum ipsam mentis vim naturalem, jure, merito propugnamus; utpote quod ad eosdem effectus inæquales concurrentibus diversis causis seu principiis propriam cuique sed diversam agendi virtutem habentibus, ipsis proxime tribuenda sit effectuum hujusmodi inæqualitas. cum ergo ad visionem beatificam quam inæqualem in Sanctis mox ostendimus, lumen gloriæ ac intellectus creatus tamquam duo comprincipia concurrant, & aliunde constet de diversa intellectuum perspicacia disparique virtute, qua ratione ab utroque principio non repeteretur proxime ac efficienter visionis beatificæ indubitata inæqualitas?

Totam inæqualitatem illam refundentes Theologi ex maxima parte in lumen gloriæ, quod in majori vel minori mensura pro meritorum varietate Sanctis a Deo subministratur, nihil conferre ad illam mentis creatæ vim naturalem arbitrantur. sed præterquam quod infirmas existimant Scotistæ rationes, quibus aliis nullam in hac inæqualitate partem habere nativam intellectus activitatem ostendere conantur, mihi insuper hæc arbitrantes parum sibimetipsis constare videntur. est autem inæqualis mentium acies ac perspicacia causa efficiens & principaliter inæqualitatis visionis beatificæ. ubi enim sunt ejusdem actus duæ causæ simul ad illum concurrentes, illa haud dubie vere efficiens & principalis est censenda, quæ est realiter illius actus elicitiva, & per propriam sibi facultatem illum elicit; illa vero quæ per suum concursum licet absolute necessarium, facultatem elicitivam actus ad illum producendum perficit & elevat, supplendo quæ facultati elicienti desunt ex se vires, nullumque erga talem potentiam aliud munus habet, quam naturali infirmitati ipsius subvenire illam adjuvando, sufficientes vires ad hunc actum eliciendum ipsi suppeditans, ipsaque vero nusquam est elicitiva istius actus, hæc, inquam, causa minus principalis est reputanda; & vere efficiens in rigore logico dici nequit, sed potius instrumentalis causa esset prædicanda. in visione autem beatifica, mens creata actum visionis vere ac rea-

realiter elicit, illumque producit per facultatem sibi propriam, id est, pro ut potentia est vitalis, cum visio beatifica etsi actus ordinis supernaturalis, sit vere actus vitalis juxta quoscumque Theologos: lumen vero gloriæ, quod ad productionem talis visionis est ita absolute necessarium, ut potentia elicitiva illius nusquam posset, ipso deficiente, in talem prorumpere actum, non potest hunc elicere actum: id enim facultati vitali, ut est intellectus, proprium est: totumque munus luminis illius est, quod intellectui ex se ad visionem beatificam cum viribus nativis impotenti, sufficientes addat vires, illum adjuvando, & efficienter concurrendo ad visionem Dei eliciendam, est ergo intellectus causa efficiens principalis visionis beatificæ, ad quam active secundum sibi connaturalem perspicaciam concurrit, & in istius perspicaciæ inæqualitatem principaliter est refundenda visionis illius inæqualitas.

Et si ex hoc duplici comprincipio ad eumdem effectum indivise concurrente, unum reputari posset velut instrumentum respectu alterius, illud melius de lumine gloriæ diceretur quam de intellectu causa Principe illius effectus, nempe visionis beatificæ. Neque enim ad supernaturalem istius visionis actum eliciendum intellectus est propter lumen gloriæ sed lumen gloriæ est propter intellectum. præterea ex duabus causis simul ad eumdem effectum ita concurrentibus, ut nulla earum valeat absque alia illum producere, illa indubitanter principalis non reputabitur quæ absolute loquendo suppleri poterit effectu non impedito, cum alia in nulla hypotesi per quamcumque alteram causam suppleri queat. cum ergo omnibus, fere fatentibus in visione beatifica habituale illud auxilii genus elevans mentem creatam ad Deum in cælo intuitive videndum, possit absolute suppleri per actualem quemdam transeuntem & supernaturalem Dei concursum, mens vero nequeat suppleri, id enim importat repugnantiam: evidens est in visione beatifica intellectum esse causam principalem vereque efficientem actus illius vitalis, qui nonnisi a potentia vitali elici potest. & aliunde quomodo, ad illum concurrit active intellectus, si naturalis ipsius acies major vel minor ad inæqualitatem illius nihil confert? virtus sibi propria & innata per quam active concurrit intellectus ad visionem Dei eliciendam, quantumvis elevatus & roboratus sit per lumen gloriæ, in omnibus æqualis non est. quid enim est hujusmodi virtus menti innata, nisi acies illa diversa juxta quam perfectius, vel minus perfecte operatur, vel producit suas intellectiones, quæ ejusdem in quibuslibet intellectibus essent perfectionis, si perspicaciæ illorum inæqualitas ad vitales eorum actus non conferret? dicentne vim naturalem intellectus, quæ in variis subjectis adeo diversa est ac inæqualis, locum habere in actibus vitalibus ordinis naturalis, non vero in supernaturalibus; vel intellectum in visione beatifica non agere ut est potentia naturalis, sed ut elevata & facta supernaturalis per lumen gloriç, & sub illa ratione nullam esse in mente Beatorum inæqualitatem?

Verum talia opponentes ut validius suç sententiæ fundamentum, rationem illam jejunam & infirmam minime probant, quæ tamen fulciri indigeret. cur enim diversa mentis acies ad actus vitales ordinis naturalis aliquid

quid conferret, & non ad eos qui sunt ordinis supernaturalis? actus illi diversæ sint speciei, cum actus ab objectis specificentur, sunt tamen ejusdem generis in utroque ordine, ex eo quod sint actus vere vitales; in utroque ordine eliciuntur ab eadem vitali facultate, a qua elici non possunt nisi secundum id quod proprium est huic facultati etiam per accidens; in actum ergo cujuscumque sit ordinis influere debet major vel minor activitas mentis ac perspicacia, quæ huic menti, licet quid accidentale, est vere ac realiter propria. Supponamus ex impossibili nullam intellectibus creatis inesse vim naturalem ad eliciendas suas intellectiones ordinis naturalis; quæro, quid in tali hypotesi, fictitia quidem, conferet lumen gloriæ pro intellectionibus ordinis supernaturalis? Nihil prorsus, & ad actus illos diversi ordinis eliciendos erit semper impotens talis intellectus. unde si ad vitales actus ordinis naturalis confert multum naturalis acies mentis creatæ, ad actus eosdem etsi ordinis supernaturalis non parum est etiam collatura. Nec obstat quod dicitur, intellectum videlicet in visione Dei non agere ut potentia est naturalis, sed ut elevata & facta supernaturalis per lumen gloriæ. Nam primo falsum est facultatem illam fieri supernaturalem per lumen gloriæ, cum hoc posito inutile esset auxilium habituale, & satis esset auxilium aliquod actuale, cujus vi ac efficacia supernaturalem in statu transformata illa potentia esset ad effectum visionis beatificæ in ratione, ut ita dicam reciproca cum objecto videndo, & nullo habituali indigeret: siquidem necessitas illius auxilii habitualis petitur ex habituali & non cessatura indigentia creaturæ, quę remanens in suo esse naturali, postulat indesinenter perfici & elevari ad eliciendos actus supernaturales, qui activitatem ipsi connaturalem excedunt. elevatur ergo facultas naturalis per auxilium supernaturale, quo mediante & in illa habitualiter permanente illa remanens in suo esse naturali acquirit vires sufficientes ad actus supernaturalis ordinis eliciendos, quos illo deficiente nequiret producere. secundo intellectus agit in visione Dei in quantum est potentia naturalis, perfecta quidem & elevata per auxilium illud habituale ad actuum supernaturalis ordinis productionem. etenim illa potentia agit quæ per lumen gloriæ elevatur: potentia autem quę elevatur est potentia naturalis, & elevatur secundum omnes perfectiones quibus gaudet in suo esse naturali; quę si non elevaretur cum omni activitate & perspicacia quibus ditatur, non elevaretur sed potius destrueretur, & transiret a suo reali statu ad statum mutuatum & non suum, & tunc talis intellectus non perficeretur, sed alter diversi ordinis huic amplius non existenti sufficeretur, sicque non esset eadem creatura quę beatifica Dei visione potiretur. quod cum sit omni ex parte absurdum, restat intellectum creatum per gloriæ lumen elevari secundum activitatem suam majorem vel minorem ad actus supernaturalis productionem, & ad illum efficienter concurrere per eamdem suam vim naturalem per tale lumen pariter elevatam, proindeque in illam diversarum mentium inęqualem activitatem non minus quam in inęquale lumen gloriæ refundendam esse visionis beatificę inęqualitatem. & vanum est ad sententiam nostram impugnandam recurrere ad potentiam, ut dicunt, obedientialem, quę est perfecta

fecta creaturę ad Deum subjectio, quę in omnibus inquiunt est ęqualis, unde nihil juxta ipsos nihil conferre debet ad visionis inęqualitatem major acies mentis, quia non agit intellectus in quantum est perfectior, sed simpliciter ut est elevatus a Deo per lumen glorię. at illud ultimum ipsis incumberet probandum, cum circa illud pręcise versetur quęstio.

Ex jam dictis sequitur in cælesti patria perfectiorem intellectum cum æquali lumine gloriæ, & cæteris paribus, perfectiorem elicere visionis Dei actum, quam intellectum minus perfectum. & illud tenemus juxta mentem Doctoris subtilis, qui sententiam quam cum ipso propugnamus videtur mutuasse a Sanctis Ecclesiæ Patribus. & illud verum prorsus est, quia ut dicit Scotus in 4. dist. 49. quæ. 11. eumdem esse intellectum in patria qui fuit in via, ideoque intellectum qui ex suæ conditione naturę fuit hic vegetior altero, ibi pariter futurum esse illo vegetiorem, & proinde operationes perfectiores eliciturum. *sicut intellectus est hic*, inquit, *& ibi eadem natura: ita posse videre est hic & ibi eadem potentia: sed modo est remota, tunc erit propinqua*. & reapse hic remota, quia non elevata, & actus suos elicit modo sibi connaturali juxta præsentes quas habet vires: ibi autem & tunc propinqua, quia elevata per lumen gloriæ intellectiones eliciet supernaturales juxta vires quas habebit ab habituali illo adjutorio supernaturali, & Doctoris subtilis sententiæ quæ nostra est non obscure favent Sancti Patres. Sic S. Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram loquens de anima conspiciente Deum adjuta lumine gloriæ in cælesti patria ait: *cum illud graditur, & a carnalibus subtracta sensibus, non spatiis, localibus, sed modo quodam suo etiam supra se videt illud* (æternum videlicet & increatum lumen quod Deus est) *quo adjuta videt quiquid se intelligendo videt*. quid aliud est modus animæ proprius, juxta quem supernaturali adjuta lumine Deum intelligit & videt, nisi naturalis ipsius acies ac perspicacia? & si obscura alicui viderentur illa Sancti Doctoris verba, audiat Cyrillum Hierosolymitanum dicentem catech. 6. quod *pro modulo virium revelat unigenitus*: Nec non & Maximum ad cap. 1. de divinis nominibus scribentem, quod *pro cujusque modulo ac facultate perpicua Dei illuminatio tribuitur*. quare de inæqualitate luminis gloriæ dumtaxat hæc intelligenda vellent quæ a patribus dicta videntur de inæqualitate facultatum. vires enim sunt in facultate autem eliciente, non vero in auxilio suppeditante vires, vel potius elevante facultatem. *pro cujusque modulo ac facultate* inquit S. Maximus. certissime *cujusque* illud non spectat ad auxilium sed ad potentiam quæ adjuvatur.

Ergo, inquiet aliquis, Angelus cujus intellectus est vegetior ex nativa sua conditione, perspicaciorque humano intellectu clarius & perfectius cum æquali lumine gloriæ Deum videret quam Christus? & quare non? si revera Christus haberet æquale lumen cum Angelo tunc minus perfecte Deum videret, ut tenetur a Scoto in 3. dist. 13. quæ. 4. verum quia Christus ob summam gratiam qua semper fuit ditatus & necessario ob unionem hypostaticam, longe superet in merito quamcumque naturam angelicam, habuit lumen glorię longe majus & intensius Angelo, quod lumen supplebat imperfectio-

fectionem intellectus humani qui erat in Christo ratione naturæ humanæ verbo in ipso unitę.

Nec plus roboris accedit sententię eorum qui a nobis hac in parte dissentiunt, dum dicunt mentem creatam, licet remaneret in patria in esse suo naturali quod non destruitur per lumen glorię, sed perficitur dum mens per illud elevata efficitur capax, actualiter non minus quam habitualiter cum illa concurrente & cooperante supernaturali auxilio, eliciendi supernaturales actus, visionem nempe Dei, non agere secundum proprias & insitas sibi vires, ingenitamve perspicaciam, sed secundum id quod cum aliis omnibus creatis mentibus habet commune; quia 1. id supponit, inquiunt, majorem vel minorem esse perfectionem naturalem in animabus separatis quæ tamen æquales sunt. 2. justitię divinę id ex ipsis officeret, cum sępius adveniat perspicaciori pollentes ingenio minoris esse meriti ante Deum, & ęquitati adversaretur quod alios antecellerent in perfectiori Dei cognitione. 3. Quia gradus aliquis beatitudinis si correspondeat naturali mentis activitati, merita non erunt causa moralis totius beatitudinis, nec lumen glorię illius causa physica, quod tamen certum tenent omnes, nisi concedant actionem supernaturalem fluere, saltem ex parte, a principio naturali, quod juxta ipsos implicat: tunc enim gradus quidam æternę felicitatis non esset merces & pręmium, cum daretur potentię naturali, quo posito sequeretur Deum posse videri naturaliter, quod non minus erroneum est quam falsum. unde ipsis videtur in perspicaciam mentium inęqualem nullo modo posse refundi inęqualitatem beatificę visionis, quę tota ab inęquali lumine glorię, ut ipsi opinantur, est necessario ac simpliciter repetenda.

Quam parum urgeant varię illę rationes quibus assertionem efficaciter impetere sibi gratulantur adversarii quis prima fronte non intelligit? quare enim non ageret in visione Dei creata mens secundum insitas sibi a natura vires? hęc agere debet secundum id omne quod cum illa perficitur & elevatur per lumen glorię quod illam elevat & perficit secundum id omne quod in ipsa est. Cum illa per illud lumen elevatur naturalis illius acies ac perspicacia: debet ergo agere secundam suam perspicaciam, activitatemque sibi ingenitam. & quamvis in visione beatifica agat secundum id omne quod cum aliis habet commune, agit nihilominus etiam secundum id quod ipsi est peculiare: & contrarium gratis ab adversariis statuitur. inde sequeretur, inquiunt, animas esse alias perfectiores, cum tamen sint omnes æqualis perfectionis. Sed præter quamquod in hoc supposito fundatur quæstio ista mere scholastica, unde habent ejusdem esse perfectionis omnes animas? Negabunt ne varios esse Beatorum spirituum ordines quorum alii sunt aliis majores, ut loquuntur inter alios Patres, Sanctus Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. & Sanctus Bernardus hom. 1. super Missas? saltem non diffitebuntur mentem Angelicam perspicaciorem esse mente humana, quod satis est ut habeamus intentum. & ipsi nobis in hac parte consentiunt volentes animarum inæqualem perfectionem in variam organorum structuram & dispositionem esse refundendam. at quovis ex fonte fluat hæc perfectionum inæqualitas,

hęc

hęc ad visionis beatificæ inæqualitatem conferre debet. hæc animabus tacta est connaturalis; illam eas in patria non fore conservaturas nulla sufficiens ratio ostendet. Id inquiunt, justitiæ divinæ officeret: talia opponentes ad ea quæ proferunt parum advertunt. Si creaturæ inferioris meriti, sed mentis perspicacioris, conferretur a Deo gloriæ lumen in eadem mensura juxta quam confertur creaturæ meriti amplioris, cujus mens minori pollet perspicacia, id summæ Dei æquitati videretur adversari: nec nos id ita intelligimus, cum quæstio procedat de inæqualitate luminis glorię ac potentiæ cæteris aliunde paribus. & quis inficias iret Deum creaturæ meriti inferioris sed mentis vegetioris minus fore concessurum luminis glorie quam conferret creaturæ majoris meriti, sed mentis minus perspicacis? quis nescit meritis Beatorum, non potentiæ naturali, commensurari lumen gloriæ, & Deum pro sua æquitate in donorum suorum largitione rem esse diligenter compensaturum, ordinemque justitiæ erga omnes in retribuendo servaturum? Nec gratis fingitur hujusmodi compensatio, cum postulet æquitas ut auxilium quod datur in ordine ad actum visionis Dei eliciendum & ad supplendam creaturæ indigentiam, sit uniuscujusque meritis commensuratum, ita ut, cęteris paribus, qui majoris est meriti apud Deum plus mercedis habeat & præmii illo cujus minus est meritum. & optime in nostra sententia salvatur summa illa Dei æquitas, non obstante majori vel minori mentis creatæ ingenita perspicacia: nec umquam perfectiore Dei cognitione gaudebit qui alios meritis non superabit.

Verum insistunt: si sagacitati mentis correspondere gradus aliquis beatificę visionis, merita non essent illius causa moralis; nec lumen gloriæ causa illius physica; actio supernaturalis ex parte oriretur a facultate naturali, proindeque gradus quidam beatitudinis non reputaretur merces aut præmium. at hæc sic se habere quid vetat? Beatitudo essentialis merces est ac pręmium cum meritis correspondeat, licet gradus illius respondentes mentis activitati non reputentur merces. in meritorum inęqualitatem tamquam causam moralem refunditur visionis beatificæ inæqualitas, & in luminis glorię quod cum potentia intellectuali ad eliciendum visionis actum ut diximus efficienter concurrit, inęqualitatem ut causam physicam, licet in ratione causę physicę pręcipuam habeat partem facultas naturalis per tale lumen elevata tam secundum diversam suam activitatem quam secundum suum esse intrinsecum: & ex illa potentia naturali quam perficit & elevat auxilium supernaturale physice proficiscitur actio hęc supernaturalis. poterit ergo Deus naturaliter videri? erroneam & falsam hanc illationem unde habent? non certe ex iis omnibus a nobis huc usque expositis. Deum intuitive videri per facultatem naturalem cum auxilio supernaturali illam elevante quantum opus est ut actum visionis Dei supernaturalem ex se ipso elicere queat, vel Deum intuitive videri naturaliter posse, sunt duo valde diversa. ultimum istud errorem dicimus a Viennensi Concilio proscriptum, & a catholicis quibuscumque reprobatum: illud vero primum ut indubitatum quid merito propugnamus, cum eadem firmitate contendentes, inęqualitatem beatificæ visionis non minus esse ne-

se repetendam ex diversa mentis perspicacia, quę physice per nativam vim active ad eam concurrit velut principalis causa, non vero ut instrumentalis, quam ex inęqualitate luminis glorię, necnon & meritorum, quę merita, vera sunt & unica causa moralis inęqualitatis hujusce visionis: quę omnia, ut monuimus, sunt cęteris paribus intelligenda & in his diutius quam statim proposueramus sumus immorati, ut legentibus innotescat in tuenda nostra sententia non levi nos duci ratione, sed levissima potius esse quibus impugnamur argumenta.

Quæritur, an in visione beatifica sit admittenda quædam species impressa vel expressa?

Resp. Supponendo ex philosophia intellectum & objectum ad cognitionem concurrere, duplex distinguitur species, impressa, quę habetur ut qualitas immissa ab objecto per quam ad objecti cognitionem determinatur facultas intellectualis: Expressa, quę est objecti cogniti imago ab eadem facultate intellectuali producta, diciturque sermo interior, verbum mentis, alia vero dicitur radix objecti, ejusque vicaria qualitas. Species impressa ut inutilis ab omnibus in visione beatifica reprobatur, ex eo quod admittenda non sit nisi ad absentiam objecti supplendam aut ejus cum facultate improportionem: Deus autem Beatis est intime pręsens, se enim ipsis pręsentem ac videndum exhibere supponitur, estque in se ipso intelligibilis. ad quid igitur esset hujusmodi species? illam tamen possibilem tenent vulgo Theologi, quia non repugnat. Species expressa admittitur cum sit ipsa objecti in mente repręsentatio seu imago, sine qua nec cognoscitur, nec videtur objectum. De specie impressa loquens Doctor quodl. 14. ait: *si objectum in se præsens sufficit ad actionem visionis causandæ, quantum ad illud quod requiritur ex parte objecti, non requiritur species*. Speciem expressam non obscure indicat S. Augustinus dum lib. 9. de Trinit. cap. 11. dicit, *cum Deum novimus fit aliqua Dei similitudo illa notitia*. & lib. 14. cap. 17. ad hęc Joannis verba, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*; *Hinc apparet*, inquit, *tunc in ista imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem, quando ejus plenam perceperit visionem*.

Quærunt nonnulli, utrum hæc species expressa sit a Deo sese repræsentante, vel ab ipsa cognitione distincta? verum hujusmodi quęstiones, aliasque non dissimiles nullius prorsus utilitatis quocumque sensu intelligantur, ad illos qui vana vel etiam inepta pertractare delectantur, discutiendas relinquimus ad majora quæ non manent illico properantes.

CONCLUSIO SECTIONIS.

BEatitudinem cujuscumque creaturæ intellectualis ex Deo solo esse posse universa prædicante natura, quid mirum si in ipsum, qui eadem ratione finis noster est ultimus & necessarius, toto cordis impetu feratur anima Christiana, nonnisi perfecta summæ veritatis quæ Deus est, cognitione satianda? mirandum magis, quod tot reperiantur Sacramento fidei signati, qui rebus præsentibus adeo delectentur, ut de æterna Dei contemplatione

parum

parum solliciti, nihil aliud præter terrena sapiant, veluti permanentem haberent hic civitatem, & futuram, in qua, dicente Augustino, nulla erit toleranda calamitas, nulla frœnanda cupiditas, sed una Dei regnabit Charitas, non essent inquisituri. o quam dissimiles a justis omnibus qui soluti corpore mortis hujus, revelata facie gloriam Domini speculantur in eamdem (2. *Cor.* 3.) imaginem transformati; quique (*ibid.* 5.) dum essent in corpore, peregrinantes a Domino, per fidem & non per speciem ambulantes, ingemiscebant gravati in hoc tabernaculo, habitationem quæ de Cœlo est superindui cupientes, unam (*Psal.*26.) petii a Domino, hanc requiram, inquiebat Regius psaltes, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. quemadmodum (*Psal.* 41.) desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. si vehemens adeo fuit desiderium justi hujus sub priori testamento, in quo spes Sanctorum differebatur, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non (*Hebr.* 11.) sine nobis consummarentur, quanto vehementius debet inflammari cor eorum, qui repromissiones non a longe aspicientes & salutantes, sed illas per Sanguinem Christi accipientes, ut primum ex hoc ergastulo carnis fuerint egressi, æterna ac beatifica Dei visione recreabuntur immensum illud cunctarum perfectionum pelagus inenarrabili cum lætitia contemplaturi. Hac spe ductus Augustinus, Paulo cupienti dissolvi & esse cum Christo, non absimilis, divini amoris vulnere sauciatus in hæc verba indesinenter prorumpebat: non te video, Deus meus; moriar ut te videam. & quid aliud haberet peroptandum ille quem hæc terrestria non tenent, sed quem Deus solus tenet? De ineffabili Dei visione, qua nemo in terris degens gaudebit, multa differere quid juvaret, si ex hac recordatione in se desiderium vehemens inflammari non sentiret Theologus? frustra in contemplando infinitam Dei naturam variaque illius attributa totus occuparetur intellectus, nisi in via de illo juxta Scripturas dum loquimur, ita cor nostrum ardens esset in nobis, ut eo illico frui, hunc facie ac faciem videntes, laudabili cupiditate appeteremus. (*August. in Joa. Tract.* 40.) Hoc nobiscum agat nostra de visibilitate Dei præcedens disputatio, ut perpetuo suspirantes in illius ineffabilem gloriam, desiderium quantum possumus extendamus, illudque in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

SECTIO QUINTA.

De Scientia Dei.

INter ea quæ a Theologis solent pertractari si quædam sint intricata abstrusaque mysteria humanum ingenium torquentia, ea certe sunt quæ jam nobis dicenda occurrunt de intellectu divino ejusque voluntate tractaturis. Hæc enim tot undequaque scatent difficultatibus, ut innumeros inter scopulos perpetuo incedendum habeamus, in unum fere necessario casuri alterum

vitare cupientes. Magnum ergo judiciorum Dei profundum veluti scrutaturi, præcipicium prudenter caveamus, a Sacrę Scripturę ac Sanctorum Patrum sententiis minime recedentes.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum sit in Deo scientia, quodnamve sit illius objectum?

NOn ad instar scientię hominum de cuncta scientis Dei cognitione debemus judicare. illa dubia, incerta, mutabilis, limitata, discursiva: hæc vero infinita, immutabilis, simplicissima, infallibilis omnia unico eodemque æterno actu intelligens, quidquid est cognoscibile habens pro objecto. plura circa eam nonnulli investigant, quæ cum levioris sint momenti missa facimus, præcipuam quęstionem in unica assertione resolventes.

ASSERTIO UNICA.

Deus, cui inest plenitudo Scientiæ, ipsaque simplicissima, habens Deum ipsum pro primario objecto, & pro secundario ea omnia quæ sunt extra ipsum, perfectissime se novit, cunctaque alia a se & sigillatim: ipsique patent intima cordis; nec ab ipso sunt abscondita mala sive naturæ, sive pænæ, sive culpæ seu peccata.

DEo plenitudinem inesse scientiæ nemo, si non stultus, negabit. Id undequaque de illo proclamant libri Sacri. 1. Reg. cap. 2. *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur Cogitationes.* Job. Cap. 12. *apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse habet consilium & intelligentiam.* cap. 28. *sapientia ubi invenitur? unde ergo venit, & quis est locus intelligentiæ? . . . Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Eccli. cap. 42. *cognovit Dominus omnem scientiam.* Rom. cap. 11. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei!* Colofs. cap. 2. *in quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* de Dei scientia plura Augustinus, quem pro cunctis Doctoribus loquentem audiemus, differit lib 2. de diversis quæstionibus ad Simplicianum quæst. 2. *cum scientia Dei distet ab humana scientia . . . . utraque tamen scientia vocatur & hæc quidem humana talis est, ut dicat de illa Apostolus, scientia destruetur, quod nullo modo recte de Scientia Dei dici potest ... cum dempsero de humana scientia mutabilitatem; & transitus quosdam a cogitatione in cogitationem ... cum hæc cuncta detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussę veritatis una atque æterna contemplatione cuncta lustrantis: immo non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero, insinuatur mibi utcumque scientia Dei: quod tamen nomen .... potuit esse rei utrique commune; quamquam & in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia ... in Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum.* quibus & veritatem divinæ scientiæ statuit Sanctus Doctor, & ab ea quæcumque humanæ scientiæ redolent imperfectionem penitus removet. Hanc in Deo esse scientiam quæ ad res omnes

omnes se extendat, & juxta quam cuncta ipse Deus fecerit egregie describit lib. 5. de genesi ad litteram cap. 14. & 15. asserens neminem tam excordem esse qui contrarium quid arbitretur.

Ad quid assertionem multiplici auctoritate tum Scripturæ, tum Patrum fultam ostendere laboramus, cum pro illius veritate clamet ratio naturalis? Nonne Deus est ens perfectissimum quo melius nequit excogitari? Nonne scientia est perfectio simpliciter simplex quæ melior est ipsa quam non ipsa? Hæc in Angelo & in homine est vera perfectio, licet innumeris obnubilata imperfectionibus: quanto magis in Deo nullo adumbrata defectu erit admittenda? Hanc autem in se simplicissimam esse & non discursivam, ostendunt ea quæ mox retulimus ex Augustino, cui ratio suffragatur, ex eo quod illatio unius ex alio in cognoscente limitationem intellectus arguat, & longe perfectius sit singula cognoscere unico & simplici intuitu in se ipsis, quam in alio & per eorum causas. Deo autem quidquid est perfectius, in genere perfectionis esse concedendum omnes consentiunt.

Deum suę scientiæ primarium objectum perfectissime se ipsum cognoscere declarant Scripturæ. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, inquit Christus Matth. cap. 11. Joan. cap. 10. *sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*. epist. 1. ad corinth. cap. 2. *nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei . . . quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. unde Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 14. ait: *novit omnia Deus Pater in se ipso; novit in Filio: sed in se ipso tamquam se ipsum, in Filio tamquam verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in se ipso*. idque ita esse ratio suadet. primæ menti quæ præstantissima est præstantissimum intelligibile propositum esse necesse est. nihil autem se ipsa præstantius habet prima mens quę Deus est. Hinc semetipsum, notionesque suas semper intelligit.

Omnia alia a se Deum cognoscere & sigillatim, habemus ex iisdem Scripturis, quæ testantur etiam ipsi patere intima cordis, nec ab ipso esse abscondita mala, sive naturæ, sive pœnæ, sive culpæ ut sunt peccata. sic Job. cap. 11. *ipse novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat?* cap. 28. *Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis & umbram mortis . . . ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt respicit*. cap. 31. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos ipse dinumerat?* psal. 68. *Deus tu scis insipientiam meam & delicta mea a te non sunt abscondita*. psal. 138. *Domine probasti me & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam. intellexisti cogitationes meas de longe . . . Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua* 1. paralip. cap. 28. *omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit*. psal. 7. *scrutans corda & renes Deus*. psal. 43. *ipse novit abscondita cordis*. Jerem. cap. 17. *ego Dominus scrutans cor & probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum*. Deuter. cap. 32. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? mea est ultio, & ego retribuam in tempore*. Job. cap. 14. *signasti quasi in sacculo delicta mea*.

Res etiam levioris momenti, minuta quoque animalia a Deo cognosci ostendunt. Matth. cap. 5. *respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. & Pater vester cælestis pascit illa* cap. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt; & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*. Luc. cap. 12. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?* epist. ad Hebr. cap. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*. de malis naturæ ut sunt portenta & monstra legitur Sap. cap. 8. *signa & monstra sit antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum*. ac tandem de malis pœnæ dicitur Amos cap. 3. *Visitabo super vos omnes iniquitates vestras... Si erit malum in Civitate, quod non fecerit Dominus?*

Deo nihil, cujuscumque generis supponatur, esse ignotum confitetur quisquis veram de illo dictante naturali lumine ideam habet. in suis perfectionibus non minus quam in suo esse infinitum Deum qui non prædicat, de illo non recte sentire alias diximus. cum ergo infinitæ cognitionis illum esse clamet ratio, omnia quamtumvis occulta censeantur, æternæ, ac infinitæ sapientiæ illius & cognitioni esse perpetuo præsentia solus excors negare potest cuncta Deo jubente aut permittente, vel faciente eveniunt: quomodo igitur illorum omnium quorum ipse caussa est, posset ab illo rationabiliter adimi notitia? unde in re adeo unicuique manifesta a sanctorum Patrum testimoniis referendis quod abstineamus nemo mirabitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An futura quæcumque & possibilia cognoscat Deus: anve per hanc ipsius infallibilem præscientiam tollatur rerum contingentia.

INter ea quæ sunt secundarium divinæ scientiæ objectum alia sunt pure possibilia quæ nusquam sunt a statu possibilitatis ad statum existentiæ transitura, & alia quæ præter esse possibile tum in infinita Dei virtute tum in sua non repugnantia, quod habent ab æterno, esse reale sunt in tempore habitura. ex iis quædam dicuntur futura necessaria, ut pote quæ a solo ipsius Dei voluntatis decreto pendent: quædam futura contingentia & libera vocantur quæ possunt in tempore esse vel non esse. illorum alia sunt absolute futura, alia futura, conditionate. ad illa quod spectat, plura sunt quorum conditio ex qua pendet eorum futuritio vere ponetur, & ad ordinem futurorum pertinent; multa vero quorum conditio cum non sit ponenda, quæ remanent in ordine possibilium. alia insuper inter futura sunt ordinis supernaturalis, & alia futura libera & contingentia ordinis naturalis.

De possibilibus ac necessario futuris vix quæstio movetur. Sed de futuris contingentibus quæ ab hominis libertate pendent, necnon de conditionate futuris

turis quorum ponenda non est conditio, non parum controvertitur. cum hac futurorum contingentium in Deo notitia, quæ vulgo præscientia nuncupatur, stare non posse liberum arbitrium hominis existimans Tullius Cicero lib. 2. de divinatione, præscientiam futurorum a Deo sustulit, ut habemus ex Augustino lib. 5. de civit. cap. 9. illam pariter Deo detrahebat Marcion, ut & bonitatem ac omnipotentiam, eo quod protoparentem in peccatum labi passus esset, testante Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 5. Ex eodem principio errorem oppositum educens Joannes Hus, ut Deum cuncta præscientem agnosceret, hominem libero arbitrio spoliandum judicavit. Non certa cognitione, sed verisimilibus dumtaxat conjecturis futura libera contingentia Deo esse perspecta, ut pote quæ determinatam veritatem objectivam non habentia, contendunt delirantes Sociniani, ut ex Socinio Crelii, & Smalcii scriptis fit manifestum. Hos omnes etsi diversa sentientes, sed circa Dei præscientiam dissimili ratione errantes simul convellemus.

ASSERTIO PRIMA.

Deus cui possibilia quæcumque vere sunt nota, futura omnia etiam libera & contingentia, necnon futura conditionata, etiamsi non sit ponenda conditio a qua eorum pendet existentia, certa & infallibili Scientia cognoscit.

De possibilibus quod Deo vere nota sint habemus ex Scriptura Sacra habetur Eccli. cap. 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia* Jerem. cap. 1. *prius quam te formarem in utero, novi te* Rom. cap. 4. *vocat ea quæ sunt, tamquam ea quæ non sunt*. & quid mirum? ad quæcumque se potest extendere omnipotens Dei virtus, illa perspecta habeat necesse est, cum illa sint dumtaxat possibilia quibus existentiam dare potest Deus; qui in non sibi nota virtutem suam nequit exercere. aliunde in genere intelligibilium sunt cuncta possibilia, licet quam plura ad existentiam non sint perducenda, ad mentem ergo infinitæ perfectionis necessario pertinet illorum notitia.

De futuris generatim quod Deo nota sint pronunciat eadem Scriptura Sap. cap. 8. habetur, *Scit præterita, & de futuris æstimat: signa & monstra scit antequam fiant, eventus temporum & sæculorum*. & reapse futura omnia certo cognoscere ille censendus est, cui sunt cuncta semper præsentia, cujusve respectu ob suam incommutabilem æternitatem non est in rei veritate præteritum aut futurum, sed præsens perpetuum, ut loquuntur Sancti Doctores, quique omnia quæ fuerunt, sunt & erunt unico numquam defecturo mentis actu prospicit. quæ si ita non essent ut catholice credimus, quomodo ora prophetarum aperire posset Deus ut ipso afflante innumera nuntiarent, longe antequam fierent? Nonne *idoneum est testimonium divinitatis veritas divinationis*, ut loquitur in Apologetico Tertullianus? Hinc falsa gentium Numina apud Isaiam cap. 41. irridens Deus dicit, *accedant, & nuntient nobis quæcumque ventura sunt. quæ ventura sunt indicate nobis: annuntiate quæ ventu-*

ra

ra sunt in futurum, & scimus quia dii estis vos. Hæcque cunctorum hominum mentibus adeo insita est opinio, ut ex Dei existentia convincens pro ipsius præscientia adversus Tullium inferat argumentum S. Augustinus lib. 5. de civit. cap. 9. *multo sunt autem*, inquit, *tolerabiliores qui vel siderea fata constituunt, quam iste qui tollit præscientiam futurorum. Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est. quod & ipse cum videret etiam illud tentavit asserere, quod scriptum est, dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. & iterum, non paucis interpositis, ostendens Sanctus Doctor ipsam Divinitatem tollere qui ipsi præscientiam subtrahit, de Cicerone ait: *aut enim Deum esse negat, quod quidem inductis alterius persona in libris de deorum natura facere molitus est: aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, & jam sic dicit nihil aliud, quam quod ille dixit insipiens in corde suo, non est Deus. qui enim non est præscius futurorum, non est utique Deus*.

Nec est quod dicatur plures ex antiquis Sanctis Doctoribus, inter quos ipse Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. S. Gregorius Magnus lib. 20. moral. cap. 23. aliique, veram præscientiam in Deo non agnovisse; quid enim interest quod nomen non admiserint qui rem ipsam confessi sunt? omnia summæ huic intelligentiæ non successive sed in æternum ac unico mentis actu esse comperta, sive futura, sive præterita, sive præsentia, ut jam observavimus, volentes veteres illi, hanc cognitionem Dei cuncta simul uno velut æternitatis suæ puncto complectentem, scientiam maluerunt dicere quam præscientiam, ne aliquid de novo scientię Dei temporaliter advenire videretur quod absurdissimum est. Ne autem horum Doctorum mentem hoc modo intelligentes aliquid conjecturæ tribuisse judicemur, ipsum Augustinum rem loco laudato ita exponentem audiamus. *quid est enim præscientia*, inquit, *nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo qui omnia supergreditur tempora? si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia sed tantum Scientia dici potest. si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud Deum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo; bis ergo ea sentit: uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. aliquid ergo temporaliter accedit Scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit nosse cum venerint, nisi bis innotescant; & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt*.

Futurorum ad quę se extendit certa & infallibilis Dei cognitio, multa sunt libera atque contingentia, quę ab hominis sunt libertate suspensa, & circa ea versatur divina præscientia testantibus Scripturis. Psal. 32. *qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. Isaię cap. 48. *scio enim quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te*. Joan. cap. 6. *Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum*. Divinę pręscientię de hujusmodi futuris veritati testimonium perhibent tum in veteri, tum in novo testamento, per multa vaticinia res quamplures certissime eventuras prenunciantia, in quibus si Prophetarum oracula cum subsequentibus conferantur eventibus, qui predictionibus aptissime cum res-

pon-

pondeant, ad infallibilem Dei præscientiam, tamquam ad verum & unicum totius prophetiæ principium, referenda esse illa oracula unicuique fiet manifestum. unde merito dicebat Tertullianus lib. 2. cont. Marc. cap. 5. *præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas*.

Nec sunt audiendi Sociniani cum veritatem & infallibilitatem divinæ præscientiæ tollere putantes dicere non verentur, conjecturis dumtaxat, non certa ac indefectibili cognitione innixas fuisse istiusmodi prędictiones, quas dicunt esse non de rebus quæ libere erant futuræ ex hominum voluntate, sed de iis quas futuras Deus absolute decreverat; quasve comminationes potius quam prędictiones fuisse contendunt. & aliunde futurorum quorumdam cognitionem Deo inesse concedunt, sed omnium futurorum notitiam nolunt illum habere. verum sic insanientes Sociniani, divinitatem oretenus confitentes, sed illam in rei veritate e medio tollere cupientes, quibus nituntur argumentis? Nonne advertunt se talia loquentes idea entis perfectissimi ut Deus est, derogare, dum illum fingunt ex conjectura solum, & non ex certa scientia, res futuras cognoscere, sine quo vel jubente, vel permittente non possunt evenire? Nonne hæc duo sunt contradictoria, quod ventura antequam fiant pręnuntiare faciat, & illa infallibiliter non cognoscat? quę sunt facturi homines opera mala ex perversa eorum voluntate, dicenturne illa non libere, ac contingenter operari? illa autem pręscit Deus cum per prophetas ejus pręnuntientur. & qua fronte dicere possunt, quę prophetę pręnuntiarunt comminationes potius esse quam prędictiones, cum illas legere satis sit, ut in pluribus nihil esse comminationis deprehendatur? pręterea excideretne veritas prędictionis etiam si essent comminationes ex parte ea, quę prænuntiantur? & tandem, unde habent, ex innumeris quæ contingenter futura sunt, alia a Deo cognosci, alia vero illum latere? est ne pro quibusdam potior ratio quam pro aliis respectu summæ & perfectissimæ intelligentiæ, cujus infinita sapientia quæ omnia comprehendit, ad quodcumque cognoscibile ex æquo fertur? gratis ergo hæc finguntur a Socinianis, quorum deliriis non delectatur nisi ille qui insipienter dixerit in corde suo, non est Deus.

Nec infallibili Dei præscientiæ futura libera & contingentia certo cognoscenti officere credatur, quod opponunt nonnulli dicentes, hæc contingenter futura nec in se, nec in suis causis determinatam habere veritatem, ratione cujus nequeunt esse objectum divinæ scientiæ, cum veritatem determinatam non habentia non sint in ordine cognoscibilium, sicuti ea quæ repugnant dici nequeunt in ordine possibilium, nec objectum divinæ potentiæ esse possunt. & sicut ad ista non se extendit Omnipotentissima Dei voluntas, ita nec ad illa potest se extendere perfectissima Dei scientia. falsum enim est futura contingentia non habere jam determinatam veritatem objectivam, nisi per veritatem determinatam intelligeretur quædam existendi necessitas contingentiæ destructiva. hæc vero futura, in se, in suis causis, in Dei cognitione sunt determinate vera, non quidem pro præsenti, sed pro futuro, pro tempore scilicet quo libere ad hoc vel ad illud se determinante

Tt huma-

humana voluntate, illud quod potest esse vel non esse, a statu possibilitatis transiet ad statum existentiæ. illam autem liberam voluntatis humanę determinationem aliquando futuram, in hac ipsa libera voluntate, & actus ex ea procedentes, per suam præscientiam infallibilem Deus certo cognoscit, ut pote quæ sint respectu illius vere in ordine cognoscibilium, licet creatum intellectum hæc lateant. unde nulla est paritas cum rebus ex natura sua repugnantibus, quæ omnipotentissimę Dei voluntatis terminus vel objectum numquam esse possunt. sicque inconcussa manet assertio futurorum contingentium cognitionem Deo adjudicans.

Et ipsa futura conditionata, quorum ponenda non est conditio, certa & infallibili scientia Deum cognoscere quis negaret, diserte adeo id testantibus Sacris Scripturis? Dominum interroganti David in Ceilam fugienti a facie Saul de rebus sub non ponenda conditione futuris, sic non ex probabili conjectura, sed affirmative omnique seclulo dubio, fuisse a Deo responsum, ut habetur lib. 1. Reg. cap. 23. quis ignorat? *Domine Deus Israel*, inquit David, *audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: si tradent me viri Ceilæ, in manus ejus? & si descendet Saul sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. & ait Dominus, descendet. dixitque David: si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saul? & dixit Dominus, tradent*: cui compertum non est quod Eliseus loquebatur Regi Joas, cum tot victorias concessurus erat Deus super Syros, quot vicibus jaculo ille percussisset terram, ut legitur lib. 4. Reg. cap. 13. Regi dixit Eliseus Propheta Domini: *Tolle sagittas. qui cum tulisset, rursum dixit ei: percute jaculo terram. & cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Numquid non erat cognitio illa de futuro conditionato non eventuro ex non apposita conditione? cui notæ non sunt exprobrationes quibus apud Mathæum cap. 11. Christus exprobravit civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pænitentiam? *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.* certa infallibilique scientia id noverat Christus: alioqui justæ exprobrationi locus non fuisset. quid de justo morte occupato Sap. cap. 4. dixerit Spiritus Sanctus nemo nescit. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* ipsum igitur noverat Deus a recti tramite recessurum, si ad provectiorem ætatem pervenisset. Hinc de infantibus morte immatura præventis loquens Sanctus Gregorius Nyssenus mortem ipsis pro beneficio reputabat. *consentaneum est enim*, inquit, *ab illo qui peræque futurum novit ac præteritum, probiberi parvuli progressum ad perfectam ætatem, ne malum illud quod præscientia sua cognovit in eo qui victurus esset, ita perficiatur, atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, vitii nequitiæque materia vita fiat.*

Innumeris prope modum Patrum testimoniis assertionem confirmare possemus,

mus, si a cordatis quibusdam veritas illius posset in dubium revocari. unum ergo pro omnibus audiemus Augustinum. is autem Deum quę essent futura si poneretur conditio cuncta præscire, ubique vel supponit, vel ostendit, potissimum de Tyriis & Sydoniis loquens, & de iis quos præmatura mors occupat priusquam a justitia deficiant, per oppositum ad illos qui diuturniorem agentes vitam malitia mutantur & pereunt. sic lib. de corrept. & grat. cap. 8. *de his*, ait, *disserimus qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur*. & lib. de dono perseverantiæ cap. 9. *certe poterat*, inquit, *illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita. An eo redituri sumus, ut adhuc disputemus quanta absurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent?* & iterum eodem capite ait: *sed numquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis crędere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent? cum eis ipse Dominus attestetur quod acturi essent magnæ humilitatis pænitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum*. & juxta eumdem sensum toto capite decimo disserit Sanctus Doctor. Deinde cap. 11. hæc habet: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit . . . & majoribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit: de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed juste aliud judicavit*. His similia pluribi loquens Hipponensis, infallibilem Dei præscientiam futurorum conditionatorum, licet numquam ponenda conditione. ut quid omnimode certum, manifestat.

Et quam ob causam hujusmodi futurorum certa & infallibilis cognitio a Deo adimeretur? ergone non essent illa in ordine cognoscibilium ex eo quod non sit ponenda conditio? at nihilominus hæc est possibilis poni: si autem vere ponenda esset, hæc certo futura cognoscerentur a Deo. Num dici potest cognitionem illam in Deo pendere ab aliquo accidentali & contingenti cujusmodi est positio vel non positio conditionis? etsi ergo numquam ponatur conditio, illa futura sub conditione cognoscit tamen Deus, & infallibiliter. Non cognoscit quidem illa ut futura, quia vere futura non sunt, sed cognoscit ea in quantum quamdam habent futuritionem, quæ tota se tenet ex parte conditionis.

Sed inquiunt, in doctrina Patrum, Augustini præsertim & Fulgentii, nihil præscitur a Deo nisi vere futurum. & illam non futurorum scientiam in Pelagianis improbant imo & irrident. advertant qui talia opponunt, ipsam futurorum sub conditione in Deo præscientiam a Patribus non in se improbari, sed in quantum a Pelagianis hac abutentibus male intelligebatur merita hominum naturæ viribus liberique arbitrii virtute comparata, causam

divinæ prædestinationis quosdam præ aliis seligentis esse, contendentes Pelagiani & Semipelagiani, ut responderent argumento contra ipsos insolubili, desumpto ex parvulis merito non disparibus, quorum alii ex occulto Dei judicio absque baptismo decedunt, alii post susceptum baptisma felicitatem ęternam consecuturi moriuntur, eo confugiebant, istos baptismate suscepto obeuntes salvari ex pręscientia meritorum quę bona opera exercentes adepturi erant, si ad ætatem adultam venissent; illos vero inbaptizatos ex hac vita migrare ob prava opera quæ si vixissent in eis præsciebantur: unde in aliis merita bona, quæ vęre futura non erant, præmiabantur, & in aliis pariter merita mala seu peccata, quę realiter non erant futura, puniebantur. Hujus autem effugii absurditatem ut ostenderent Augustinus & Fulgentius, nec prædestinationem, nec reprobationem in hæç merita vel demerita quæ futura non sunt posse refundi dicebant. quod lib. de prædest. Sanct. cap. 12. confirmat Augustinus ex verbis istis Apostoli: *omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum*. Deinde sic prosequitur Sanctus Doctor: *gessit*, inquit Paulus, *non adjunxit, vel gesturus fuit. sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum*. ad sensum ergo Pelagianorum & Semipelagianorum dumtaxat, præscientiam illam damnat Hipponensis, fidusque ejus discipulus Fulgentius: quos aliunde constat præscientiam futurorum sub conditione, etiam non ponenda, in Deo vere propugnasse.

Nec est quod dicatur, ea quæ supponuntur futura sub conditione numquam ponenda, determinatam veritatem non habere, proindeque cognitionis divinę objectum fieri non posse etenim quęcumque a Deo pręvidentur habent veritatem determinatam suo modo, & secundum illorum modum fiunt divinę pręscientię objectum. absolute futura habent respectu cognitionis Dei veritatem determinatam pro tempore in quo erunt. futura conditionata similier habent veritatem determinatam sub conditione: quæ conditio an sit aliquando ponenda vel non, vere & infallibiliter a Deo præscitur; & juxta diversum hunc modum futurum illud cognoscitur determinate venturum ex conditione quæ ponetur, vel cognoscitur determinate possibile & non venturum, ob nusquam ponendam conditionem, qua accedente, a statu meræ possibilitatis transiret ad statum existentiæ. uno verbo futura illa omnia determinate pręsciuntur a Deo eo præcise modo quo futura sunt ideoque determinatam habent veritatem, licet a mente non infinita sed limitata, quidquam certi circa illa possit prænunciari, ut jam dixeramus eadem recurrente difficultate pro futuris liberis & contingentibus. sed hæc addidisse non erit fortasse superfluum ad majorem rei intelligentiam, cum aliunde in quibusdam diversa possit esse ratio futurorum contingentium sed vere futurorum, & illorum quę futura censentur sub conditione non ponenda.

Quæritur, cum certa supponatur & infallibilis circa futura Dei præscientia, quare ergo multa in libris Sacris prænunciantur ut certo futura, nulla adhi-

hibita conditione, quę tamen non evenere? sic Isaiæ cap. 38. Ezechię prenuntiatur mors in proximo, qui tamen tunc mortuus non est. Jonæ cap. 3. post quadraginta dies futura prædicitur subversio Ninive, quæ tamen subversa non fuit.

Resp. Quo sensu ea sint intelligenda quę de Regis Ezechię morte, nec non Ninive eversione in Sacris Scripturis prenuntiantur exposuimus ubi de immutabilitate Dei in responsione ad secundam objectionem. ea de novo dicere esset superfluum. id unum addemus quantum ad presens propositum, illud tunc vere evenisse quod futurum ille utique prescieba, cujus prescientia falli non poterat, ut scribit S. Augustinus lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 17. predictiones illæ, etsi specie tenus essent de futuro absoluto, in intentione tamen Dei nonnisi de futuro conditionato erant. illorum autem futurorum, quorum conditio implicite continebatur in prophetarum comminationibus, ipsis etiam nescientibus prophetis, adimpletio locum non habuit cum de conditione non ponenda penderet eventus. imo ex interveniente opposita conditione illud precise evenit, quod Deus, mediantibus prophetarum suorum comminationibus, noverat atque voluerat esse venturum. & tantum abest quod certitudinem divinę prescientię evertant istiusmodi vaticinia quę non impleta reputantur: quin potius cum juxta veram Dei voluntatem impleta sint, infallibilitatem cognitionis ejus circa futura, cujuscumque sint ordinis, invictissime ostendant.

ASSERTIO SECUNDA.

Per infallibilem hanc futurorum in Deo præscientiam tolli rerum contingentiam, aut hominis everti libertatem, solus inferre poterit non Catholicus.

NOn catholicam quis negaret illationem quę veritatibus ex revelatione ab Ecclesia propugnatis contradiceret? in Deo infallibilem futurorum cognitionem ut dogma fidei, æque ac in homine libertatem arbitrii, ab Ecclesia propugnari nullus ignorat. non tollit ergo futurorum contingentiam, nec ab homine arbitrii libertatem aufert infallibilis Dei præscientia. veritatem istius inductionis quæ est ipsa assertio, triplex argumentum ex Augustino desumptum confirmabit.

Ex Dei præscientia in homine non oritur ulla operandi necessitas, si in homine operandi & tali modo operandi voluntatem supponat divina præscientia. ubi enim est vera in aliquid operante voluntas, nulla potest supponi necessitas, cum hæc duo sese invicem excludant. præscientia in Deo est nuda rerum cognitio: & hæc ex eo quod sit de re futura, non minus supponit operantis voluntatem, quam illam supponit cognitio rei præsentis aut præteritæ, quæ certe nullo modo contingentiam illius tollit. vel enim illam tolleret Dei prescientia in quantum est præcise præscientia, vel quia Dei præscientia est. nullum autem dici posse ostendit Augustinus lib. 3. de libero ar-

arbitrio cap. 4. sic cum Evodio disserens. *an quia Dei præscientia est? quid ergo si tu præscires peccaturum aliquem, non esset necesse ut peccaret? imo necesse esset ut peccaret: non enim aliter esset præscientia mea nisi certa præscirem*, inquit Evodius, quem sic urget Augustinus: *non igitur quia Dei præscientia est, necesse est fieri quæ præscierit, sed tantummodo quia præscientia est; quæ si non certa prænoscit utique nulla est... non continuo tu peccare cogeres quem peccaturum esse præscires, neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset... sicut itaque non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt*. frustra igitur ex Dei præscientia futuris contingentibus aliquid evenire necessitatis ex parte Dei unde tolleretur illorum contingentia, optime ostendit Hipponensis quibusdam formidini esse, exemplo rerum præteritarum quibus nihil addit necessitatis quod illarum recordamur, argumentum illustrans his verbis: *Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt*.

Futura cuncta præscit Deus eo vere modo, quo sunt futura, nihil per suam cognitionem quantumvis infallibilem, eorum futuritionis modo immutans illa ergo futura contingentia cum sint futura libere, nulla ipsis imponenda necessitate, ex illa Dei præscientia nulla ipsis advenire potest necessitas. quod perbelle Evodio exponit ibid. cap. 3. Augustinus, ostendens quam sit monstruosum dicere aliquem velle necessario, in quo supposita necessitate, nulla remanet voluntas. *attende quæso*, inquit, *quanta cæcitate dicatur, si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quam præscivit, necesse est ut velim quod ille præscivit; si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem! quomodo ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciverit? . . . si necesse est ut velit* (homo) *unde volet cum voluntas non erit? . . . voluntas igitur nostra nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. ita fit ut & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus. cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius ipsa erit. voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. ergo & potestatis est præscius*. non dissimili argumento adversus Tullium utitur Sanctus Doctor lib. 5. de civit. cap. 9. illum refellens quod vellet omnia esse sub fato, si certus esset ordo causarum a Deo scitus quo omnia fiunt; idque ideo falsum ostendit, quod nostræ voluntates, in quarum arbitrio nihil fit per illam Dei scientiam, sint in ordine causarum, & ab ipsis proficiscantur humani actus, quorum natura postulat ut libere eliciantur nulli subjacentes fato. *qui omnes*, inquit, *rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit*. & rursus ut contingentiam humanorum actuum non tolli per Dei præscientiam ostendat, veluti ab adver-

versario querens ait, *quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates.*

Fictitiam illam necessitatem, quam ex certitudine divinæ præscientiæ futuris contingentibus advenire contendunt Hæretici, refellit iterum Augustinus ex ipsis Dei operibus quibus præscientia ejus circa illa nullam affert necessitatem. Deum ab æterno videre quidquid fuerat in tempore facturus, nullum puto fore negaturum. ergone circa opera ad extra, ut loquuntur, libertate carebit, illaque producet necessario, ita ut ab iis producendis non possit abstinere? si Dei præscientia, ut ipsis placet, futuris liberis necessitatem affert, ita erit, sicque omnia opera Dei erunt æterna, nihilque operabitur in tempore. quod quam sit absurdum cum omnibus pateat, æterna Dei cognitione causarum secundarum non tolli indifferentiam pariter evidens est. sic a paritate rationis valide argumentatur. Hipponensis causam agens nostram lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. unde nulli dubium esse potest quin remaneat cum infallibilitate divinæ præscientiæ futurorum liberorum contingentia. illudque non dificile intelliget quisquis Patrum doctrinæ attendens, noverit non ideo res futuras esse quia Deus eas pręscivit, quasi earum futuritionis ratio seu causa sit Dei præscientia; sed ideo e contra Deum illas pręscivisse quia vere futurę sunt.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. Objectio. Quęcumque Deus ab ęterno pręscivit in tempore futura, non possunt tali tempore non evenire. neque enim falli Dei pręscientiam est possibile. quæ autem non possunt non evenire necessario eveniunt, & quæ eveniunt necessario contingentia nullo modo dici queunt. futurorum ergo contingentiam tolli per divinam præscientiam est manifestum. Sic Petrus quem prædixerat Christus Paulo ante Passionem suam eum negaturum, non poterat vi divinæ præscientiæ illum non negare.

Resp. Nihil aliud esse quam sophisma, meramque cavillationem, quæ proponitur difficultas per unius dumtaxat vocis intelligentiam brevi solvenda, quis non advertit? futuros quoscumque eventus ab æterno præscivit Deus, eo tempore infallibiliter succedere eoque modo quo sunt ab illo pręsciti certissimum est. Ergone futura libera necessitate contingentiam eorum tollente succedent? minime. quod aliquid a me infallibiliter peragatur, vel quod aliquid ductus necessitate peragam, sunt duo hęc plane diversa. Dato quod Deus pręscierit me cras scelus aliquod patraturum, illud a me certissime perpetrabitur: certa est enim & infallibilis Dei præscientia, at nulla ductus necessitate, sed ex libera determinatione propriaque voluntate illud committam. perversam hanc meam voluntatem, ejusque culpandam determinationem ab ęterno videt Deus, & in illa mea libera determinatione scelus quod sum patraturus pariter videt. quid actui meo ex libera voluntate mea proficiscenti, necessitatis affert Dei cognitio? quomodo hujuscemodi actus ac voluntarię meę deter-

determinationis contingentiam ęterna Dei pręscientia tollit? sed quidquid infallibiliter evenit, inquiunt, evenit, necessario. at unde id habent? gratis ab ipsis supponitur. quam dudum synonima facta sunt hæc duo verba? promiscue sępissime usurpantur a Theologis: tanto pejus; nihilominus discrepant toto cælo. rescindenda est abusiva hæc vocum arbitrariaque usurpatio, & inde permultis occurretur difficultatibus, quę ad nihilum redigentur sublata semel hac vocum ęquivocatione. aliter juxta scholę morem possumus respondere. quod evenit infallibiliter evenit necessario, necessitate consequenti nec quidquam in actum ponente, esto. necessitate antecedenti in actum influente ejusve contingentiam tollente, nec homini cordato vel illud cogitare licet. Necessitas ergo illa tota se tenet ex parte voluntatis libere actum elicientis. sed data hac libera voluntatis determinatione; ab ea veluti necessario proficiscitur hujusmodi actus, quia impossibile est hominem eodem tempore talem actum velle elicere & non velle. unde necessitas illa, ut dicunt, est hypotetica & non absoluta, & in illam nullatenus influit Dei præscientia; quin potius in præscientiam influere dicenda esset humanæ voluntatis libera determinatio, cum hæc in causa sit quod a Deo præsciatur. *Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur, sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur:* inquit Eusebius lib. 6. præpar. Evang. cap. 11. & sic apparet quam falso dicatur per Dei præscientiam tolli futurorum contingentiam, illamque causis secundis necessitatem imponere. ad exemplum Petri Christum negantis quod spectat, cujus infidelitatem in ipsam Dei præscientiam impietas refundere videtur, satis sit dicere cum Sancto Augustino lib. 5. de civit. cap. X. *Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit: immo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Hinc liquet tam arduam rem, non esse adeoque difficilem, ut nonnullis cursim eam indagantibus visum est, hominis libertatem & Dei præscientiam conciliare. harum vocum *infallibiliter* & *necessario*, significatio addicatur, & ludere in verbis Theologos amplius non delectet, brevi difficultas pro majori parte cessabit.

2. Objectio. præscientia Dei quæ certa est, necessaria ac immutabilis, est rerum futurarum causa. Cum igitur ex causa necessaria gignantur effectus necessarii non vero contingentes, per illam Dei prescientiam si admittatur, non potest non tolli contingentia futurorum.

Resp. Præscientiam Dei esse certam eo sensu quod non ex conjectura sed ex plena certitudine ac indubitata cognitione quę futura sunt videat Deus; illamque necessariam, ita ut hæc sit divinitatis attributum, atque perfectio Deo tam essentialis quam connaturalis, vel ita ut istius pręscientiæ objectum necessario sit quidquid est verę futurum; atque etiam immutabilem, in quantum circa futura falli non potest, & quod semel agnovit futurum, semper præscit ut tale donec evenerit eo tempore eoque modo quibus a Deo pręscitur, quis non concederet? verum illam, pro ut est præscientia seu pręvia cogni-

cognitio infallibilis eorum quæ aliquando erunt, futurorum causam esse eo sensu quod in illorum futuritionem quodammodo influat, dici non potest, ut Evodio optime ex sui comparatione lib. 3. de libero arbitrio cap. 4. his verbis jam a nobis laudatis ostendit Augustinus: *sicut tu quædam quæ fecisti meministi, nec tamen quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est*. non magis ergo pręscientia divina eorum quæ illam objective terminant causa dici potest, quam præscientia humana efficere dicenda est illa quæ sunt objectum ipsius, nec una plus altera hominum libertati nocent.

Hinc apparet falsitas inductionis, cum Deus in quantum futura præsciens non ea efficiat quorum est pręscius. & aliunde non nisi in rebus physicis, minime vero in ordine morali, locum habere potest propositio affirmans ex causa necessaria gigni effectus necessarios. in actibus a voluntate hominis libere procedentibus, voluntariamque ejus determinationem consequentibus nulla fingi potest necessitas, nisi consequatur liberum ipsius voluntatis actum: & hęc proprie dici nequit necessitas, utpote quę in actum illum nullatenus influat. at necessitas antecedens cum qua stare non potest futuri actus contingentia, supponi non potest in esse eventui contingenti ex præscientia divina: sunt enim hęc contradictoria ideoque incompossibilia, actum vel effectum quemdam esse liberum & contingentem, & per Dei pręviam cognitionem fieri necessarium. tunc quęstioni locus non esset: cum enim cuncta, ut merito supponitur, præsciat Deus, futurorum contingentiam tollente ejus præscientia, de quo procederet quæstio? idem esset ac si quęreretur, an futurum liberum & contingens sit futurum necessarium, quod est mere negatorium. uno verbo, pręscientia Dei ea ratione qua est præscientia, nihil influit in futurum contingens: unde ergo contingentiam illius posset tollere?

Ex jam dictis facile intelligitur nec Wiclefum, de quo in Concilio Constantiensi, nec alios quoscumque qui prius illo aut posterius erraverunt circa Dei pręscientiam, cum arbitrii humani libertate illa pugnare arbitrantes, veram habuisse de illa notionem quod si ii omnes advertissent pręscientiam in Deo supponere rem contingentem & contigenter futuram, & ut talem ab illo cognosci, adeoque cum sit illa posterior, non posse eam reddere necessariam, humanæ libertati hanc non officere intellexissent. unde ut recte in hac quęstione procedatur semper est attendendum quod scientia Dei non antecedit decretum ejus liberum, sed illud supponit, ea propter libertatem quam consequitur non potest illa auferre. pręscientia Dei solam necessitatem consequentię arguit in rebus ab eo pręscitis. erunt quidem & necessario quę pręscivit Deus, sed non quia pręscivit, cum futuritio illorum pręscientiam antecedat. erunt tamen suppositione facta quod pręsciuntur: necessitas autem hæc consequens libertati non adversatur quod intelligens pro solita ingenii sagacitate Scotus dixit in 1. dist. 39. quę. unica, Num. 35. quod *contingentia relata ad divinam scientiam sint tantum necessaria necessitate consequentiæ: hoc est, ista consequentia est necessaria, si Deus scit illa esse futura, illa erunt. Non tamen sunt necessaria necessitate absoluta, nec necessitate consequenti*.

Hinc facile resolvitur quæstio illa logica non adeo levis ut multi putant, utrum propositionibus de futuro contingenti insit determinata veritas, vel falsitas. Neque enim determinatam possunt habere veritatem ante absolutum Dei decretum, in quo solo potest determinate cognosci. Siquidem res non extrahuntur de esse possibili indeterminato & indifferenti, ad esse futurum certum & determinatum, nisi per illud decretum. ab illo igitur præscindendo nec sunt, nec cognoscuntur certo ac determinate, unde, ut optime observat Scotus, futura quandiu remanent in statu possibili, suntque indifferentia ad esse, *non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc per quod habeant veritatem determinatam. posita autem determinatione voluntatis divinæ jam sunt vera*. prius est enim aliquid esse, quam illud esse tale. si ergo ante Divinum decretum esse determinatum non habet, nec ante illud decretum tale esse habebit. si tale esse non habet nisi dependenter ab illo decreto, nec nisi dependenter ab illo poterit determinate cognosci. verum hæc obiter dicta sint ut intelligatur quæstiones quæ levioris reputantur momenti, maximam quandoque ac necessariam habere cum majoribus difficultatibus. gravissimisve quæstionibus connexionem.

QUÆSTIO TERTIA.

Quonam in medio cuncta cognoscat Deus?

DEum nihil eorum quę sunt, fuerunt, & erunt, vel esse possunt, latere ex jam dictis abunde constat. quomodo autem, & quonam in medio illa omnia intueatur Deus, examinandum habemus, non mediocribus quandoque occurrentibus difficultatibus. medium cognitionis vocatur illud in quo res quædam cognoscitur, quodve illa prius cognitum, in illius ducit cognitionem. Deum seipsum, suamque essentiam, & quęcumque in Deo cum ipsius essentia identificantur nullo in medio quam in se ipso cognoscere evidens est, ac ab omnibus conceditur. Nihil enim est quod prius cognoscat Deus quam seipsum, suamque essentiam, quę ipsa est Deo ratio & causa cognoscendi quęcumque alia a se. De iis omnibus igitur quę sunt extra Deum, quęstio procedit. Sunt autem illa vel possibilia vel futura; & ex futuris, alia sunt necessaria, alia sunt libera. ac inter futura libera, quædam sunt absoluta, quędam vero conditionata futura libera absoluta quæcumque a Deo videri in reali eorum cum ęternitate coexistentia placet nonnullis, hac via difficultatem omnem fugere arbitrantibus. hęc vero futura contingentia cognoscendi veram rationem in Deo esse antecedens & efficax, absolutumque ipsius decretum volunt Theologi non pauci; ex quo antecedenti decreto, de quo sinistre multi loquuntur, fluit juxta Thomistas qualitas quędam physice prędeterminans, quam non ponendam existimant cum suo Doctore Scotistæ. circa hęc omnia quid sentiendum judicaverimus a Scoti Doctrina non recedentes, aperient sequentes assertiones.

AS-

ASSERTIO PRIMA.

Res omnes sive futuras, sive possibiles, in sua essentia cognoscit Deus.

VEl in sua essentia Deus futura cuncta & possibilia, intuetur, vel in se ipsis illa a Deo videntur. illud ultimum excogitari nequit: in eo enim inadmissibili supposito hujusmodi cognitionem a creaturis emendicaret Deus, & ab aliis objectis suæ scientiæ rationes acquireret, indeque, ut optime observat Doctor Subtilis, *vilesceret intellectus divinus pro eo quod pateretur ab aliquo alio ab essentia sua*, inquit quæ. 4. prologi. quod ne incidenter dixisse videatur & præter propriam sententiam, addit in 1. dist. 3. quæ. 3. *essentia divina sola movet intellectum divinum ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu*. & indignum Deo arbitratur quod a creaturis in cognoscendo penderet unde dist. 35. quæ unica investigans utrum rationes rerum quæ cognoscuntur per ipsa objecta, sint essentiæ divinæ ratio illa cognoscendi, dicit quod *hoc videtur vilificare intellectum divinum, quia tunc esset passivus aliorum objectorum cognitorum per istas rationes*. & revera vilesceret essentia divina indigens rationum illarum per quas determinaretur ad creaturarum cognitionem, cum præsertim sint respectus ad creaturas a quibus moveretur intellectus divinus: quod est absurdum. est igitur essentia divina: sibi ipsi ratio res futuras & possibiles cognoscendi per semetipsam & in semetipsa: omnia enim possibilia & intelligibilia in divina essentia continentur virtute ac eminenter nulloque alio interveniente medio ipsi opus est ut ab illo hæc omnia intelligantur.

Quam autem sententiam sic proponit Scotus illam a Sanctis Patribus accepit. divina mens ea quæ sunt, non ex iis quæ sunt novit, sed ex se & in se. inquit Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 7. & S. Ambrosius cap. 1. in symbolum hæc habet: *licet omnia cælestia & terrestria ac minima quæque perspiciat Deus, nihil tamen extra se intelligere; sed singula in se intueri dicitur*. S. Augustinus lib. 5. de genesi ad litteram cap. 15. sic loquitur. *vidit omnia quando fecit, & sicut vidit ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso... omnia prinsquam fierent, erant in notitia facientis... non opinor eum esse tam excordem, ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur. porro si noverat ea prinsquam faceret ea, profecto prinsquam fierent apud illum erant eo modo nota*. & lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Novit omnia Deus pater in se ipso, novit in Filio, sed in seipso tamquam seipsum*. ac tandem lib. 83. quæstionum, quæ. 46. *Deus nihil extra se intuetur, sed in se tamquam in causa omnium*.

Res omnes sive futuras, sive possibiles ab æterno videri a Deo certissimum est. Æternum ergo esse oportet illud, in quo a Deo videntur. nihil autem æternum prædicari potest præter ipsum Deum: in illo igitur dumtaxat hæc videantur necessum est. aliunde res omnes a Deo non possunt videri nisi in illo a quo & per quem esse tum futurum, tum possibile possunt habere. cum ergo tale

 esse

esse a Deo solo habere queant, in se ipso Deus illas intueatur consequens est. futura necessaria & a solo Deo pendentia Deum in se videre omnes consentiunt. quare de futuris liberis & contingentibus diversum ferretur judicium? Eadem enim quantum ad eorum futuritionem & una pro quibuslibet videtur ratio. dicenturne futura libera videri a Deo in voluntate se aliquando ad illa determinatura? Sed eadem semper recurret quæstio. hæc voluntas ad talem actum se in tempore determinatura non potest ab æterno a Deo videri nisi in ipsa Dei essentia. hæc voluntas nequit videri nisi ubi est. cum ergo sit dumtaxat in ipsa Dei essentia in qua virtualiter & eminenter continetur, in nullo medio distincto ab ipsa Dei essentia potest cognosci.

ASSERTIO SECUNDA.

Futura libera & contingentia non cognoscit Deus in reali eorum cum ipso coexistentia, illorumve in æternitate præsentia.

DEo qui est æternus nihil potest realiter coexistere quod non sit æternum; coexistere enim alicui est cum illo simul existere. futura autem libera & contingentia non sunt ęterna, cum esse non habeant nisi in tempore: non possunt ergo a Deo cognosci in illorum reali cum ipso coexistentia, ac eorum in æternitate pręsentia. Supponit enim hæc Dei cognitio existentiam eorum quę intuetur, secundum suum esse proprium ac reale ab ęterno. Hinc argumentari videtur S. Augustinus ad assertionis nostræ confirmationem, dum lib. 5. de genesi ad litteram cap. 18. sic loquitur. *Hæc antequam fierent utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? & rursus quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. proinde antequam fierent, & erant, & non erant. erant in Dei scientia, non erant in sua natura.*

Oppositam assertioni sententiam refutat Doctor Subtilis eadem via, ostendens præsentiam rerum in æternitate juxta quam hæc futura a Deo cognoscantur, supponere eorum ab æterno existentiam, sicuti immensitas Dei in loco supponit actualem loci existentiam. *Si immensitas non est ratio coexistendi loco nisi actuali, quia illud quod non est, nulli potest coexistere: pari ratione æternitas non erit ratio coexistendi alicui nisi existenti, quia coexistere dicit relationem realem: sed relatio realis non est, cujus fundamentum non est reale*. ita in 1. dist. 39. quæ unica.

Inintelligibilis nec non impossibilis est illa futurorum in æternitate præsentia. quis enim intelligit quomodo res futura in tempore successivo, quod simul non est, nec esse potest, ante illam differentiam sui temporis, quæ secundum successionem est futura, sit præsens Deo actualiter? nam successio illa non est simul cum Dei æternitate, non enim nunc est, sed erit in illa æternitate? Non itaque potest coexistere, cum nullatenus habeat præsentiam in æternitate. aliunde possibile non est illud quod in se nihil adhuc est, & nihil habet proprii esse, propriæque durationis, alterius mensu-

ræ

ræ vel durationi coexistere. quomodo ergo Deo coexisterent in æternitate futura libera, quæ ab æterno nihil fuerunt & nullam habere durationem? præterea futura illa contingentia non possunt cognosci a Deo præsentia in æternitate nisi realem & physicam habeant in æternitate existentiam: & hoc concedunt adversarii. sed exinde absurdum quid videtur sequi, scilicet futura hujusmodi duplicem exigere existentiam: unam quidem ratione cujus videntur a Deo in æternitate ex jam supposito: alteram vero juxta quam vere ac physice existent in ea parte temporis quo sunt futura. Neque enim dici potest duplicem illum modum existendi esse unum & eumdem, utpote qui diversæ, ut ita dicam, durationis uterque sit, æternæ unus & interminabilis in cognitione Dei, temporalis alter & transitoriæ pro instanti quo reapse a statu futuritionis ad statum pro nunc existentiæ futura illa transibunt. Sicque futura illa bis a Deo sunt producenda, quod implicare videtur, nulloque sufficienti nititur fundamento. & tandem futura illa a Deo certo cognoscuntur ab æterno tamquam futura, non autem tamquam præsentia: at supposito quod ab illo cognoscantur in reali eorum cum æternitate coexistentia non cognoscuntur ut futura, sed ut præsentia: etenim physica & realis eorum cum æternitate coexistentia dicit actualem eorum præsentiam in æternitate, non solum, ut loquitur Scotus in mente adversariorum, quantum ad entitatem quam habent in esse cognoscibili, sed etiam quantum ad entitatem quam habent in esse existentiæ. jam ergo respectu cognitionis divinæ actu existunt, & non nisi improprie futura dicuntur. dum enim quantum ad Deum cognoscentem, res omnes ponuntur præsentes & æternitati coexistentes, auferuntur illarum futuritio & contingentia. & tunc amplius non manet resolvenda quæstio, quonam in medio futura libera & contingentia cognoscat Deum. quæ cum ita sint ut res ipsa clamat, inconcussa remanet, assertio nostra.

Nec adversariorum argumentis efficaciter concutitur: hæc enim facili negotio diluuntur. si futura, inquiunt, vel præterita non semper essent actu præsentia Deo, sed successive in ęternitate fluerent, Dei duratio esset successiva similis nostrę in qua res transeunt, & sibi succedunt ac ita cognoscuntur: illud autem Deum dedecet. verum talia opponentes advertant oportet successionem temporum se tenere ex parte Creaturarum, quę cum sint imperfectæ & labiles, nequeunt aliter durare. imo si illę in ęternitate Deo coexisterent, sequeretur illud inconveniens. at Deus solus est ęternus: alia vero fluunt & prætereunt temporibus subjecta. Sicut autem res creatæ dum existunt certos habent ac determinatos locos in quibus consistunt, ita certis sunt additæ temporibus ut existant & durent. & sicuti nulla res creata correspondet Dei immensitati, ita nulla coexistit Dei æternitati. Dum vero dicunt, per præsentiam objectivam rerum non sufficienter salvari perfectam æternitatem, illamque confundi cum tempore: unde ipsis videtur distinguendum, Deo quod permanens est ac perfectum tribuendo, quod e contra caducum & mutabile est relinquendo creaturis: ac insuper ex præsentia objectiva exurgere varietatem & inconstantiam tum in rebus, tum in illa-
rum

rum cognitione, quod certe a Deo est prorsus alienum: ipsis respondebimus satis esse, quidquid dicant, præsentiam objectivam ad divinam cognitionem, ex eo quod ut cognoscatur objectum non requiratur præsentia actualis, ut apparet in possibilibus, quæ in statu possibilitatis cognoscuntur a Deo, nec aliter cognosci possunt. & quare imperfectionem diceret in cognitione divina quod res in suis statibus attingat uti sunt, & uti existunt in statu possibili, futuro, actuali? Nihil mutationis ex iis differentiis advenit cognitioni divinæ, quæ semper eadem invariabiliter perseverat, sicut & voluntas divina decernens res futuras. ex parte creaturarum est tota mutatio: nec divinam cognitionem attingit illa imperfectio rerum objectarum, quę nullum divino intellectui principium cognoscendi ministrant: imo sicut ab omnipotentia accipiunt esse, ita & ab intellectu cognosci: & sicut summa Dei potentia non dependet a creaturis quas condit, ita nec intellectus ab objectis quę cognoscit.

At instant dicentes quod si ea quę sunt futura realiter ac physice non existant in ęternitate non distinguentur a possibilibus, cum in suo esse futuro nihil accipiant nisi terminationem liberam decreti divini, quod cum sit intra Deum nihil ponit physicum in re, ideoque in eodem manent statu in quo erant possibilia absque ulla mutatione, donec per Dei actionem pręsentia fiant. illud autem ipsis videtur absurdum. Verum quod res ita sit, ut sentiunt adversarii, nullum est incommodum. etenim res in statu futuro dum non est in actu, addit dumtaxat supra statum possibilem, terminationem & respectum ex ea ortum ad liberum divinę voluntatis decretum, quod in re futura nihil ponit actualis existentiæ, sicque retinet medium hunc statum inter possibilem & pręsentem, qui terminat liberum Dei decretum de futura existentia rerum absque ulla pręsentia actuali; & pro isto statu cognoscitur per scientiam liberam, quę dicitur visionis; & sicuti res a statu possibili transit ex virtute decreti liberi ad futurum, ita & scientia quę de illa erat necessaria tamquam de re in statu possibili transit in liberam visionis in statu futuro sine ulla sui intrinseca mutatione. & ideo ultro conceditur ut quid indubitatum, nihil ex futuritione entitati objecti accidere pręter actualem positionem ex parte liberi decreti divini, & ex parte Scientię addi respectum scientię visionis objecti, quod futurum apparet, terminando in eo genere scientiam liberam. quod & adversarii admittant oportet, cum non possint non distinguere scientiam necessariam possibilium, & scientiam liberam futurorum.

Sic adhuc insistunt. verum non est futura esse Deo præsentia tantum objective: non enim potest objectivum illud esse stare cum divino decreto de futuritione rerum, quę cum illius decreti sit effectus per illud in re actualiter poni debet, alioquin frustraretur actus divinus: re enim manente in esse possibili & objectivo nullum erit decretum, cum voluntas Dei libera non queat stare sine mutatione facta in re, nam voluntas in se non mutatur, sed mutatur objectum: unde sequitur futura esse Deo actu præsentia in æternitate. præsentem difficultatem de ratione futuritionis, & de modo quo decer-

cernuntur futura, adversariis futura non negantibus pariter solvendam esse ostendere non juvat: satis est quod illam pro instituto nostro solvamus. Dicendum ergo Deum velle per suum decretum ut res possibilis transeat de statu possibili ad futurum, & ad id opus non est quod ponat aliquid positivum in esse possibili præter reductionem in actum futurum, sed ad illam dicat respectum quemdam rationis habitudinis ad illam rem, in quo respectu ex omnibus actus liberi ratio consistit. Nihil tunc de novo reale advenit, vel rei decretæ, vel actui divino decernenti præter habitudinem illam quæ fundat respectum rationis. Nec dici potest quod voluntas divina libera cum aliquid vult, semper in objecto aliquid ponat: datur enim in Deo voluntas inefficax, quæ est affectus quidam benevolentiæ, sine aliquo tamen effectu in re posito: quæ voluntas inefficax admittitur ab omnibus Theologis duplicem in Deo distinguentibus voluntatem, efficacem unam, quæ semper est conjuncta cum effectu & in re aliquid ponit: inefficacem alteram, in simplici affectu benevolentiæ sistentem, & effectu carentem, nihilque in re ponentem. quæ cum ita sint, facile intelligitur futura contingentia vere ab æterno cognosci a Deo, licet non sint actu præsentia in æternitate.

Nec dicatur actualem illam rerum præsentiam in æternitate esse necessariam ad cognitionem intuitivam Dei, qui nequit eas in esse objectivo intuitive cognoscere: hæc enim præsentia actualis non est necessaria Deo ad cognoscendum intuitive creaturas, cum abundet lumine in sua essentia in qua melius eas & clarius cognoscit quam in se ipsis. & si aliquando patres indicare viderentur rerum præsentiam in æternitate ratione cujus a Deo cognoscerentur, intelligendi sunt de præsentia dumtaxat objectiva: omnia enim etsi diversis temporibus existentia, unico intuitu Deus ab æterno videt, juxta illud Augustini, *apud Deum nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt*. unde differentiæ illę temporum præteriti, præsentis, & futuri, apud Deum non videntur esse, cum respectu ipsius sit præsens perpetuum, nihilque sit ei successivum. Idque sic intelligebat Doctor Subtilis dum sententiam nostram defendens hæc loquebatur in 1. dist. 39. *auctoritates omnes quæ videntur sonare omnia esse præsentia in æternitate, intelligendæ sunt de præsentia in ratione cognoscibilis, & non tantum cognoscibilis, quasi cognitione abstractiva, sicut rosa non existens est præsens intellectui meo per speciem, sed cognitione vera intuitiva, quia non aliter cognoscit Deus facta quam fienda, & ita perfecte sunt præsentialiter cognita ab intellectu divino fienda sicut facta.*

ASSERTIO TERTIA.

Futura omnia libera & contingentia videt Deus in suis decretis efficacibus & absolutis.

HUjus assertionis quam expresse tenet Scotus veritas non difficile ostenditur. in illo medio cognoscuntur a Deo hujusmodi futura quod solum reperitur inter cognitionem rei in statu possibili, & cognitionem rei in statu futuro. cum ergo inter utramque nihil mediet nisi efficax & absolutum Dei decretum, per quod res possibilis extrahitur in statum futurum, consequens est ut in illo hæc futura cognoscantur. res de statu possibili in quo est necessario, & ut talis in essentia cognoscitur, non eruitur ut transeat ad statum futurum nisi mediante absoluto & efficaci Dei decreto quo determinate vult illud quod erat jam possibile, fieri in tempore futurum, & nihil aliud huic rei advenit mutationis præter transitum illum a statu possibilitatis ad statum futuritionis non potest autem causari transitus ille nisi per absolutum & efficax Dei decretum, quo non posito res illa in perpetuum remaneret in ordine possibilium, & nusquam esset in ordine futurorum. in solo igitur decreto tamquam in unico ac vero cognitionis medio debet a Deo videri. & ubinam videri posset, nisi in illo per quod suum esse futuritionis potest obtinere, quod aliud esse nequit præter decretum vi cujus determinato quodam tempore existet? videretur ne in re ipsa? at in illo casu rei cognitionem mutuaret Deus a creaturis, tuncque, ut cum Scoto diximus, vilesceret necessario intellectus divinus. & aliunde absurdum est rem in se ipsa cognosci antecedenter ad decretum: quod enim non est futurum nisi consequenter ad decretum non potest intelligi futurum nisi consequenter ad illud decretum.

Liberum ergo illud Dei decretum rem possibilem determinans futuram est caussa libera quidem, sed immutabilis, rei illius futuritionis: unde per illud solum divinę voluntatis liberum & contingens decretum, res libere & contingenter futura ab intellectu divino videtur, qui sicut antea noverat rem possibilem in essentia, ita nunc eam cognoscit in eadem essentia affecta decreto libero & contingenti in statu futuro. & falso diceretur de isto decreto jure dubitari, cum non attingat res omnes in singulari futuras, sed indistincte & confuse in futura feratur: divina enim voluntas fertur distincte in res omnes singulares volens eas, & determinans in singulari, absque multiplicatione actuum ex parte ipsius: & absque illa cognitione vel potius determinatione distincta rerum in singulari, non staret providentia, quę est de singularibus, ut notum est. Ideoque res singulas cum suis proprietatibus ac circumstantiis decernit Deus, per suam liberam voluntatem, quę libere ac contingenter terminatur ad res futuras, quę pariter sunt contingentes & liberæ, uti & decretum per quod decernuntur, quod potest esse & non esse cum operatur rerum futuritionem. Nec est alia ratio cognoscendi crea-

creaturas in se ipsis immediate quam illud decretum, vel essentia illo affecta decreto: quod contingenter volens objectum, dat contingentiam ipsi objecto, sicut postquam est determinatum ad suum esse futurum certitudinem confert & infallibilitatem. per divinam voluntatem res immutabiliter determinatur, & per intellectum divinum immutabiliter & determinate cognoscitur; tam enim voluntas, quam intellectus sunt immutabiles. *cum istis tamen* ex Scoto *stat contingentia objecti cogniti, quia voluntas volens hoc determinate, contingenter vult hoc*. ita & contingentia, & infallibilitas objecti provenit ex contingentia, & immutabilitate decreti.

Est autem illud decretum in quo futura illa videntur a Deo efficax & absolutum, cum rem in actu ponat & cum executione, in quo consistit efficacia absoluta. non tamen est physice prædeterminans, multoque minus compellens vel necessitans. quam vero hic propugnamus opinionem de decretis antecedentibus & efficacibus totam esse Doctoris Subtilis diximus, & merito, ut ex ipsius testimoniis fiet manifestum. in 1. dist. 41. confutans Henricum prædestinationem ex prævisione boni usus liberi arbitrii defendentem sic loquitur: *Contra istud arguitur, primo, quia Deus non prævidet illum bene usurum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat istum bene usurum eo, quia sicut dictum est dist. 39 certa prævisio futurorum contingentium est ex determinatione voluntatis divinæ. Si ergo offerantur voluntati divinæ duo æquales in naturalibus, quæro, quare istum præordinat bene usurum libero arbitrio, & illum non? Non est hujus, ut videtur, assignare rationem nisi voluntatem divinam*. Nonne evidenter per illa verba significantur decreta antecedentia & efficacia, etiam in profundissimo prædestinationis mysterio? unde sic prosequitur Doctor: *hæc est prima distinctio inter eos, quam per se sequitur electio vel reprobatio, scilicet determinatio divinæ voluntatis pro hoc non pro illo. ergo in prima distinctione pertinente ad prædestinationem & reprobationem, sola ratio est divina voluntas*. Hæc adeo evidentia sunt, ut nulla indigeant interpretatione.

Ab hac sententia non recedit in quæstionibus quotlibetalibus, hæc enim habet quæ. 14. *sequitur motio contingens . . . igitur oportet illius motionis principium ponere voluntatem, & sit hujusmodi motio contingens ordinate primo ad intra: quia nisi ipsa voluntas determinetur in se ad volendum alteram partem, numquam determinabit aliquid ad extra. primo igitur determinat se ad volendum hoc fore determinate. secundo ex hoc intellectus videns istam determinationem voluntatis infallibilem novit hoc esse futurum . . . completa motione contingentis ad intra, sequitur motio ad extra. illa igitur tota est contingens, & per consequens immediate ipsius voluntatis ut principii*. Decretum ergo antecedens & efficax ut quid omnimode necessarium simul & indubitatum defendit Scotus Divo Thomæ hac in parte consentiens; & qua ducti ratione velint nonnulli Scotistæ, si textus præcedentes pluresque alios iis similes data opera attente perpenderint, magistrum pro sententia de decretis antecedentibus & efficacibus non stare, dicant qui noverint. in hoc dumtaxat a Thomistis veri differunt Scoti discipuli, quod illi physicam qualitatem prædeterminantem cum

hujusmodi decretis admittant, quam non admittendam rationibus non levibus illi existimant.

Hæc vero sententia juxta quam futura omnia libera & contingentia videt Deus in suis efficacibus absolutisve decretis, videtur Sanctorum Patrum doctrinæ prorsus conformis, illorumque fulta auctoritate. quid enim aliud significant hæc Augustini verba lib. 5. de civit. cap. 9. *quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit: & ideo quidquid valent, certissime valent; & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt, quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest*. Nihil ante divinum decretum esse determinate futurum, Deique voluntatem rem prædefinientem esse veram ejusdem rei rationem, ex qua sequatur futura in ipso decreto a Deo cognosci insinuat idem Sanctus Doctor lib. 26. contra Faustum cap. 4. sic loquens. *illud sane scimus, hoc de illo factum quod Dei voluntas habet: quod autem voluntas Dei non habet fieri de quoquam omnino non posse*: & rursus: illud *utrum futurum sit nescio: & ideo nescio quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me latet: illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet. porro si audiam, quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit ne fieret; fidissime respondebo, illud potius futurum erat quod Deus fecit, non illud quod si futurum esset, hoc fecisset. Nam Deus quod facturus erat utique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non fuisse, quod ne fieret facturus erat: & procul dubio potius verum est quod scit Deus quam quod opinatur homo*. quod confirmatur ex his verbis lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*: & ex illis tract. 68. in Joan. *Deus fecit futura, ea prædestinando*. cum ergo ex Hipponensi contingentia illa fiant futura per antecedens Dei decretum, illa in eodem Decreto a Deo cognosci consequens est.

Illud idem significant quæ loquitur Sanctus Gregorius Magnus lib. 12. moral. cap. 2. *nulla quæ in hoc mundo ab hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus futura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter sæcula disponantur*. & Sanctus Isidorus lib. 1. sentent. cap. 18. *cur futura quasi præterita scribuntur? nisi quia ea quæ adhuc facienda sunt in opere, jam facta sunt in Dei prædestinatione*. Nec omittendus est S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 12. *in æternitate incommutabili voluntatis suæ creator ille jam fecisse videtur quod in creatura mutabili, prout opportune faciendum disposuit sic rite dispositum facit*. eodem fere modo loquuntur quamplures alii Patres, ex quorum testimoniis legitime colligitur Deum in suo antecedenti decreto futura contingentia cognoscere; quod non concedere non poterit quicumque attenderit futurorum hujusmodi primam causam esse divinam essentiam determinatam per suum decretum, quod illa, ut dictum est, a statu possibilitatis extrahens transire facit ad statum futuritionis, illisque confert esse futurum, quo non posito decreto, perpetuo privarentur.

Nec audiendi sunt adversarii dum dicunt præfata Sanctorum Patrum testimonia probare quidem pro futuris ordinis supernaturalis in statu præsenti, mi-

minime pro futuris ordinis naturalis, vel pro futuris ordinis supernaturalis in statu naturę Innocentis, quæ noverat Deus in creata voluntate eodem modo quo ut contendunt, futura ordinis naturalis ab illo videntur in creata voluntate se ad ea aliquando determinatura. Nam primo Patres non distinguunt inter futura ordinis naturalis vel supernaturalis: nec istiusmodi distinctionis ullum vestigium reperire est in verbis illorum mox relatis, ut facile innotescet omni testimonia laudata diligenter perscrutanti; imo de contingentibus ordinis naturalis pro majori parte sermonem faciunt. & aliunde potior non est ratio quantum ad Dei præscientiam, pro quibusdam quam pro aliis. & si concedatur opera supernaturalia nunc videri a Deo in antecedente & absoluto suo decreto, pariter concedendum est in statu naturæ innocentis. illa novisse Deum in eodem decreto, & in illo futura ordinis naturalis pro utroque statu a Deo videri. Nec ad fundandam utriusque status vel utriusque ordinis futurorum distinctionem sufficiens est ratio desumpta ex diversitate auxiliorum, nempe quod in statu naturæ innocentis gratia esset versatilis, in præsenti vero statu gratia sit per se efficax. illud enim utriusque gratiæ discrimen, quod ab omnibus non admittitur, & de quo differere præsentis non est instituti, mutare non debuit medium scientiæ divinæ, quæ futura contingentia in quocumque statu videre non potuit nisi in eo solùm ex quo suum esse futurum habere possunt. illud autem habere non possunt nisi ex determinatione voluntatis divinæ, ut ostensum est: (opera sint naturalia sive supernaturalia: gratia sit versatilis vel ab intrinseco efficax, nihil interest) in illa igitur quæcumque futura contingentia sunt a Deo cognita. Secundo indignum Deo esse, jam satis insinuavimus, quod futura videret in creata voluntate se aliquando ad ea determinatura, ex eo quod in tali supposito divina scientia speciem & perfectionem a creaturis desumeret, & pro sua certitudine ac veritate ab eis penderet, quod excogitari nequit quin eodem tempore vilescat intellectus divinus, ut loquitur Doctor, cognitionis suæ certitudinem a creaturis mendicando: sicque opus esset quodammodo ut Deus extra se exiret ad habendam futurorum cognitionem, quod opinari, sacrilegum cum Augustino libenter assererem. præterquam quod Patrum auctoritates, quibus sententiam suam confirmare præsumunt qui volunt Deum futura ista cognoscere in futura creatæ voluntatis determinatione, nullo modo sunt ad propositum & omnes eo tendunt ut ostendant, quod in præcedentibus statuimus, præscientiam Dei non esse causam rerum, illasque non esse futuras quia prænoscuntur a Deo, sed potius illas a Deo prænosci quia futurę sunt; quod optime conciliatur cum antecedentibus & absolutis decretis, in quibus Deus prima omnium rerum causa futura cuncta cognoscit.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. *Objectio*. Dato quod futura libera & contingentia cognoscat Deus in antecedenti & efficaci suo decreto, eadem ratione dicendus erit Deus in suo decreto mala hominum opera eorumque peccata cognoscere. Id autem asserere absurdum videtur, ex eo quod in tali supposito peccati causa & auctor Deus non immerito censeretur, quod absque impietate nequidem cogitari potest. unde ex hoc capite stare non valet assertio.

Resp. Non parum esse in eo difficultatis frustra diffiteremur. verum solvitur dicendo quod in peccato duo sunt consideranda: substantia actus, qui est physicum quid; & defectus conformitatis cum regula seu lege, qui est aliquid morale in quo precise consistit ratio peccati. omne autem peccatum vel est omissionis vel commissionis. si omissionis cognoscitur a Deo in negatione concursus: si commissionis in exhibitione illius ad substantiam actus, qui permittitur in re illicita & vetita a Deo praevisa. Ideoque certa semper manet ratio cognoscendi in decreto, vel non concurrendi ad omissionem, vel concurrendi ad substantiam actus prohibiti. & haec est responsio Doctoris Subtilis in 1. dist. 41. sic loquentis: *Deus praescit se cooperaturum lucifero ad substantiam actus qui erit peccatum. Hoc autem praescit quia vult cooperari illi, si est peccatum commissionis; vel praescit se non cooperaturum ad actum aliquem, si non vult ipsum: & hoc si iste actus primus est peccatum omissionis: & sciendo se cooperaturum ad talem substantiam actus cum non circumstantiis debitis, vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens quem omittet, sciet illum peccaturum, ita quod scit hunc peccaturum, non solum quod scit se permissurum, sed etiam quia scit se cooperaturum huic ad substantiam actus non circumstantionati, & per consequens iste committet; vel non cooperaturum ei ad actum necessarium, & per consequens iste omittet.* Nec tamen in Deum refundi potest peccatum, cum concursus Dei, vel negatio concursus attingat dumtaxat materiale actus, in quod malitia quę est quid morale non potest cadere, non vero formale illius, quod est deviatio a regula. & ad primum concurrit Deus tamquam prima ac universalis causa, sine cujus cooperatione ac motione nihil operarentur causae secundae, a quibus est & non a Deo, defectus conformitatis cum regula. unde Deus mala hominum opera, quorum auctor & causa esse non potest, ut fuse ostendimus tractantes de peccatis, cognoscit in determinatione suae voluntatis de praestando vel non praestando suo tam speciali quam generali concursu ad talem vel talem actum secundum substantiam, seu secundum illius esse materiale consideratum. ex quo facile intelligitur non magis ex decretis antecedentibus Deo tribuenda esse hominum peccata, quam ex concursu simultaneo quem defendunt quicumque efficacibus absolutisque divinis decretis hac in parte adversantur.

2. *Objectio*. Per antecedentia & efficacia illa decreta videtur tolli humana libertas, & cum illis stare non intelligitur rerum contingentia, quibus necessitatem non potest non inferre voluntatis divinae determinatio, a qua

a qua suum esse futurum habent, quæque cum sit immutabilis, eamdem rebus ab ipsa decretis confert immutabilitatem, ratione cujus ea quæ libera & contingentia reputabantur fiunt necessaria: quo posito inadmittenda prorsus sunt antecedentia hæc decreta.

Resp. A defensoribus scientiæ mediæ, de qua inferius dicemus, humanam tolli libertatem rerumve contingentiam per efficacia & antecedentia de quibus agimus decreta, omnibus notum est pluribus abhinc annis decantari. verum illud fuisse ab ipsis gratis excogitatum, nec usquam probatum, imo & esse omnino improbabile manifestum est iis omnibus quos præjudicata huc usque non fefellit opinio. cum antecedentibus divinis decretis, si bene intelligantur, optime stare futurorum contingentiam, hominisque libertatem facile ostenditur, si undenam sit repetenda ratio contingentiæ & humanæ libertatis causa dignoscatur. illa cum Doctore Subtili repetentes ex voluntate divina, difficultate concordiæ decretorum cum libertate minime deterremur. Scotum ergo in Reportatis dist. 40. de hac re differentem audiamus. *Supposito quod contingentia sit in rebus, videndum est*, inquit, *ubi est prima ratio contingentiæ? & dico quod prima ratio contingentiæ est in voluntate divina comparata ad alia a se. probatur hoc; quia si necessario se haberet in causando alia a se, nihil esset contingens in rebus, nulla enim esset causa secunda, & nullum malum esset in rebus*. Hac semel stabilita propositione assertaque veritate prosequitur. *prima igitur ratio, & causa contingentiæ in rebus est ipsa voluntas divina, & tunc dici potest ulterius, quod aliqua sunt contingentia duplici contingentia ex parte causantium, sicut velle nostrum, cujus prima causa est Deus, & secundaria est voluntas nostra, & utraque contingenter causat*. quæ ut optime intelligantur observandum est cum Doctore ex isto capite dissentiente ad Angelico, Deum nedum scire contingentia futura, sed etiam scire contingenter futura contingentia, in quantum contingentia sumitur ex parte scientiæ, ita ut futurum sit contingens, & scientia de illo sit etiam contingens. etenim contingentia objecti fundatur in libero decreto divinæ voluntatis quæ vult etiam contingenter, ut illud objectum sit. ante decretum liberum decernens tale objectum futurum, vel potius determinans futuritionem illius, objectum istud utpote indeterminatum, non cognoscebatur determinate ab intellectu divino. at interveniente libero & contingenti Dei decreto, objectum determinatur ad esse futurum & tunc futurum est contingenter, & scientia divina de illo est contingenter, quia poterat non esse. cuncta hic sunt contingentia, & nihil ponitur necessario. voluntas libera est contingens, & libere ac contingenter decernit futurum contingens, retenta sua contingentia cujus voluntas divina est causa contingens, non ab illo auferens, sed illi potius tribuens contingentiam. Scientia pariter de isto objecto est contingens, quæ cum ante decretum esset neutra & indeterminata quemadmodum & objectum, nunc contingenter fit certa & determinata, ex eo quod sequatur decretum contingens & contingenter determinans futuritionem objecti futuri contingentis. & ideo hæc scientia quæ est visionis, vulgo in scholis dicitur libera.

Restat ergo sufficienter declaratum, decretum Dei de futuro contingenti & libero esse causam antecedentem futuri contingentis, illudque non solum ejus contingentiam & libertatem non tollere, sed etiam hanc illi tribuere & tributam conservare. nosque talia promentes veram Scoti mentem fuisse assecutos manifestant ea quæ habet in 4. dist.49. quæ.6. *non est contra naturam voluntatis*, inquit, *determinari a causa superiori, quia cum hoc stat quod sit causa in suo ordine*. licet igitur a Deo sit determinata humana voluntas, est tamen libera & contingens ut exigit ipsius natura. dumque ipsi objiciebatur quod causa superiore, ut Deus est, determinante, voluntas in suo ordine causandi determinaretur, tunc in ordine causandi non esset contingens, respondet, *propter determinationem ejus in suo ordine est æqualis contingentia, idest servatur contingentia voluntatis, quia determinatio divina est in suo ordine contingens, ac proinde non aufertur per contingentiam causæ primæ contingentia causæ secundæ*. Idque ita esse debet, si cum Doctore ponamus in Deo radicem cujuscumque contingentiæ causarum secundarum, ut certum nobis videtur: radix contingentiæ ac necessitatis in creatis, est contingentia seu libertas, & necessitas in operando primæ causæ quæ Deus est. unde sic loquitur in 1. dist. 2. quæ. 2. *aliquid causatur contingenter, ergo prima causa contingenter causat, ergo volens causat. probatio primæ consequentiæ: qualibet causa secunda causat in quantum movetur a prima: ergo si prima necessario movet, qualibet alia necessario movetur, & qualibet necessario causat: ergo si aliqua secunda causa contingenter movet, & prima contingenter movebit, quia non causat secunda causa nisi in virtute primæ causæ in quantum movetur ab ipsa*. & juxta idem principium a quo nusquam deflectit, hæc habet dist. 39. *Nulla causatio alicujus causæ potest salvare contingentiam, nisi prima causa ponatur immediate contingentia causare, & hoc ponendo in prima causa perfectam causalitatem, ut catholici ponant .... oportet istam contingentiam quærere in voluntate divina, vel in intellectu divino. Non autem in intellectu, ... prima ergo contingentiam oportet quærere in voluntate divina*. Idque aliter se habere non posse indubitanter tenent, ita ut si prima causa necessario causaret omnia eveniret necessario, & nulla causalitas causis secundis adscribi posset. *in omnibus causis procedendo nihil contingenter erit, si prima causa necessario causat*, inquit dist. 8. quæ. 5. *omnis causa necessario agens agit secundum ultimum potentiæ suæ, quia sicut non est in potestate sua agere & non agere, ita nec intense nec remisse agere: ergo si prima causa necessario causat, causat quidquid potest causare: potest autem causare ex se omne causabile: ergo causat omne causabile: ergo nulla causa secunda aliquid causat*.

Verum cum prima causa non operetur ex necessitate naturæ sed sit principium liberum, illud quod libere procedit ab illo, est liberum non necessarium: quemadmodum actus voluntatis productus libere a voluntate libere operante, ideo est liber, quia procedit libere a principio libero. Sic creatura decreta libere per liberum Dei decretum existit libere & contingenter, & si natura sua libera & contingens est, & libere & contingenter operatur, non privatur suo connaturali modo operandi ex vi decreti eam ponentis, cum

cum illud liberum sit, & libere ac contingenter ponatur. Divinum decretum suam retinet libertatem & contingentiam, eamque communicat effectibus libere ac contingenter, nihil adimens, nec detrahens de illorum contingentia & libertate. ea propter antecedentia decreti nullam imponit necessitatem rebus contingentibus, cum contingenter decernantur, & sinantur esse & operari contingenter, non immutata conditione, sed conservata natura libera & contingenti. stat ergo cum infallibilitate & immutabilitate decreti contingentia rerum decretarum, & libertas conjuncta cum earum infallibilitate. proindeque jure cum Doctore nostro Subtilive magistro admittenda judicamus antecedentia ista decreta, quæ cum libertati causarum nihil noceant, nec rerum contingentiam evertant, verum divinæ cognitionis medium pro futuris liberis ac contingentibus dici debent.

Idque eo magis quod decreta concomitantia, ex formidine lædendæ libertatis inducta, non possunt cum veritate consistere. ex illa enim concomitantia non possunt non vilescere voluntas divina & divinus intellectus, cum Deus sit expectaturus a creatura comprincipium sui actus volendi & intelligendi, veluti a creaturis mutuaret rationes determinandi & intelligendi rem futuram contingentem. Si voluntas divina rem contingentem sine concursu illius determinare non potest, illius profecto indiget, & penitus vilescit. Sic insuper voluntati omnipotenti detrahitur, & creatæ voluntati nimium tribuitur: cum enim contingentia ex Scoto sit modus positivus, si tota hæc contingentia non sit a voluntate divina, & concurrat uti concausæ illius, tunc non est omnipotens, quia totam contingentiam non potest ponere, & voluntas humana erit æqualis potestatis cum voluntate divina, quia ex se ponit unam partem contingentiæ, quam nisi concausam illam habeat, omnipotentia ponere non potest: & aliunde in se aliquid habere, idque Deo largiri quod ab ipso non acceperit, non immerito gloriabitur eadem humana voluntas. præterea supponamus istam futurorum contingentiam oriri tamquam ex integra causa a voluntate divina & humana, quæro utrum concurrant ut indifferentes, vel ut determinatæ? Si tamquam indifferentes, quomodo determinabunt? Nec enim principium indifferens potest esse causa quidquam determinandi. si in quantum determinatæ, assignetur illud a quo determinantur. si a principio determinato, ergo datur decretum antecedens & efficax. Si a principio indeterminato, dabitur progressus in infinitum. ex quibus ostenditur inadmissibilem esse in Sententia Scoti hanc concomitantiam decreti dependentis a voluntate creata.

Ergo, inquiet aliquis, datis decretis antecedentibus voluntas creata necessario, non libere, voluntati divinæ cooperabitur in executione horum actuum liberorum; nec enim libertas quo indeterminationem & indifferentiam supponit, stare poterit cum determinatione quæ est a Divino decreto. falsissima est hæc illatio. voluntas creata cooperabitur voluntati divinæ pro ut ab illa mota antecedenter nulla inducta necessitate. decrevit enim ab æterno divina voluntas ita præmovere creatam voluntatem, ut hæc decretum libere sequatur correspondendo voluntati divinæ, cum naturis rerum se accommodet prima

ma causa; unde fit quod quando causæ sunt contingentes & liberæ ut est humana voluntas, Deus vult illas ipsi libere cooperari, suosque effectus contingenter juxta suam naturam producere; earumque nativam libertatem non tollit divinum decretum causarum secundarum voluntatem antecedens. sed potius perficit & conservat, retinens quod proprium est cuique creaturæ. unde advertendum duplex esse genus determinationis; una necessaria est, alia libera: contingentiam prima tollit, non autem secunda, ut apparet in determinatione voluntatis nostræ liberæ, quæ cum se ipsam determinat, libere & non necessario se determinat, actumque libere & contingenter elicit ad quem libere & contingenter se determinavit. Non inficior Deum per voluntatem suam liberam ponere posse effectum necessarium, cum possit si velit creatam necessitate voluntatem: sed tunc mutabitur modus operandi creaturæ, cujus naturam antevertet Deus, in ea ponens aliquid quod inferat necessitatem, illamque ex principio libero & contingenti, ut erat ex sua natura, efficiens principium necessarium. verum cum per suum efficax, absolutum, antecedensque decretum nihil immutet Deus in voluntate creata cujus libertati semper consulit, ut sæpius dictum est, nullo modo per illud tollitur contingentia rerum, quæ licet posito decreto esse futurum immutabile habeant, libere tamen & contingenter sunt futuræ, quia decretum illud Dei antecedens, quod in ipso est liberum & contingens, illas contingenter futuras & libere ab æterno determinavit.

ASSERTIO QUARTA.

Futura conditionata cognoscit Deus in antecedenti suo Decreto, non quidem absoluto sed conditionato.

HÆc assertio quæ est præcedentis veluti corollarium iisdem momentis jam allatis stabilitur. & ratione iterum confirmatur. futura cujuscumque sint generis vel absoluta, vel conditionata, a Deo videri non possunt nisi in quantum a statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis sive absolutæ sive conditionatæ. cum igitur ex possibilibus futura fieri nequeant, ut superius ostendimus, nisi per divinæ voluntatis decretum, sive absolutum sive conditionatum juxta naturam rei futuræ; nam sublato illo decreto a quo suum esse omnia habent, nihil potest dici vere futurum sicuti nec vere existere, utpote cum esse quodcumque tam futurum quam præsens sit illius Decreti effectus; in illo proinde antecedenti Decreto tamquam in unico medio videntur a Deo. Nihil præterea ut futurum cognosci potest a Deo, nisi pro ut ad futuram illius existentiam per suum concursum Deus est cooperaturus: non est autem cooperaturus ad ullius rei existentiam nisi per suum Decretum determinetur ad suum concursum præstandum: Decretum ergo Dei antecedens est ipsi ratio cognoscendi futura. unde dicit Doctor Subtilis in 1. dist. 39. *quod intellectus divinus determinatur ad illud existens aut futurum cognoscendum, ad quod determinatur voluntas divina.* si determinatio voluntatis divi-

vinæ est intellectui ratio cognoscendi, cum determinatio hæc Dei voluntatis sit ipsum antecedens Decretum, evidens est Decretum illud esse medium necessarium & unicum divinæ cognitionis. res futuræ sive absolutæ, sive conditionatæ, non possunt videri in seipsis antecedenter ad illud decretum si revera illud supponant: evidens autem est illud Decretum supponi a rebus futuris, cum esse qualecumque, etiam futurum, non obtineat nisi dependenter ab illo & consequenter ad illud, ut ex jam dictis constat: non possunt igitur videri nisi in tali Decreto. Nec enim alio in medio videre poterat Deus conversionem Tyriorum & Sidoniorum de quibus Christus in Evangelio, si apud eos factæ fuissent virtutes quæ apud Corozaitas & Betsaiditas factæ sunt. siquidem hæc illorum bona voluntas quæ conversionem erat præcessura, non poterat cognosci nisi in Decreto de conferenda illis gratia per se efficaci ex supposito quod in iis factæ fuissent hujusmodi virtutes, quæ gratia bonam hanc voluntatem, quæ non potest esse nisi a Domino, erat infallibiliter operatura, cum independenter ab illo Decreto ipsis inesse non potuisset hæc bona voluntas ex qua in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. in antecedenti igitur suo Decreto futura conditionata Deum videre certum est.

Conditionatum autem & non absolutum est illud Dei decretum. quidquid enim a Deo absolute decernitur futurum, illud pariter est absolute futurum, cum necessaria sit connexio inter modum existendi rei & naturam Decreti esse huic conferentis: non potest igitur pro futuro conditionato aliud in Deo admitti decretum præter conditionatum: alioqui ex futuro conditionato fieret futurum absolutum quod implicat. sicut ergo res absolute futuræ decernuntur absolute, ita quæ sunt conditionate futuræ, decernuntur conditionate. & hoc modo, ut res ipsa postulat, proportionatur divinum decretum naturæ ac conditioni futurorum. Nec inde sequitur, ut nonnulli existimare videntur, aliquid esse futurum independenter a Dei decreto. Sive enim decretum sit absolutum, sive sit conditionatum secundum naturam vel exigentiam futurorum, semper quoquo modo res sit futura vel absolute, vel conditionate, pendet ab illo Dei decreto, a quo solo futuritionem vel absolutam vel conditionatam habere potest. Nec eo recurrendum est ut admittatur pro conditionate futuris decretum, absolutum ex parte Dei & conditionatum ex parte objecti: inutile enim est in supposito id decretum absolutum ex parte Dei, illumque parum decet: inutile, cum non influat in effectum, ex eo quod res futura sub conditione esse præsens & actuale non sit habitura: parum decens, cum Deum dedeceat quod aliquod ejus absolutum decretum frustretur: frustraretur autem si absolute decerneret Deus illud quod non est futurum nisi conditionate, quodve non evenit ex eo quod ponenda minime sit conditio in qua fundatur rei hypotetica futuritio, ut fit manifestum ex laudato exemplo de conditionata conversione Tyriorum ac Sidoniorum.

Decretum illud in quo futura tum absoluta, tum conditionata dicuntur a Deo cognosci permultis videtur non posse dici antecedens, quia, inquiunt,

prius cognoscuntur ea ad quæ terminatur decretum, quam aliquid circa ea decernatur, cum circa rem prorsus ignotam nullum possit ferri decretum, & prius sit illam in se ipsa videri quam de illa a Deo quidquam determinari. Verum frustra hæc nobis opponerentur, nec ulla est difficultas si tollatur verborum æquivocatio. Deum prius cognoscere res in suis ideis, seu in sua essentia in qua omnia tum possibilia, tum futura intuetur, quam circa alias aliquid decernat, quis diffitetur? Non enim cæco impetu ducitur Deus, ut de incognitis quidquam statuat; sed nihil inde infertur contra decreta antecedentia. rem in se possibilem esse, nec illam ulla ex parte repugnare cognoscat Deus antequam ipsius decernat futuritionem necesse est. verum cum non de rerum possibilitate sed de illarum futuritione, vel de earum translatione ab esse possibili ad esse futurum, controversia moveatur, videndum utrum illa quæ possibilia esse jam supponuntur, & ut talia a Deo cernuntur, prius decernantur ab ipso futura quam ut talia cognoscantur; vel explicatius, an rerum futuritis sit causa decreti, aut decretum causa futuritionis. Cum igitur futuritio rerum a nemine cordato dici queat causa decreti divini illas ut futuras determinantis, hoc enim involvit contradictionem; evidens est Decretum sive absolutum, sive conditionatum res a statu possibilitatis ad statum futuritionis extrahens, esse veram causam futuritionis illarum, proindeque Decretum illas futuras constituens antecedere actum intellectus divini cognoscentis res ut futuras. quæ cum ita sint ut ratio dictat, Decreta in quibus futura tum absoluta, tum conditionata cognoscit Deus, Decreta sunt vere antecedentia. Non inde tamen inferas aliquod esse intervallum inter actum divinæ voluntatis rem futuram decernentis, & actum intellectus illam futuram cognoscentis: puerilis enim esset hujusmodi inductio, cum nihil in Deo successive eveniat, sed omnia in illo sint æterna, idemque sit in ipso velle & intelligere, nulla extante temporis prioritate. sed penes nostrum concipiendi modum se tenet illa veluti rerum successio, utpote qui ob facultatum nostrarum limitationem unico mentis actu varia objecta capere non possumus, sed illa successive intelligimus, & veluti essent in Deo pro diversis instantibus ea consideramus.

QUÆSTIO QUARTA.

Quotuplex in Deo admittenda sit scientia; & utrum detur media quædam scientia inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis.

SCientia Dei entitative simplicissima, ex diversa ratione objectorum circa quæ versatur, quæve illius sunt veluti terminus, multiplex vocari potest alia est speculativa, quæ in sui objecti contemplatione tota est, & per quam Deus res dumtaxat possibiles speculatur, ex oppositione ad eam quæ practica nominatur, ex eo quod futura respiciens tendit ad opus quæcumque factibilia producendo, & per eam omnia opera sua operatus est Dominus dum res universas condidit. alia est necessaria antecedens quodcumque Dei de-

decretum, Deum ipsum, resque simpliciter possibiles habens pro objecto, cum scientia libera quæ ab ea distinguitur, & versatur circa res contingentes vel existentes vel vere futuras, liberum divinæ voluntatis decretum supponat. alia vocatur scientia approbationis bonos respiciens & bona, ea probans & præcipiens, cui ex adverso correspondet scientia improbationis per quam videt Deus malos & mala quæ vetat & improbat. alia tandem est scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis. circa res mere possibiles sub hac ratione possibilitatis, abstrahendo a qualibet existentia, aut futuritione versatur prima, quæ omne Dei decretum antecedit. res vel existentes, vel aliquando futuras attingit altera, illas in quacumque temporis differentia existant contemplans tamquam præsentes; & hæc supponit decretum Dei absolutum, cum nihil existat, aut sit futurum, nisi dependenter a divina voluntate.

Quemadmodum inter duos rerum status, quorum unus est in esse possibili, alter in esse futuro, datur status alius intermedius, juxta quem res transeunt ab esse possibili necessario in esse futurum sub conditione, & liberum, ut jam ex abunde dictis constat, ita inter scientiam simplicis intelligentiæ quæ est de possibilibus & necessaria, scientiamque visionis quæ est de futuris & libera, mediam quamdam scientiam excogitavere nonnulli, quasi medium necessarium in quo Deus cognoscat liberas & contingentes Creaturarum rationabilium actiones posita tali vel tali conditione, videatque per mediam illam quam vocant scientiam, ad quid se determinatura sit creata voluntas in hac vel illa circumstantia, quidnamve sit actura hoc vel illo gratiæ dono adjuta, veluti per scientiam simplicis intelligentiæ scientiamque visionis ad hujusmodi cognitionem certo vel sufficienter Deus non duceretur. futura conditionata a Deo cognosci nemine ferme refragante superius ostendimus. de medio in quo cognoscuntur, non quidem necessaria, cum sint ex sua natura determinata, sed libera & contingentia, præsertim actus humani ad quos reducitur controversia propter eos instituta, dissident inter se Theologi.

Ratio cognoscendi bona opera conditionate futura in sententia veterum Pelagianorum, ut colligit ut ex Augustino, Prospero & Hilario, erat determinatio liberæ voluntatis humanæ valentis naturæ viribus bonum operari sine auxilio gratiæ, illudque sine ipsa operaturæ, si in eo statu conditionato poneretur. eratque hæc opinio illorum hæresis consequentia. cum enim vellent naturam propriis viribus relictam sibi sufficere ad recte vivendum, præcepta divina observanda, atque adeo ad salutem æternam consequendam, ac ita de facto honeste vivere, servare mandata, & consequi beatitudinem, consequenter affirmabant Deum cognovisse in statu conditionato quem admittebant, quid factura esset voluntas humana, si in his vel illis poneretur circumstantiis, ex nativæ suæ libertatis virtute absque gratiæ auxilio.

Molinæi sistematis defensores docent futura hæc conditionata a Deo cognosci præcisо quocumque ipsius decreto, in cooperatione humani arbitrii cum gratia in tali vel tali circumstantia congruenter ad auxilium indifferentis oblatum gratiæ constituti: hoc posito futurum conditionatum in se ipso, attenta congruitate, & connexione gratiæ indifferentis cum arbitrio hu-

humanæ voluntatis, nullo arbitrium antecedenter determinante decreto expectato cognoscit Deus. pugnat, inquiunt, cum humanæ voluntatis nativa libertate decretum illud antecedens: illud enim sequente operatione, quæ sublato Decreto non daretur, non a se, sed ab alio determinatur voluntas contra suam ingenitam libertatem. debet ergo ex ipsis ut libere operetur homo, cum illo sibi oblato indifferenti gratiæ auxilio sese ab intrinseco determinare arbitrium. quo posito efficacia divinæ gratiæ non a virtute ipsi intrinseca, sed a consensu voluntatis quem illa non operatur, est repetenda; sicque voluntas cum auxilio gratiæ oblato in his vel illis circumstantiis congruenti, sufficiens est ac totale operandi principium.

Juxta majorem Theologorum numerum qui Divi Augustini, Doctoris Angelici, & Doctoris Subtilis principiis religiose adhærent, scientia conditionata in Deo non sumitur ex ipsis objectis conditionatis, nec in ipsis fundatur ex virtute suæ cooperationis futuræ sub his vel illis circumstantiis, si in eis cum oblato gratiæ auxilio ponerentur, independenter a quolibet Dei decreto, sed nititur divino antecedenti decreto conditionato, ut in assertione præcedenti statuimus juxta Subtilis magistri vera principia. Hinc ratio videndi futuram operationem voluntatis in talibus circumstantiis positæ, liberæ, ac indeterminatæ ad operandum, non est ipsa voluntatis creatæ immediata determinatio indepedens a divino decreto, sed ipsum decretum, vi cujus, mediante gratiæ per se & ab intrinseco efficacis auxilio, libere, sed infallibiliter ad opus bonum determinabitur voluntas, salva semper & integra remanente ipsius libertate: adeoque ratio operandi est decretum antecedens, cui annexa est gratia efficax, operatio vero ex tali decreto est objectum scientiæ conditionatæ. voluntas posita in his vel illis circumstantiis, in quibus maneat indifferens cum sibi oblato auxilio indifferenti, nequit cognosci certò ac determinate operatura, nisi consequenter ad divinum decretum liberum, contingenter item & libere, antecedenter tamen illum determinans. sicuti res se habet in futuris absolutis, quæ nisi determinentur a Deo, & ponantur in statu futuro absoluto non possunt cognosci a Deo per scientiam visionis & absolutam. per decreta absoluta liberos absolutos actus prædefinientia nullomodo violari arbitrii libertatem ut cum Doctore Subtili ostendimus, concedunt etiam plures inter primarios Scholæ Molinisticæ auctores percelebres.

Per Decreta antecedentia in sensu mox exposito lædi humanam libertatem arbitratus Ludovicus Molina Jesuita, ea, ut e medio tolleret, quoddam scientiæ genus excogitavit, per quam Deus ante quodlibet Decretum ex parte sui videat quid creata voluntas ex propria determinatione boni vel mali virtute sua cum gratiæ versatilis quodam auxilio actura sit, si in tali vel tali circumstantia ponatur. Hanc autem scientiam quam mediam vocat, quamque a suo Magistro Petro Fonseca acceperat Molina necessariam volunt ipsius patroni, ut dirigatur divina voluntas in decernendo quid futurum sit absolute: nisi enim ei proponat intellectus hac scientia instructus, quid operatura sit, vel non operatura voluntas, non poterit Deus prudenter & fir-
mi-

miter decernere quid sit absolute futurum. Duabus de causis admittendam esse volunt hujusmodi scientiam: una est ut Deus prudenter ac certo provideat futura: altera ne per illud antecedens divinæ voluntatis Decretum penitus auferendum lædatur arbitrii libertas. unde a suis auctoribus fuit adinventa, ut Dei providentia in prædestinando, & hominum in operando ad prædestinationis & reprobationis effectum adstruerentur. illam mediam appellandam voluere, ex eo quod inter scientiam necessariam possibilium, & liberam futurorum versetur. & revera cum ultra necessariam, addat futuritionem conditionatam eorum possibilium, quæ intra illum præcisum possibilitatis statum sine ullo ad futuram existentiam ordine consistebant: nec tamen progreditur ad existentiam absolute futuram, quæ pertinet ad scientiam liberam: sicque hæc scientia, quam exploratricem non immerito diceremus, participat de necessaria antecedentiam ad Decretum absolutum: de libera, determinationem ad unam partem existentiæ, posita congruitate & opportunitate gratiæ sub illa conditione futuræ.

Modum certum conciliandi gratiæ efficaciam cum libertate arbitrii veteribus Scholasticis ignotum adinvenisse arbitratus Molina, librum suum de concordia, recenti sua doctrina, Divo Augustino prorsus aliena, ipso fatente, refertum in lucem edidit anno 1588. qui ingentium discordiarum inter Theologos deinde Seminarium extitit, potissimum inter Patres Dominicanos ex una parte, & Patres Jesuitas qui Molinę doctrinam aliquantulum a nonnullis mitigatam, suam fecere ex altera, ad quas compescendas impotentes fuere Clementis VIII. & Pauli V. conatus in famosis illis Congregationibus de auxiliis per longum temporis spatium hac de re habitis. gratiam quæ hominibus datur in statu præsenti, quæque est gratia Medicinæ, non distinguens Molina a gratia quæ data est Adamo innocenti, quæque erat gratia Sanitatis, voluit omnem gratiam esse versatilem, quæ cum creatam voluntatem non sibi subjiciat, sed ipsi famuletur, suam habet efficaciam ex liberæ voluntatis determinatione ac consensu, ab illa suum sortiendo effectum. ab hac doctrina recedens in quibusdam Suarez ejusdem instituti, quem multi sequuntur, gratiam in utroque statu admittit versatilem, sed illius efficaciam non a solo eventu repetit, hanc potius a quadam cum voluntatis dispositionibus aliisque circumstantiis congruentia repetendam existimans: unde vulgo congruistæ vocantur. a recenter inventa illa doctrina, quæ a quampluribus parum Catholica reputatur, de qua judicium ferant qui voluerint, penitus alieni Thomistæ, sicut & alii omnes Theologi, qui cum de gratia res est, Augustinum ducem sequi gloriantur, mediam scientiam uno ore rejiciunt, eamque e medio omnimodo tollendam validis ducti argumentis prædicant. in eo omnes consentiunt, quod decreta antecedentia & gratiam per se efficacem defendant, in eo dissentientes quod Thomistæ nullo apposito discrimine inter statum naturæ innocentis & statum naturæ lapsæ, hominem in utroque indigere ad bonum præstandum gratia nedum per se efficaci, sed etiam voluntatem physice præmoventi & operi eam applicanti contendant: alii vero utroque statu distincto velint homini innocenti & sano ac propenso ad bonum gratiam actualem versatilem libero voluntatis ejus arbitrio subjectam fuisse datam; homi-

mini vero post lapsum propensiori ad malum, & tardiori ad bonum necessariam esse gratiam ab intrinseco efficacem, quæ licet non physice sed moraliter tantum humanam præmoveat voluntatem, suum semper certo ac infallibiliter sortitur effectum. quoquo modo res se habuerit Adamo innocente, de scientia Dei pro præsenti naturæ lapsę statu de quo tota inter Theologos vertitur controversia, quęstionem movebimus, fusius de natura gratię alio tempore tractaturi, hic pręcise investigantes an in pręsenti statu sic Deus sua formet decreta circa hominum salutem & salvandorum electionem, sicque ipsis suam largiatur gratiam, ut per exploratricem quamdam scientiam prius dirigatur, ita cognosciturus quid ex voluntate sint acturi his aut illis muniti auxiliis, & in his aut illis positi circumstantiis. ad pleniorem discendorum intelligentiam his necessario pręmissis rem definiamus.

ASSERTIO UNICA.

Nulla in Deo inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis admittenda est Scientia media; estque in statu præsenti quoad opera supernaturalia, ut merum commentum, nulloque sufficienti nixa fundamento, quin potius omnimode, utcumque intelligatur, improbabili, a Scholis quibuslibet prorsus eliminanda.

CUm scientiæ, ut apud omnes tritum est, specificentur ab objectis, pro diverso objectorum genere diversa in Deo debet admitti scientia. duplex autem est dumtaxat respectu Dei diversum objectorum genus. siquidem ea omnia ad quæ divina scientia se extendit velut ad objectum ipsum specificans, sunt vel mere possibilia, & numquam extitura, vel præter possibilitatem sunt in ordine futurorum, & aliquando vere extitura. si nullum aliud esse præter possibile sunt habitura, pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ per quam a Deo ab æterno cognoscuntur. si autem habeant esse pro tempore vere futurum, per scientiam visionis cujus sunt objectum, ab æterno pariter cognoscuntur a Deo. nullo alio igitur stante medio cognoscendorum ordine, nulla inter utramque debet in Deo admitti scientia media. Neque enim futura de quibus disserimus conditionata, sive ponenda sit conditio, sive non sit ponenda, medium quoddam constituunt objectorum genus. conditione numquam ponenda, illa futura remanent semper in ordine possibilium, nec illum ullo modo prætergrediuntur: ponenda vero conditione, sunt respectu divini intellectus in ordine vere & absolute futurorum ideoque cognoscibilia quæcumque, ad scientiam vel simplicis intelligentiæ vel visionis pertineant tamquam necessarium & proprium ipsius objectum necesse est. frustraque inter existentia necessario & existentia contingenter, mediare in ratione rei cognoscibilis futura conditionate aliquis contenderet, cum rerum necessitas vel contingentia objectum specificativum scientiæ eas ut terminum attingentis nequaquam reputari queant, ut cuilibet serio attendenti fiet indubitatum.

Hac

Hac prima assertionis parte, quæ per se intelligitur, sufficienter firmata, ad secundæ in qua, vel impugnanda vel defendenda duobus fere ab hinc sæculis adeo desudatur, veritatem manifestandam properemus, ostensuri eam de scientia media doctrinam, quæ a Patribus Societatis, quorum sententiam plures alii sunt amplexi, quasi unanimiter propugnatur, esse quoad opera supernaturalia (de aliis parum solliciti) in statu præsenti naturæ prorsus a Scholis quibuslibet eliminandam ut merum commentum, illamque nullo sufficienti nixam fundamento, utcumque intelligatur, tamquam omnimode improbabilem esse rejiciendam. ut autem in argumentorum varietate inconfuse procedamus, unicuique momento ex iis quæ sumus ad rei elucidationem adducturi, adjiciemus quæ opponi solent, firmitatem asserti validius exinde manifestaturi.

I. *Ut Sacris Scripturis parum consona improbatur Scientia Media.*

IN præsenti naturæ lapsæ statu vere gratuitam esse salvandorum prædestinationem ad gloriam ex Sacris Scripturis demonstrari nullus est in canonicorum librorum lectione tantisper versatus qui nesciat. sic Christus apud Joannem cap. 15. Apostolos alloquitur. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* & Paulus Ephes. cap. 1. ait, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* & Epist. ad Titum cap. 3. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* inter alia plura quæ possent laudari Scripturæ verba, celebris est locus ille Apostoli Epist. ad Rom. cap. 9. ubi ostendit vocationem electorum non in eorum merita, sed in Dei beneplacitum esse refundendam. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ex iisdem Scripturis manifestum est gratiam per quam in præceptis Dei ambulamus opera justitiæ facientes, bonum sectamur a malo recedentes, esse per se & ab intrinseco efficacem, non autem reddi talem cooperatione liberi arbitrii, aut ex circumstantiis congruis, sed suavi quadam & potenti præmotione in nobis operari bonam voluntatem, dando ex sua nativa virtute posse, velle, & perficere. quod enim aliud indicant hæc verba Ezechielis cap. 36. *dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. & Spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* quomodo autem facit Deus ut faciamus, exponit in hunc locum Augustinus lib. de grat. & libero arbit. cap. 16. *præbendo*, inquit, *vires efficacissimas voluntati.* & quid sunt efficacissimæ illæ vires, nisi *ipsa gratia, quæ facit ut lex impleatur*, inquit ibid. cap. 14. cum ergo prædestinationem gratuitam tollat doctrina

ctrina scientiam mediam propugnans, illam in meritis humanis a Deo per hanc scientiam exploratis fundans; simulque gratiæ divinæ efficaciam repetat a consensu humanę voluntatis effectum ei pro arbitrio tribuentis: quod utrumque tenent Molinæi systematis defensores, jure merito tamquam Sacris Scripturis parum consona improbatur scientia media.

Duos percelebres Scripturę textus pro scientia media veluti ipsi apertissime faventes laudant illi quibus arridet novum illud systema. unus desumitur ex libro Sapientię in quo sic legitur cap. 4. *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. alter vero ex evangelio Mathęi cap. 11. dicente Christo, *væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. ex his colligunt Deum justo mortem acerbam prematture intulisse quia prævidebat eum si diutius vixisset in peccata gravia lapsurum & in impœnitentia moriturum; quod, inquiunt, cognovit Deus non in aliquo antecedenti suo decreto, sed in dispositionibus voluntatis justi illius, quem per scientiam suam exploratricem videbat in talibus aut talibus circumstantiis futurum, in quibus gratię auxiliis minime consensurus a justitia erat vere recessurus. conversio pariter Tyriorum & Sidoniorum juxta ipsos non cognoscebatur a Christo in absoluto & antecedenti decreto, sed in attemperatione auxiliorum cum prępar atione voluntatis eorum, qui in talibus positi fuissent circumstantiis ut Christo prędicanti credidissent, si apud eos factę fuissent virtutes quę apud Corozaitas & Bethsaiditas factæ sunt, consensum prębituri gratiæ quam inefficacem pro arbitrio isti non consentientes reddidere. remque sic necessario se habere volunt, ne frustranea atque etiam iniqua videatur increpatio Christi, Judęos ob incredulitatem & impœnitentiam objurgantis. legitima enim, inquiunt, fuisset Judęorum excusatio, qui in absolutum & antecedens Dei decretum, cui annexa fuisset collatio gratię effectum necessarium producentis, Tyriorum & Sidoniorum conversionem conditionate futuram refundere potuisset, cum pro ipsis Judęis non fuisset idem ex parte Dei decretum absolutum & antecedens, nec eadem gratia, effectum sibi necessario connexum habenti, fuissent adjuti. Siquidem ut justa ac seria reputari possit reprehensio unius præ alio, debet esse par ac eadem utriusque conditio, non dissimilia subministrari debent auxilia, sed æqualia sint uni & alteri præparata salutis media necessum est. cum ergo, inquiunt, Christi objurgatio in Judæos seria & justa non possit existimari, nisi supposita Dei prævisione, per viam scientiæ mediæ quid in his vel iis circumstantiis ii omnes essent cum auxiliis suæ voluntatis dispositionibus congruenter accommodatis operaturi intelligentis, hęc tamquam Scripturis Sacris consona debet admitti.

Verum quidquid fabulentur Scientiam mediam tuentes, ipsis minime favent hęc duo Scripturę testimonia, quę, si bene intelligantur, ostendunt potius conditionatorum scientiam in Deo esse ab antecedenti decreto dependentem. ac primo ad textum desumptum ex libro Sapientię quod spectat, per ipsum aperte constat prematuram mortem justi, de quo agitur, nullam

habere aliam causam quam antecedentem & absolutam simulque efficacem voluntatem Dei illum ad gloriam ab æterno nulla habita ratione meritorum prædestinantem, ad cujus decreti executionem rapitur priusquam intellectum ejus malitia mutet, aut illius animam fictio decipiat. & juxta hunc sensum hæc Scripturæ verba semper intelligit Augustinus, quem magisquam Molinæ sectatores audire juvant. Hinc justi hujus mortem in occulta Dei judicia secundum suæ voluntatis consilium cuncta disponentis esse refundendam asserit lib. de grat. & libero arbit. cap. 25. his verbis: *ad occulta Dei judicia revocate quando videtis in una causa, quam certe habent omnes parvuli, hæreditarium malum trahentes ex Adam, huic subveniri ut baptizetur, illi non subveniri ut in ipsa obligatione moriatur: illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus impium futurum: istum vero rapi ex hac vita ne malitia mutet intellectum ejus: & in istis nolite dare injustitiam, vel insipientiam Deo, apud quem justitiæ fons est & sapientiæ.* Idque contra eosdem Pelagianos rursus statuit Sanctus Doctor sic loquens lib. de correp. & grat. cap. 8. *Respondeant, si possunt, cur illos Deus cum fideliter & pie viverent, non tunc de hujus vitæ periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur. cur ergo non fecit? Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit. aut vero scriptura illa mentitur, quæ de morte veluti immatura hominis justi ait: raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus?* quis autem ex his Augustini verbis non intelligit ad absolutum & antecedens Dei decretum esse recurrendum, ut misericordiæ quam justo huic exhibuit, ratio vera inveniatur? quid enim aliud innuunt occulta Dei judicia per quæ electis seu vocatis secundum propositum efficaciter providetur, quam absolutam divinę voluntatis determinationem ipsis ex antecedenti decreto media efficacia ad salutem misericorditer præparantem?

Nec ullo modo verum est in sententia, Sancti Doctoris Deum rapuisse justum quia præsciebat eum, si viveret, in peccata lapsurum, ratione circumstantiarum in quibus positus ex voluntatis suæ dispositionibus, cassum & inefficax gratiæ auxilium reddidisset. peccata illius neque divinæ gratiæ inefficacitatem nec absolute, nec conditionate Deum præscivisse asserit Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 14. sic loquens: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Id autem sic evenisse ut tentationum hujus vitę periculis subtraheretur, ex absoluto divinę voluntatis decreto scientiam conditionatam antecedente, insinuat Hipponensis hæc addens. *Sed quare aliis concedatur, ut ex*

 hujus

hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur; alii vero justi donec a justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; quis cognovit sensum Domini? ex quibus intelligitur Deum id solum præscisse certo & infallibiliter, quod erat futurum absolute, nempe justum esse rapiendum ex hac vita periculosa peccatis obnoxia; lapsum vero ejus si diutius vixisset, nullo modo præscivisse: futura enim conditionata quæ non sunt connexa cum decreto Dei absoluto, nullam habent veritatem determinatam; unde illorum cognitio reducitur ad scientiam possibilium, quæ ex ordine possibilitatis minime educta, futurorum etiam sub conditione ordini non accensentur, ideoque ut futura non possunt a Deo præsciri, ex eo quod dato quod præscirentur, falleretur Dei præscientia, quod nequidem potest excogitari.

Quę de Tyriis & Sidoniis, quos apud Mathæum & Lucam affirmat Christus fuisse credituros, quosve certo & constanter asserit Augustinus pœnituros, si facta apud judęos signa suo tempore apud se fieri vidissent, pro defensione Scientiæ mediæ afferunt adversarii, minime ipsis favent. nihil enim juvat recurrere ad congruitatem circumstantiarum ac dispositionum eorum voluntatis cum auxiliis gratiæ, quam ipsi cooperando ex virtute liberi arbitrii efficacem reddidissent, quam inefficacem fecerunt judæi non cooperantes, si in illorum civitatibus prædicasset Christus, signa & virtutes operans apud illos: vana prorsus est hujusmodi expositio, quæ nedum difficultatem non solvit, sed potius auget. siquidem eo redit illa quæstio quam lib. de dono perseverantiæ cap. 9. sibi proposuerat Sanctus Augustinus, *cur apud eos tanta miracula facta sint qui videntes ea non fuerant credituri, & apud eos facta non sint qui crederent si viderent?* quam quæstionem ut solvat, ad absoluta & antecedentia divinæ voluntatis decreta semper confugit, dum ad altiora & occulta Dei judicia circa hominum prædestinationem id pertinere affirmat, postquam enim dixit Christum prædicari noluisse Evangelium prioribus sæculis infidelibus quibus erat plenus orbis terrarum, quia eos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat, subjungit, *Hæc certe de Tyro & Sidone non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis: hæc divina judicia pertinere.* quod expressius adhuc declarat rem indubitanter definiens. *facile est quippe*, inquit ibid. *ut infidelitatem accusemus judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt, quod & Dominus increpans arguit, & dicit, væ tibi Corozain... sed numquid possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?* infidelitatem judæorum, sicut & non factas virtutes apud Tyrios & Sidonios ad occultum divinæ prædestinationis mysterium, tamquam ad veram rationem refert Sanctus Doctor cap. 14. sic loquens. *in massa perditionis relicti sunt Tyrii & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveatur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba,* vel

vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore judicio, a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent. in eadem perditionis massa relicti sunt etiam judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Evangelium dicens, " cum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt „ in eum, ut sermo Isaię Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, „ quis credidit auditui nostro. & brachium Domini cui revelatum est? & „ ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaias. excæcavit oculos eo„ rum, & induravit cor illorum, ut non videant oculis, nec intelligant „ corde & convertantur, & sanem illos. " Joan. cap. 12. *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum: quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ; nec istis obfuisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* ex his Augustini verbis manifestum est non fuisse prævisos credituros in Christum Tyrios & Sidonios nisi essent prædestinati: & nihil ipsis profuit illa congruitas, illudque naturale intelligentiæ munus conditionate prævisum. Hæc igitur ad divina judicia cum Hipponensi ex doctrina Apostoli sunt revocanda: indeque deducitur conversionem tum judæorum, tum Tyriorum & Sidoniorum in ordine rerum possibilium remansisse, non verò in ordine futurorum extitisse, cum nullum circa eos fuisset antecedens divinæ voluntatis decretum in quo præsciri posset illorum conditionate futura conversio, quæ non erat aliquando futura absolute.

Præterea laudati illi duo Scripturæ textus, si invicem conferantur & expendantur, Scientiæ mediæ adversantur. utrobique ponitur scientia de conditionatis, tam quoad justum morte prematura raptum, quam quoad Tyrios & Sidonios. in rapto prævidentur demerita conditionate futura, si diutius vixisset. in Tyriis & Sidoniis merita futura sub conditione, si audirent & viderent. in systemate Scientiæ mediæ voluntas divina electura erat Tyrios & Sidonios quos previdebat merituros; rejectura vero erat raptum qui prævidebatur demeriturus: contra autem est apud Scripturam; raptus eligitur, Tyrii & Sidonii rejiciuntur. explodendum ergo est illud systema. Scientia media excogitata est ad dirigendam voluntatem divinam, ut secundum illam operans eligat congruos & rejiciat incongruos: non obtinetur tamen ille finis: etenim congrui prævisi per Scientiam mediam Tyrii & Sidonii rejiciuntur: incongrui qualis est justus raptus, eliguntur. non consonat ergo Scripturæ Sacræ Scientia media.

Quod spectat ad æquitatem increpationis Christi judęos prę Tyriis objurgantis, nemo est, qui non videat etiam stante Scientia media eamdem excusationem habituros esse judęos de incredulitate sua, quia positi non essent in talibus circumstantiis in quibus per illam scientiam previdebantur a Deo pœnitentiam acturi, cum e contra in opportunis illis circumstantiis ad pœnitentiam agen-

agendam Tyrii fuissent, ex hypotesi quod apud ipsos factę fuissent virtutes, quę apud judæos factę sunt. unde utrobique eadem remanet difficultas; nec umquam vana aut derisoria, sed justa semper & legitima reperitur Christi objurgatio: in culpa enim judæorum est quod salutis mediis usi non sint Christi doctrinæ ac miraculis non credentes; quę doctrina ipsis nuntiata fuerat, & apud ipsos facta erant illa miracula, ut in Christum credentes converterentur. verum semper est, conversionem judæorum, sicut & conversionem Tyriorum & Sidoniorum, si aliquando futura vere extitisset, non in congruitate sive auxiliorum, sive circumstantiarum, sive dispositionum voluntatis, quę per scientiam mediam Deum movissent ad illos eligendos, fuisse cognoscendam, sed in determinatione divinæ voluntatis, quæ in hypotesi illorum conversionis aliquando absolute futuræ, ipsis contulisset auxilium efficax hunc conversionem infallibiliter operaturam. consequenter ad absolutum aliquod decretum, ut non obscure insinuant ea quę ex Divo Augustino mox retulimus; idque propter rationes in præcedentibus adductas quia nihil potest esse futurum absolute vel conditionate, nisi dependenter a decreto Dei conditionato vel absoluto.

II. *Ut prorsus aliena a doctrina S. Augustini, imo & ab ipso repudiata, improbatur Scientia media.* -

CUm in iis quæ ad hominum prædestinationem ex parte Dei & ad auxilia divinæ gratiæ spectant, maxima sit Sancti istius Doctoris auctoritas in ecclesia, quæ suam doctrinam in illius scriptis constanter agnovit, quique ad vindicandam adversus Pelagianos & Semipelagianos mysteriorum prædestinationis & gratię profunditatem fuit a Deo eorum tempore datus, magnum systemati scientiæ medię detrimentum accedit quod scientia illa doctrinæ ipsius contraria ostendatur, & ab eodem prorsus improbata. sufficiens ad eorum quæ hic ostendenda suscipimus manifestationem, argumentum esset Molinę istius scientiæ pene auctoris testimonium, cum in sua concordia fateatur quę. 23. art. 4. disp. 1. memb. ult. eam fuisse Augustino ignotam, licet deinceps eam se in patribus, atque etiam apud Augustinum invenisse dixerit. estque manifestum adeo sententiæ hujus Sancti Ecclesiæ Patris oppositam esse doctrinam Scientię mediæ, ut illud tamquam omnino certum dixerit Cardinalis Bellarminus tom. 4. controversiarum, contr. 3. generali, lib. 1. de grat. & libero arbit. cap. 22. ubi postquam retulit opinionem eorum, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum; & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur, & asseruit juxta illos auctores (de propugnantibus Scientiam mediam loquitur) in potestate hominis esse, ut gratiam faciat efficacem, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens, sic concludit. " Hæc opinio aliena omnino est a sententia B. „ Augustini, & quantum ego existimo a sententia etiam Scripturarum divina„ rum. Nam S. Augustinus lib. de prędest. sanct. cap. 8. dicit gratiam ef-
„ fica-

„ ficacem videlicet a nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit. ubi vi-
„ des efficaciam tribui gratiæ, non voluntati humanę. " Quam Augustini doctrinam, suamque simul probat Bellarminus variis Sacræ Scripturæ locis, & subjungit Molinæ sententiam prorsus improbans: " Denique hæc opinio
„ evertit omnino fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus
„ ex divinis litteris solidissime comprobavit. inde enim pendet certitudo,
„ atque infallibilitas prædestinationis, quod electis Deus efficacem gratiam
„ præparavit. " Ne autem Bellarminum, nosque hujus Sancti Doctoris mentem non fuisse assecutos aliquis inepte pronunciet, rem maturius perpendamus Augustinum diligentius pervolventes.

Totam rationem prædestinatos a non prædestinatis discernendi poni in prævisis hominum futuris operibus bonis & defensoribus Scientiæ mediæ, per quam videns Deus quid in talibus circumstantiis facturi essent vocati, juxta eorum correspondentiam veniendi & cooperandi, & ex opposito ob non correspondentiam & non cooperationem multorum, illos præ istis eligit, ac prædestinat per subsequens decretum, omnibus notum est. ab Augustino autem electorum a non electis discretionem poni in libera & gratuita voluntate Dei miserentis, vocantis, prævenientis, atque trahentis, ita ut propositum voluntatis divinæ prædestinantis & vocantis antecedat quemcumque humanæ libertatis usum, nemo ignorat, nisi Sancti Doctoris lectioni omnimode insuetus. Hunc ergo pluribus in locis hac de re loquentem audiamus, statimque ipsius cum doctrina Scientiam mediam e diametro pugnare cuilibet innotescet. contra Pelagianos arbitrantes electionem quorumdam eorum merita præcedentem personarum acceptionem in Deo arguere, hæc scribit epist. 194. ad Sixtum presbyterum Romanum, & postea Pontificem, cap. 2. *quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit: parum attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata.* quibus verbis ostendi Hipponensis in quorumdam ab aliis discretione elucere simul occultam Dei justitiam quæ illum punit, & magnam ejus misericordiam quæ hunc liberat, demonstrans iram in vasa quæ sunt in perditionem: & notas faciens divitias gloriæ suę in vasa misericordiæ, ut loquitur Apostolus. Deinde subdit: *quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunæ; sed altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans, o altitudo, &c.* Nullum ibi humanę libertatis usum commemorat Augustinus, prædestinationem electorum in antecedenti divinæ voluntatis proposito reponens.

Nec autem hanc electionem in pręscientiam futurorum quodam modo re-

fun-

fundendi ansam etiam levissimam Pelagianis relinquat, illorum occurrit objectionibus hec addens cap. 3. Num. 12. *& ne quisquam existimaret credentes sic ad ejus præscientiam pertinere, quomodo non credentes, id est ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodo voluntas eorum prænosceretur, mox adjecit atque ait, & dicebat* (Christus) *propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo.* Pelagianos deinde urgens quodcumque eis effugium occludit, & prosequitur his verbis cap. 7. Num. 31. *verum isti, qui personarum acceptorem fieri existimant Deum, si una eademque causa super alios veniat Misericordia ejus, super alios vero maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt.... quam quæso allaturi sunt causam quod alius sic gubernatur ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium prius quam ab eis baptizandus offeratur, expirat? An hoc fato vel fortunæ daturi sunt?....* (Num 32.) *quid hic dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? quæ tandem hic merita præcesserunt? Si eorumdem cogitaverit parvulorum, nulla sunt propria, utrisque est illa massa communis.* multis hic interpositis parvulos istos nihil meritos vel demeritos fuisse ostendentibus, ut unus eligeretur altero derelicto, fortius illos premit Sanctus Doctor eorumque futile effugium irridet cap. 8. *qui sunt isti qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccæ habenti geminos ex uno concubitu Isaac patris nostri cum, illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipse non invenit; non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori serviturum esse majorem..... quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? & quid oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam quam bonam ipse fecerat. Mirum est autem cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat quia eorum futura opera prævidebat. quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam, sicut isti putant, verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipsa sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris, quid ergo dicemus, inquit, numquid iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt, futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. cum enim dixisset, absit ut iniquitas sit apud Deum... Moysi enim dicit, inquit, miserebor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. ubi nunc merita, ubi opera, vel præterita vel futura tamquam liberi arbitrii viribus adimpleta vel adimplen-*

plenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ, hoc est veræ gratiæ, commendatione sententiam? Nonne stultam fecit Deus hæreticorum sapientiam? hæc audiant, hæc legant, hæc meditentur qui Scientiam mediam propugnant, seque ab Augustini doctrina prorsus alienos agnoscant. alia quædam ejusdem Doctoris adjiciamus testimonia ex innumeris quæ laudari possent, ut quam proposuimus sententiam, veram & constantem esse ipsius doctrinam plene intelligatur.

Egregia sunt quæ habet lib. 14. de civit. cap. 26. *omnipotenti Deo*, inquit, *Summo ac summe bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori & remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in sua sapientia prædestinatum etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret; non eos jam meritis, quando quidem universa massa tamquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens; & liberatis non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur, ostendens*. Non ex usu præviso libertatis, sed ex gratuito liberantis beneficio provenit liberatio. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. *cum secundum Dei propositum vocatur alius, alius non vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum*. & infra compellans Pelagianos ait: *profecto desipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante dictum est; vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti, non ex operibus: quasi non posset dicere, non ex præsentibus, sed futuris operibus: sed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret*. & ejusdem libri cap. 10. de Pelagianis quos impugnat loquens ait: *putant fortasse ita dixisse Apostolum: scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt, ut propositum hominis vellet intelligi, quod propositum tamquam bonum meritum sequatur misericordia vocantis Dei: ignorantes ideo dictum esse, qui secundum propositum vocati sunt, ut Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eo quos præscivit & prædestinavit conformes Imaginis Filii sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundum propositum sunt vocati: quoniam multi vocati, pauci electi. ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mundi*. quis non videt in cunctis Augustini textibus totam electionis rationem ad Dei propositum antecedens quamlibet operum prævisionem revocari?

Omnem bonæ voluntatis in homine præparationem quam in illa præscit Deus, esse ipsius Dei beneficium, hanc bonam voluntatem operantis per efficacem suam gratiam, ideoque humanam voluntatem de se non præsciri congruam, sed ex Dei voluntate & proposito præparatam fieri & congruam ostendens lib. 4. cap. 6. Sanctus Doctor, nullum omnino Scientiæ mediæ relinquit locum, quæ voluntates hominum supponit aptas, flexibiles, & congruas ad gratiam recipiendam; illas e contra reluctantes ponit Augustinus, proindeque a congruis ac preparatis longe diversas; & illas docet juvari & con-

converti a Domino pro sua misericordia. *quomodo est hominis bonum propositum*, inquit, *sine miserante prius Domino, cum ipsa sit bona voluntas quæ præparatur a Domino?... reluctanti enim prius auditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante studium virtutis accenditur. verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum.* Deinde quærentibus Pelagianis quare alios eligat Deus, alios vero derelinquat, ipsis ut sæpius fecerat respondet per hæc Apostoli verba, *o homo tu quis es, ut respondeas Deo?... quis enim cognovit sensum Domini?.. aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* postea subdit Sanctus Doctor, *non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo jam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, ut retribuatur eis; priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut sit gratia retribuenda pro præmio... Cur autem iste accipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, & quisquis eorum acceperit, indebite accipiat, vires suas metiantur, & fortiora se non scrutentur.* Libri omnes adversus Pelagianos vel Semipelagianos ab Augustino scripti abundant Sententiis Scientiam mediam funditus evertentibus, utpote quæ gratiam per se efficacem & prędestinationem antecedentem cujuscumque meriti pręvisionem statuentibus, a quibus omnimode recedit scientia media.

Verum contendunt Scientiæ mediæ defensores se cum Augustino minime pugnare, illum potuisse habere patronum gloriantur, ex eo quod vocationem congruam ille admittat, & rationem propositi in quo est electio & prædestinatio, reponat in præscientia ejus qui crediturus est, ac secuturus vocationem; quæ præscientia conditionata est juxta Augustinum, inquiunt, & antecedit propositum seu decretum Dei prędestinantis. unde ut a se repellant hanc quam ostendimus scientię medię systema habere cum Augustini doctrina oppositionem, nonnulla afferunt ex illo Sancto Doctore specie tenus sibi faventia, quę si contra ipsos solverimus, quod susceperamus ostendendum magis ac magis confirmabitur.

Opponunt 1. convincens & efficax ut arbitrantur, testimonium rem totam continens, desumptum ex libro primo ad Simplicianum, quæst. 2. Augustino sic loquente. *Si vocatio ista, ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit, multi vocati, pauci electi? quod si verum est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut non obtemperet in ejus est positum voluntate, recte etiam dici potest. igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit, multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & illud non minus verum sit, igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem? ad alios autem vocatio quidem pervenit: sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: & non jam simi-*

similiter verum est, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut ille frustra misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo multi vocati, pauci electi. illi enim electi, qui congruenter vocati. illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. item verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etiamsi multos vocet eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. falsum est autem si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, si eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Nonne, inquiunt, mediftæ, hæc Sancti Augustini verba manifestant ipsum voluisse in congruitate vocationis quæ præscientiam attemperationis mediorum cum voluntate eorum qui vocantur supponit, fundari electorum prædestinationem, ad quam non pertinent reprobi, qui hac vocatione congrua non sunt vocati. quod confirmatur ex iis quæ sequuntur, ubi postquam quæstionem sibi proposuit his verbis; *hic dicet aliquis, cur ergo Esau non sic est vocatus ut vellet obedire?* nonnullis interjectis exemplis subjungit: *quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? . . . . quis dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam Omnipotenti defuisse?* Cum igitur eo loci tota ratio eligendi unum præ alio sit congruitas vocationis voluntati prædestinati accommodatæ, sententia scientiam mediam propugnans non est doctrinæ Divi Augustini contraria.

Resp. Inter ea quæ suo systemati de scientia media apud Augustinum sibi favere arbitrantur congruistæ & Molinistæ, mox laudatum testimonium proferunt, velut omnia adversariorum tela insuperabiliter retundens, non advertentes se valde allucinari, cum eadem arma quæ victricia ab ipsis reputantur, in ipsos efficaciter vertantur. enimvero circa Sancti Doctoris mentem in iis quæ ad Simplicianum scribit errore non remittendo labuntur, pro ipsa Augustini Sententia habentes, ea quæ ex aliorum loquebatur opinione, mox ab ipso viriliter confutanda. quod ut ostendamus advertendum est, ut optime observavit doctissimus Macedo noster, in Sancti Doctoris Operum lectione versatissimus, Augustinum in prima hujus quæstionis parte, ab his verbis, *unde occurrit animo quærere, cur dixerit, ut secundum electionem propositum Dei maneret?* Disputantem de prædestinatione, & difficiles humano intellectui quæstiones moventem, partes agere liberi arbitrii, pro gratia pugnaturum in secunda ejusdem quæstionis parte, ab illis verbis, *sed quid hoc quærimus? cum ipse subjungat Apostolus.* Cum naturalis ratio, vel potius humana superbia, gratuitam prædestinationem ab omni meritorum prævisione independentem non facile intelligat, multaque sint Scripturæ testimonia electionem ex pura Dei misericordia comprobantia, quærit Augustinus, cur ad Esau non pervenerit ea misericordia, quæ ad illum perveniente salvaretur,

tur, ficuti Jacob a Deo dilectus; tuncque ad vocationem recurrens, & hunc locum Matthaei, *multi vocati*, *pauci electi*, exponens, varios vocandi modos inquirit, juxta quos varie accipit illam Sententiam', *igitur non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei* : & quisnam fit verus illorum verborum fenfus explorat.

Hinc pro arbitrio humano veluti certans Sanctus Doctor, congruas illas vocationes accommodatas arbitrio eorum qui a Deo vocabuntur quomodo eis erat aptum ut vocarentur, commemorat, & difcretionem inter eos qui vocati obediunt, & eos qui vocati non obediunt, repetit ex eo quod licet uno modo vocati, cum diverfimode fint affecti, illi vocationem fequantur, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, alii non fequantur quia apti non erant & idonei dum fuere vocati; indeque tota ratio difcernendi erat horum cooperatio. Hæc ex propria fententia minime proponens in illa quæftionis hujus parte prima Auguftinus, caufam agit liberi arbitrii, in qua ratio divinæ electionis nititur voluntate humana, ex cujus obedientia, aut inobedientia fumitur difcretio, explorante Deo & expectante quid vocatus fit acturus, ut eligatur vel relinquatur: quo pofito aptitudo & idoneitas ad veniendum vocationi confentiendo, non eft præcedentis electionis effectus, fed electionem antecedit, cum illi eligantur ex prævifione meritorum, nempe ob obedientiam dum vocati fequuntur. His omnibus in gratiam liberi arbitrii ab Auguftino difputante propofitis argumentis, quæ cum profundiffimo prædeftinationis antecedentis myfterio, ac libera Dei & omnino gratuita electione non concordant, decepti, qui adverfus gratuitam Dei mifericordiam erga fuos electos pro humanæ voluntatis arbitrio veluti armati adhuc decertant, a veteribus divinæ gratiæ hoftibus non longe fatis recedentes, commentitiæ fuæ fcientiæ mediæ fufficientia reperire arbitrantur fundamenta in illo ad Simplicianum libro, ab hallucinatione fua certiffime revocandi, fi Auguftinum in fecunda ejufdem quæftionis parte pro divina gratia efficaciter pugnantem, quæcumque in prima propofuerat in favorem liberi arbitrii ex aliena opinione, funditus evertere advertiffent.

In hac autem fecunda parte omnem meriti prævifionem in electione removet, illam prorfus gratuitam & ex fola Dei miferentis gratia proficifcentem oftendens: idque non curfim aut incidenter, fed data opera & a primis iftis verbis, *fed quid hoc quærimus?* ad finem ufque libri, ex propria fententia loquens, non aliam divinæ prædeftinationis caufam agnofcit, quam liberam & abfolutam Dei voluntatem, cui nemo refiftit, & juxta cujus beneplacitum quorumdam miferetur, nulla diftinctione meritorum; infcrutabilia ipfius judicia, viafque ejus inveftigabiles cum Apoftolo admiratur, nullam affirmans in Deo effe injuftitiam, quod mifereatur cujus vult, & induret quem vult: quodque fixum atque immobile effe vult in mente fobria pietate atque ftabili in fide. eorum vero, quibus probata fatis non apparerent hæc Dei judicia, pro nutu fuæ voluntatis unum ab alio difcernentis, occurrens quæftioni Sanctus Doctor, refpondet cum eodem Apoftolo, *O homo, tu quis es qui refpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui fe finxit*,

quare

quare me fecisti sic? aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? quibus verbis Pauli retunditur, inquit, hujus impudentia quæstionis. & ne ambigatur de ipsius mente circa gratuitatem omnimodam divinæ electionis a qua omnem antecedentis meriti radicem præcidit, ut nonnisi in Domino gloriari possit qui gloriatur, exemplum conversionis ejusdem Apostoli adducit, sicut superius attulerat exemplum Pharaonis, ut ostendat verum esse quod ait Paulus: *ergo cujus vult miseretur & quem vult obdurat*. & postquam plura in confirmationem suæ sententiæ disseruit, facturus dicendi finem resumit sic loquens: *& tamen quid dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum exigentem a quo placet, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. Numquid iniquitas est apud Deum? absit. quare tamen huic ita, & huic non ita? O homo, tu quis es? Debitum si non reddis, habes quod gratuleris: Si reddis, non habes quod queraris. credamus tantum etsi capere non valemus*. & ea omnia quæ loquitur eo loci Augustinus in favorem gratuitæ prædestinationis efficacia adeo reputavit, ut cuncta quæ pro libero humanæ voluntatis arbitrio disputaverat parte præcedenti, nulla, vel potius inania judicaverit, per eum vincente Dei gratia.

Nec id a nobis pro arbitrio excogitatum quis existimet, proindeque ex illo ad Simplicianum libro efficaciter argumentari defensores scientiæ mediæ, divinam vocatorum electionem ex usu prævisο bene operaturæ voluntatis statuentes: hunc enim solvendæ adversariorum oppositionis modum ex illorum hallucinatione ipse Augustinus nobis subministravit lib. 2. retract. cap. 1. ubi commemorans suos libros ad Simplicianum, meminit secundæ istius quæstionis juxta expositionem mox a nobis datam, his verbis. *in cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia: nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus, quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit dicens, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* ubi notanda sunt, hæc verba, *laboratum est pro libero arbitrio voluntatis humanæ*: quidquid ipsi favere poterat ut in illud quadamtenus refunderetur vocatorum electio, fundata in prævisione cooperationis humanæ voluntatis pro nutu vocationi divinæ consentientis vel non consentientis, adduxerat Sanctus Doctor in prima quæstionis hujus parte, ad quam referuntur laudata verba, per quæ non obscure insinuat se contra propriam sententiam fuisse locutum, & ideo multum in disputando laborasse: sed vanum & irritum ejus laborem reddidit Dei gratia, qua adjuvante, gratuitam prædestinationem fundatam in absoluto divinæ voluntatis Decreto, ejusque proposito antecedenti omnem nostrorum meritorum prævisionem, ex Doctrina Apostoli defendens juxta proprium sensum, victoriam reportavit de iis quæ ex aliena opinione certans dixerat; idque vere significant hæc alia ejus verba, *sed vicit Dei gratia*: quæ ad secundam quæstionis partem spectant ut merito observavimus. quibus attente in legendo & relegendo illo ad Simplicia-

cianum libro perpensis ad nihilum redigitur defensorum scientiæ mediæ oppositio, cui certissime nullas addunt vires, qui ad eam solvendam distingunt inter electionem consequentem & antecedentem; inter prædestinationem ad gloriam & prædestinationem ad gratiam, ambigentes & incerti, de qua loquatur ibi Augustinus: quæ licet distinctio sæpe admittenda & certa, locum tamen non habet in laudato testimonio, utpote cum textum, vel potius quæstionem ex Apostolo tractans ibi Sanctus Doctor, diserte loquitur de prædestinatione ad gloriam, quam vult absolute esse ex gratuita misericordia, nullum habente respectum ad merita hominum quorum prævisionem antecedit, ut attente meditanti cuique, & totum Augustini ratiocinium ponderanti fiet compertum.

Idque eo facilius, si noverint quanti fecerit ipse Augustinus judicium quod illo duce mox tulimus, ad illud se remittens, & locum istum secundi libri retractationum producens lib. de prædest. Sanct. cap. 4. & lib. de dono persever. cap. 21. adducens eumdem primum librum ad Simplicianum quæst. 2. & dicens nihil ibi remansisse quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & consequenter elucere, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam nonnisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam. Hanc autem prædestinationem, quam comitatur illa usque in finem perseverantia, quæque vera est Sanctorum prædestinatio, esse in constanti Augustini doctrina independentem a meritorum prævisione, illamque omnimode antecedere, sumus infra ostensuri, de illa sectione sequenti ex professo tractaturi, hanc ut certam pro nunc supponentes, medistis & congruistis hic relinquentes examinare quanti valeat præsens eorum oppositio, & quo jure totum suum esse Augustinum in præsentibus valeant fidenter affirmare.

Opponunt 2. Exponens Sanctus Doctor quamplures propositiones ex Epistola ad Romanos num. 55. super hæc verba Apostoli cap. 8. *quos vocavit, ipsos & justificavit*, hæc habet: *non omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt: hoc enim propositum ad præscientiam & ad prædestinationem Dei pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & secuturum vocationem suam, quos & electos dicit*. unde legitime concluditur præscientiam esse causam prædestinationis, quæ cooperationem vocati ejusque merita præsupponit in doctrina Augustini.

Resp. Illud nobis opponere testimonium quid juvat adversarios, quod nullius in re de qua agitur esse ponderis, si Augustinum norint, non possunt ignorare? enim vero illam verborum Pauli expositionem quæ Pelagianorum errorem sapit, a quo non erat dum hanc scriberet totaliter alienus, emendasse & retractasse Sanctum Doctorem cui non est compertum? si ut minus recta, & fidei catholicæ parum consona correcta hæc sunt, tamquam dicta a presbytero de gratiæ Christi mysteriis insufficienter adhuc instructo, quomodo possunt laudari velut in nos militantia? ipse ergo pro nobis respondeat Augustinus, illumque hujusmodi delumbantem cavillationes medistæ ac congruistæ cernentes operiantur confusione sua. *Disputans quid elegerit Deus* in

in nondum nato, cui dixit serviturum esse majorem .....' ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem, non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est: sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præscivit ipsum elegerit cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsiveram, nec adbuc inveneram qualis sit electio gratiæ .... quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedat, & infra: *sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ sit secundum propositum Dei: non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantum electorum .... quamvis minus diligenter ibi de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractaverim.* Hæc ille lib. 1. retract. cap. 23. cujus initium capitis est: *Cum presbyter adhuc essem, contigit ut apud carthaginem inter nos qui simul eramus, ad Romanos Apostoli Epistola legeretur: & quædam interrogabar a fratribus: quibus cum sicut poteram, responderem, &c.*

Opponunt 3. Sanctus Augustinus lib. 83. quæst. 68. indicat discretionem quorumdam ab aliis quæ fit a Deo per electionem, niti meritis humani arbitrii antecedenter prævisis per scientiam conditionatam, merita occultissima invenientem in discernendis & prædestinandis: sic enim habet num 4. *prorsus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest. venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sint obtusione* & num. 5. *sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit .... vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur.*

Resp. Licet dici posset eo loci nullam de præscientia fieri mentionem, cum tamen a defensoribus scientiæ mediæ ab Augustino illam supponi judicetur, de ea litem hic non movebimus, alio modo soluturi difficultatem eo graviorem, quo ab ejus communi doctrina de discretione prædestinatorum a reprobis in massa damnata existentibus magis distare videtur. dicendum ergo loco mox laudato merita illa quæ commemorantur non præcedere prædestinationem veluti ipsius aliqua ex parte causam, sed illam subsequi tamquam ipsius effectum. unde advertendum merita hæc occultissima, quibus justificantur in executione & salvantur qui justificati sunt, fuisse illis a Deo per prædestinationem in intentione præparata. eodem enim tempore quo ad gloriam nonnullos ex massa damnationis per electionem separat nulla habita ratione futurorum meritorum, illos prædestinat ad gratiam per quam illis in intentione præparat futura merita in tempore executioni mandanda. Siquidem quantumvis gratuita sit ex parte Dei Sanctorum prædestinatio, quam juxta infra dicenda supponimus ex absoluto & antecedenti divinæ voluntatis decreto, ut jam satis insinuant quæ huc usque diximus, tamen istius gratuitæ electionis fructum non consequentur, vel effectum non obtinebunt electi, nisi merita ex eorum parte accesserint. præparantur autem iis hæc merita in intentione Dei per decretum ejus absolutum vel conditionatum juxta exigentiam, de illis danda gratia efficaci eorum merita per se operatura, præben-

bendo vires, ut loquitur Augustinus, efficacissimas voluntati. per illa merita sic præparata quę sunt bona miserentis Dei qui subvenit, cum bonum velle operatur. in nobis, peccatores nondum justificati efficiuntur digni justificatione; & justificati recte vivunt ut æternam salutem consequantur. illam merendo per bona opera quæ faciunt; idque non ex ipsis tamquam ex ipsis, sed ex Dei gratia quæ illis subministratur consequenter ad vocantem misericordiam: atque ex illis occultissimis meritis misericorditer a Deo destinatis oritur diversitas illa quæ est inter peccatores, qui cum omnes fuerint in massa damnata æqualiter peccatores, alii ab illa separantur sine ullis bonis meritis, adepturi in tempore merita ipsis præparata; alii non separantur, & male vivunt, a Deo recedentes per peccata; quæ sunt in illis id quod præcedit quo digni sint obtusione. sicque semper verum est, quod Deus, cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. nihil igitur in illo Augustini testimonio quod pertineat ad quęstionem de pręvisione meritorum ante decretum prędestinationis, neque de prȩscientia conditionata media; unde parum est ad propositum. Nec ad solutionem propositæ difficultatis dici potest Augustinum retractasse quæ jam scripserat, cum in iis nihil videatur retractandum, & cohæreant cum constanti ipsius doctrina de gratia & prædestinatione gratuita, ut in 1. dist. 41. optime observat Doctor subtilis, recedens a sententia Magistri stantis prograt is excogitata illa retractatione, cujus nullum apud Hipponensem invenitur vestigium, licet alia quędam retractet de eadem hac quæstione 68. lib. 1. retract. cap. 26. ex quo sequitur hanc esse veram ejus doctrinam & falso existimari a congruistis & medistis merita illa occultissima de quibus loquitur, esse merita quæ Deus per scientiam conditionatam mediam, ut ipsi fingunt, inveniat in discernendis & prædestinandis, sed merita, ut dictum est, a Deo in intentione per prædestinationem præparata, dum peccatores compuncti, & vere de peccato dolentes, se per pœnitentiam ex bona voluntate ad justificationem disponunt, quæ voluntas bona in illis præcedit gratiam justificationis, qua digni ex ea fiunt: sed hæc bona voluntas meritum non est humanum, etsi per eam vere mereatur homo, cum sit Dei voluntatem præparantis donum, quod primam originem habet in vocątione secundum propositum; sicque verissima est hæc Sancti Doctoris consequentia: *vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*. & pariter verum est juxta hanc expositionem, quod antea dixerat: *Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit*.

His ita diligenter perpensis, manifeste apparet sententia defensorum scientiæ mediæ, arbitrantium per eam conciliari facillime merita humani arbitrii cum gratia, & in illa fundari rationem præeligendi ob merita per eam prævisa bene operantium ex usu bono liberi arbitrii cum auxilio congruo gratiæ, quo semel posito, occultum amplius non est, aut investigabile prædestinationis Mysterium, sed est aperta & facilis illius ratio: apparet, inquam, illorum sententiam ab Augustini illud occultissimum & intellectu difficillimum reputantis doctrina esse penitus alienam. unde improbanda jure merito affirmatur.

III. *Ut*

III. *Ut non satis recedens a Semipelagianorum placitis rejicitur scientia media.*

DEfensores scientiæ mediæ Semipelagianorum, quos debellavit Augustinus, & cum ipso, ipsique superstites Prosper & Hilarius Episcopi doctrina & Sanctitate præclari refutarunt, placitis adhærere, ideoque norum doctrinam erroris illorum nota esse inurendam, absit ut proferamus. Neque enim Theologos systema defendentes, quod in Scholis salva fide propugnari permittit Ecclesia, erroris insimulare, præsumerem, etsi cunctis, in rebus prædestinationis & gratiæ diversa a se sentientibus, ipsi ita injurii sint, ut illos erroris oppositi apud imperitos postulare non desistant, fraternæ non immemor charitatis hos vere catholicos reputans, ipsorum hac in parte sententiam ut non satis distantem a Massiliensium veterum placitis, nihilominus improbabo. & reapse, quidquid pro suæ doctrinæ defensione scripsit Sanctus Augustinus de virtute & efficacia divinæ gratiæ, ac de gratuita Sanctorum prædestinatione. vel potius pro Sanctis istius tuenda doctrina a Massiliensibus male excepta scripsere Prosper & Hilarius, militat non leviter contra scientiam illam conditionatam defensorum recentis systematis: & quidquid contra Hipponensem præsulem ex ipsius doctrina territi calumniabantur isti, contra impugnantes scientiam mediam adhuc calumniantur Medistæ & congruistæ: quod non obscure significat ipsos, etsi Semipelagianis non consentientes, ab iis non satis recedere.

Et primo quidem quod adversus scientiam conditionatorum pro ut a Massiliensibus, idest Semipelagianis, intelligebatur scripsit Augustinus monitus a Prospero & Hilario de illorum querimoniis, contra scientiam mediam pro ut a suis defensoribus admittitur non leviter militare vix dubium esse potest. Docente Augustino decretum Dei absolutum & antecedens, electionemque efficacem juxta propositum divinæ voluntatis absque ulla præscientia conditionata, scandalum exinde adversus ipsius doctrinam sumpsere Massilienses, de quibus ad illum Epist. inter Augustinianas 225. sic scripsit Sanctus Prosper. *multi servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Deinde relatis permultis ob quæ illi valde commovebantur, expositaque ipsorum doctrina recta minus, sic prosequitur: *illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam recte erant, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* id pariter testatur Sanctus Hilarius Epist. 226. inter Augustinianos hæc scribens: *Hæc sunt itaque quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in gallia ventilantur .... cum autem dicitur eis quare aliis, vel alicubi prædicetur,*

vel

vel nunc prædicetur quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. quæ censebant Massilienses, mediltarum & congruiltarum esse doctrinam nemo nescit: ipsorumque placita in his Prosperi & Hilarii verbis esse ex parte contenta quis diffiteretur?

Quid ergo his acceptis litteris Augustinus? recessit ne priori sententia ea quæ de prædestinatione & gratia, præsertim lib. de correptione & gratia scripserat retractando? minime. immo libros de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ scribens, scientiam conditionatam a decreto absoluto & efficaci independentem penitus contrivit, ut sit manifestum ex sequentibus ipsius verbis lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt .... quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens, Patrem multarum gentium posui te .... non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines.* cap. 9. exponens ea quæ olim dixerat epist. 102. quæst. 2. *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui eum fuerant credituri:* quibus ejus verbis abutebantur Semipelagiani ad scientiam suam conditionatam in Deo statuendam: sic loquitur. *cernitis ne me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? quid enim est verius quam præscisse Christum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri?.. potest etiam sic dici tunc voluisse hominibus apparere Christum. & apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* non minus roboris habent contra eosdem quæ loquitur cap. 17. *quid est quod ait Apostolus: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? quod profecto si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens, non vos me elegistis, sed ego elegi vos: cum hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit. electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit. quos enim prædestinavit ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit: nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit: nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit illo utique fine qui non habet finem.* Hæc autem omnia quę errores Semipelagianorum circa scientiam conditionatam in Deo compescens protulit Augustinus, adeo militant contra scientiam mediam quam impugnamus, ut ipsius defensoribus ut tela victricia perpetuo opponantur, ad quæ retundenda, ut ut possunt, non mediocriter laborant, & huc usque infructuose satis.

Nec audiendi sunt si dicant, Sanctum Doctorem non ipsam scientiam con-

conditionatam in se spectatam sed illius abusum dumtaxat in Massiliensibus improbasse, & aliunde scientiam illorum conditionatam longe a scientia media distare; tum quia præscientia bonorum operum quæ causa est prædestinationis quorumdam vel etiam reprobationis aliorum, extendebant Semipelagiani ad opera bona vel mala quæ numquam erunt, sed futura fuissent si diutius homines illi vixissent, quod de parvulis quorum alii baptizantur, alii non baptizantur affirmabant, teste Sancto Prospero ibidem. tum quia licet putantes ad singulos actus bonos esse necessariam Dei gratiam, naturam tamen ad fidei initium sibi sufficere existimabant Massilienses; sicque scientia conditionatorum abutebantur, volentes Deum per illam cognoscere quinam ex solo naturę affectu bene dispositi essent ad fidem suscipiendam si eis annuntiaretur, indeque moveri ut mittat prędicantes illam. at utrumque illud incommodum a fide catholica alienum ad scientiam mediam non pertinere dicunt ejus patroni; unde ex improbatione conditionatæ scientiæ Semipelagianorum non sequitur improbatio scientiæ mediæ, quæ ab alia est plane diversa.

Verum etsi duplicem hunc Semipelagianorum errorem reprobent Medistæ & Congruistę quem proscribere voluit Augustinus, eodem nihilominus ictu concidit scientia media, quæ ab auctore suo fuit, ut constat apud omnes, excogitata ut ea exploratrice utatur Deus ad formanda sua decreta. id autem improbasse Augustinum in Semipelagianis, testantur ea quæ mox diximus, ex quibus apparet decretum Dei esse absolutum & efficax, ita ut omnia sint futura vi illius decreti, & quęcumque fiunt, ex una & omnipotentissima Dei voluntate fiant, & cuncta quę præsciuntur, prius fuerint a Deo prędestinata, exceptis peccatis quę pręsciuntur & non prædestinantur. nec solum abusum Semipelagianorum in introducendis per suam scientiam meritis conditionatis improbavit Hipponensis, sed etiam independentiam a decreto, ut occasionem tolleret ponendi aliquod initium meriti discretivum in hominis voluntate, quale eo prętextu meriti conditionati inducebant Massilienses, quod patet ex epistolis Prosperi & Hilarii. at numquid illud initium meriti discretivum in voluntate non ponit scientia media? Nonne priusquam quosdam eligat Deus, & illos ab aliis discernat, inquirit per illam & explorat, utrum hac electione digni sint aliquando futuri, quidve sint meriti adepturi bona opera exequentes ex libera voluntatis determinatione, adjutę quidem gratia Dei, sed ad bonum eligendum ex seipsa se determinantis? Neque enim in systemate scientię medię voluntas determinatur a gratia, licet cum gratia hęc se determinet. & quomodo voluntatis determinatio bonum eligentis diceretur gratiæ effectus, si gratia reddatur efficax per consensum voluntatis? hunc consensum non operatur gratia, cum virtutem ad hunc effectum producendum, saltem proximam & completam non habeat ex vi ipsi intrinseca, hicque virtutis gradus sit ipsi a voluntate conferendus. quomodo & unde oriatur illa voluntatis cooperatio, si non ex propria voluntatis determinatione, quæ in gratiam certe non potest refundi, cum effectum gratiæ pręcedat ut ipsius causa saltem partialis, dicant si possunt qui suis principiis

stantes scientię medię defensores, gratiam per se efficacem inadmittendam prorsus existimant. cum ergo initium illud meriti discretivum in hominis voluntate fluat necessario ex illorum systemate ut patet, & fusius ostenditur, ubi de divinę gratię efficacia, illudque a Massiliensibus inductum cum meritis conditionatis reprobaverit Augustinus. nedum scientię illorum conditionatę abusum, sed & ipsam scientiam in illis improbavit. unde etsi ab erroribus in quos labebantur Semipelagiani occasione scientię conditionatę prout illam intelligebant, alieni sint Medistę & Congruistę, in ipsos tamen vere militant saltem ex parte, quę de gratię efficacia & gratuita prędestinatione scripsit sanctus Doctor.

Secundo. Quidquid olim calumniabantur adversus incommoda quæ ex non intellecta doctrina Augustini sequi putabant Massilienses, id adhuc in impugnatores scientię mediæ calumniari Medistas & Congruistas quis ignorat? Hinc simplices perturbari; inter doctos oriri dissensiones; ex proposito absoluto Dei prædestinantis independenter a prævisione meritorum & usu liberi arbitrii generari teporem ac torporem, simul & negligentiam bonum operandi: injuriam fieri æquitati ac providentię Dei hos præ aliis absoluto suo proposito sine respectu meritorum eligentis; desperationem ingeri hominibus si in sua non sit potestate salvari, vel non salvari; quæ omnia Semipelagianos effectus esse Augustinianę doctrinę sępius dictitasse testantur in suis epistolis ad Augustinum Prosper & Hilarius, & colligitur ex ipso Augustino lib. de dono persever. cap. 15. & sequent. prædicare non cessant scientię medię defensores, ut cuncta eorum in impugnantes scripta testantur. insuper cum iisdem conquerentibus de doctrina hujus Sancti Doctoris existimare fingunt, ex illa, ut de Massiliensibus scribit S. Prosper, vacillare illud: Deus vult omnes homines salvos fieri. prędestinatorum numerum tam esse certum ac determinatum, ut nec augeri possit, nec minui. studium virtutis cessare. non omnibus paratam esse vitam æternam. Christum non pro omnibus mortuum esse. per gratiam pręoperantem liberum impediri arbitrium, atque ex illa doctrina sequi, perseverantiam sic prędicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit, quidquid donatum sit prędestinatis, ideos non posse amittere & retinere propria voluntate, sicut reprobos contra minime posse in melius mutari & salutem obtinere. inutilem, & infructuosam esse prędestinationis gratuitę prędicationem, ut de iisdem refert S. Hilarius, cujus epistola cum illa quę est Sancti Prosperi, præfixa est libris de prędestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ inter opera Sancti Augustini Tom. 10. edit. PP. BB. quantum autem effectus illi alieni sint a scientia media intelligit quisquis ad eos vitandos, & contrarios causandos illam fuisse excogitatam advertit. & revera, ad consolandos homines; ad afferendam spem & fiduciam obtinendę salutis; ad excutiendum torporem, ad querelas removendas; ad concordiam liberi arbitrii cum gratia; ad ipsius libertatis indifferentiam constituendam; ad salutem in potestate hominis collocandam; ad exhortandos homines ad faciendum quod in se est per suam liberam voluntatem, scientiam mediam fuisse adinventam, palam & ubique affir-

affirmare non dubitant illius auctores & patron.. quę cum ita sint, ut omnibus rem diligentius investigantibus brevi fiet manifestum, non immerito dicitur rejicienda scientia media tamquam a Semipelagianorum placitis non satis recedens.

IV. *Ex inutilitate simul ac falsitate fundamentorum quibus nixa dicitur scientia media, tamquam commentitium quid exploditur.*

INutilem prorsus esse ac commentitiam, simulque fictitiis & inanibus fundamentis niti scientiam mediam, ideoque ut merum otiosę mentis figmentum illam esse rejiciendam invicte probabitur, si intentum quod sibi proposuere illius Auctores, quoque velut obtento gloriantur illius defensores, renuentibus licet & oppositum demonstrantibus cujusvis alterius Scholæ Theologis, habere nusquam illos posse ostenderimus; quod facili negotio exequemur, scopum hujusce systematis cum effectibus ipsi contrariis comparantes. ac primo nullitatem rationis desumptę ex certitudine, & prudentia divinę operationis, quę hujusmodi scientiam expostulat ut rationabiliter & prudenter se gerat Deus, suisve Creaturis provideat per suam prędestinationem, quę est pars providentię, sic juvat ostendere. Dato illo fundamento, vel hac stante ratione, directionem scientię medię in prędestinando sequeretur divina voluntas, & ab hac in providendo regeretur: id tamen verum non est], cum non possit ad recte & certo operandum voluntas dirigi a scientia, quę voluntati nihil dictat certum & determinatum, imo expectat consensum divinę voluntatis eligentem quem voluerit statum pręscientiæ de se indifferentis ad electionem voluntatis. illa enim scientia ex se repræsentat Petrum verbi gratia, in tali circumstantia posse damnari, & Judam si poneretur in aliis circumstantiis posse salvari, non autem dirigit, nec ducit illos ad hunc potius statum quam ad illum, sed ambos relinquit æquales; unde voluntati liberum prorsus est determinare statum quem velit. & ratio determinandi est voluntatis libertas, quæ Petrum mavult eligere quam Judam, ponendo Petrum in iis circumstantiis in quibus prævidit illum acturum pœnitentiam, & relinquendo Judam in iis in quibus præscit illum pœnitentiam non fore acturum. si enim vellet salvari Judam, Petrum vero damnari, mutaret manus, volendo eligere Judam ubi, & quando præsciebat esse salvandum, & relinquere Petrum ubi, & quando prævidebat eum esse damnandum. sicque illa scientia potius dirigitur a voluntate, quam voluntas a scientia. quod si dicatur, scientiam mediam dirigere voluntatem in causa prædestinationis, demonstrando statum & circumstantias in quibus possit voluntas eligere quem velit, & supposito quod hunc præ illo eligere velit, proponere media illum salvandi, cum qui salvandus est, omnino per illa media prævisa erit salvandus; nihil inde sequitur, quia id non est peculiare scientiæ mediæ in ordine ad dirigendam voluntatem ad rationem determinatam prædestinandi, cum nihil dictet, nec voluntati persuadeat quem sit prædestinatura, sed est commune cuilibet actui intellectus, qui præsupponitur ad actus voluntatis, præ-

 xisten-

xistentem cognitionem natura sua requirentis. hic autem agitur de certa & determinata ratione scientiæ providentiæ, ex qua eligat Deus unum præ alio: & in hoc sita est prædestinatio, ad quam nihil conducit scientia media, æqualiter voluntati liberæ salvandos & damnandos indifferenter proponens, cum tamen prædestinatio dicat certam divinæ voluntatis determinationem tam ad eligendum statum & media, quam ad discernendum prædestinatos a reprobis. pendet igitur scientia a voluntate divina, ab ea dirigitur, & ad unam partem determinatur: imo nisi sese determinasset voluntas ad statuum & personarum electionem, anxia remaneret per scientiam, duos status pares ac ex æquo diversos, ei æqualiter & indifferenter repræsentantem. vana ergo ex hac parte, & inutilis est scientia media.

Secundo. Ad libertatis humanæ conservationem fertur excogitata hæc scientia: Deo enim, inquiunt, per suum Decretum antecedenter determinante voluntatem ad operandum, tollitur ab illa indifferentia & libertas, cum ex vi decreti efficacis operatura sit illud quod Deus determinate decernit, non quod ipsa pro sua indifferentia, & ex arbitrio velit operari. at hæc scientia media dum studet tueri humanæ libertati quam non tuetur, se ipsam evertit. certa sit & infallibilis circa suum objectum divina scientia necesse est. verum posita libertate creaturæ in statu conditionato, quænam inerit divinæ scientiæ certitudo & infallibilitas circa objectum? voluntas humana libera in illis circumstantjis posita cum gratia indifferenti prorsus indifferens ad operandum & non operandum, cum nullum sit principium illius determinativum, est objectum scientiæ mediæ: quomodo autem huic scientiæ dabit certitudinem & infallibilitatem voluntas humana, quam ipsa non habebit? Diceturne circumstantias esse congruas & opportunas, & a Deo cognitas, adeoque in iis ita collatis voluntati operaturæ, Deum videre proportionem cum ea, ita ut ratione illius constitutionis certo & determinate scire possit operationem secuturam? at illud falsum est, omnique in hac sententia probabilitate caret. quid enim ei conferunt circumstantiæ ad determinationem voluntatis, cum sint extrinsecæ & ex se nihil moventes? Nam si movent, aut natura sua movent, & jam non sunt gratia, quod dici non debet: vel si cum gratia movent & sunt supernaturales, jam gratia non est indifferens; nec integra remanet libertas sublata illa indifferentia. unde permanebit indeterminatio, aut tolletur libertas indifferentiæ. etenim collatum illud ex gratia, & voluntate, & circumstantiis opportunis vel est quid indifferens, vel quid determinans: si indifferens, non facit scientiam determinatam: si determinans, non retinet liberum quod esse nequit absque indifferentia. deperditur ergo libertas, vel tollitur scientiæ mediæ certitudo.

Tertio. Ne in Deo videatur esse acceptio personarum, dum quosdam, eorum non præscitis meritis, libere eligit, alios relinquit & reprobat, sicque tollatur non electis occasio querelam, induxere scientiam mediam ipsius Auctores, ut ea ducente eligantur illi qui sibi collato gratię auxilio laudabiliter usuri prędidentur, illi vero reprobentur qui secus facturi prænoscuntur. verum per scientiam mediam non obtinetur ille finis, quin potius major ex

ea

ea occasio oritur querelarum, & apparet acceptio personarum. etenim per illam scientiam videt Deus varios status, diversas circumstantias in quibus homines positi, bene vel male sint operaturi: exempli causa, si Petrus in illo statu constituatur, peccaturus est: Judas si in tali statu ponatur, bene operaturus est, & vicissim. Cur ergo Deus hac scientia instructus Judam collocare voluit in eo statu in quo peccaturus est, & non in eo, in quo erat recte facturus: & Petrum ponere voluit in statu illo in quo erat bonum operaturus, & non in eo, in quo erat peccaturus? quid meruere vel demeruere Petrus & Judas, ut ille excluderetur ab illo statu in quo positus salvaretur, ille vero ut a statu, in quo positus periret, traduceretur ad statum in quo fieret salvus? unde ex scientia media est reprobis occasio querendi de Deo, quod rejecti sint in statum damnationis, cum poni ab eo potuissent in statu salvationis. per eam ergo non tollitur incommodum illud quod supponunt in principiis gratię per se efficacis, & prędestinationis gratuitę & antecedentis. Si enim conquerantur isti, quare non dederit eis gratiam efficacem, conquerentur & alii, quare ejecerit eos a statu gratię efficacis in quo essent si Deo placuisset, & dejecerit eos ad statum in quo pro eis non erat gratia efficax. imo prescitis in eo statu potior esset ratio querendi, quam in statu gratuitę prędestinationis, in quo non attenditur ad aptitudinem vel proportionem ad salutem in illis qui eliguntur, sed in omnibus, tam eligendis, quam non eligendis, invenitur demeritum ex originali peccato cum privatione gratię. unde cum in omnibus sit eadem inhabilitas, eademque improportio ob damnatam massam, nulla fit injuria illi qui rejicitur; injuria vero quędam fit in systemate scientię medię ei qui erat aptus ad salutem in uno statu, ejiciendo illum ad statum in quo aptus non erat. & ex hoc capite scientię medię valde prestat systema eam impugnantium juxta Doctrinam Sancti Augustini, in quo non est acceptio personarum, quę manifeste sequitur in Deo ex doctrina scientię medię. quia cum per illum omnes videret Deus in certis statibus, si in eis ponerentur, posse salvari, cur quosdam ex illis anteponit aliis, reponendo eos in statu salutis, & alios postponit, traducendo eos ad statum damnationis? Nonne vera est acceptio personarum, non interveniente demeriti consideratione, alios velle acceptare, alios nolle? inutile igitur & falsum est illud scientię medię fundamentum.

Quarto. Supponitur necessaria aut saltem utilis valde scientia media ut per eam Deo cognoscente quid ex voluntate gratia versatili, ut dicunt, seu indifferenter adjuta acturi sunt homines, eligantur aliqui, relinquantur alii pro eorum prævisis meritis vel demeritis. sed talia qui fingunt advertere deberent se vana & nusquam ponenda proponere, dum recurrendum putant ad eum statum in quo fiat discretio bonorum qui nulli futuri sunt. Enim vero cum ea versatili & indifferente gratia in neutram partem se determinaturi sunt homines: vel se determinantes, ad malum semper se determinabunt, & nihil præter peccatum operabuntur: & qua spe ducti scientiæ mediæ defensores existimant illos qui eligentur, nulla gratia præmovente, sed versatili & indifferente adjutos, se ad bonum ex voluntate fore determinaturos? primus

homo

homo Adam in statu innocentiæ originalis & felicitatis, summa pace, tranquillitate animi & corporis fruens, absque ulla rixa passionum, absque ullo appetituum dissidio, ab omni ad malum pronitate liber, auxilio sine quo non, id est gratia versatili & indifferente fultus, *terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate. in tanta non peccandi felicitate*, ut loquitur Sanctus Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. in peccatum præceps ruit: & posteri ejus in præsenti statu naturæ, affecti concupiscentia, innumeris animi & corporis miseriis ad malum inclinantibus & quasi prementibus vallati, cum illo auxilio gratiæ versatilis suo relicti arbitrio ad bonum operandum se determinabunt? vix intelligitur moraliter loquendo, quod aliquid recte ad salutem agant, & illos cum sola hac indifferenti gratia nihil esse præter peccatum operaturos probabilissimum est. voluntas primi hominis fortis & sana, habens virtutem liberi arbitrii, non deficiente adjutorio Dei, nulla premente concupiscentia, ad malum declinavit: & voluntas aliorum hominum invalida & imbecilla in tanta infirmitate vitæ hujus, inter tot & tantas tentationes, absque validiori auxilio bonum amplecteretur? talia narrent, aut potius mentiantur illi quibus notum non est quam grave sit nos circumstantis ab Adæ lapsu pondus peccati; & nisi subveniretur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, cum auxilio versatili & indifferente voluntas humana in sua infirmitate deficeret. quam distent ab Augustini doctrina medistæ ac congruistæ iterum advertant; & certo scientes in eo statu quem apud se formant, homines in sua natura constitutos, cum sola gratia indifferenti nihil boni esse operaturos, unde possint præsciri bona eorum merita ob quæ a Deo eligantur, nullum esse ad rem prædestinationis & gratiæ, aut ad liberi arbitrii cum utraque concordiam, imo esse inutilem scientiæ mediæ usum agnoscant, illamque ut futilibus nixum fundamentis, tamquam commentitium quid explodi patienter ferant.

V. *Ut recens inventum quid, & multiplici censura notatum, explodenda scientia media non immerito judicatur.*

CUnctam in rebus quæ ad religionem dicunt ordinem, etiam circa quæstiones quæ non nisi remote & indirecte ad fidem aut ad consectaria fidei referri possunt, vitandam esse novitatem, est apud omnes catholicos receptissimum, adeo ut ipsa etiam novitatis suspicio injuriæ vertatur ei qui illius merito insimulatur; unde sufficiens videtur argumentum in rebus Theologicis ad tollendum e medio quodcumque sistema, quod recens inventum, & Sanctis Doctoribus incognitum reperiatur. Hoc laborare vitio scientiam mediam frustra negaretur, cum de novo illo fretu sibi gratuletur ipsius auctor Molina in sua concordiæ asserens, se omnium mortalium primum veram conciliandi cum gratia libertatem adinvenisse rationem, quam Augustinum magnum divinæ gratiæ Magistrum ac defensorem latuisse fatetur. tantique recens illud inventum facit, ut dicat, quod si Augustini ætate nuta & ex-

explorata fuisset scientia media, forte nec Pelagiana hæresis nata fuisset, nec Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare. Verum de illa ut primum prodiit feliciter adeo non judicavere permulti insignes Theologi, qui eam suspectam habuere præsertim in Hispania & in Galia, ubi carpi vehementius & exagitari cœpit ab ortu, numquam ab adversariorum animadversionibus cessatura donec æternæ tradatur oblivioni. ipsique non defuere Domestici hostes, qui Molinæ sibi arrogantis sua se industria id obtinuisse quod veteres assequi non potuerant, jactant jam ferre impotentes, ipsius concordiam, quam in multis a prisca Sanctorum Patrum, & præsertim Augustini Doctrina discrepantem invenientes acriter reprehenderunt.

Hanc Molinæ doctrinam de scientia media, quam omnes Patres Societatis, perpaucis excipiendis, fecere suam, in omnibus ferme Accademiis, & apud cunctos majoris Notæ Magistros male audientem, a novitatis suspicione vindicare tentavit Franciscus Suarez ejusdem Instituti inclytus Theologus, ostendere arbitratus eam Augustini diebus ortam, & ab eo continenti serie ad nos usque fluxisse, Patribus, Scholasticisve antiquioribus pro illa stantibus. Verum ipsi nullam fidem adhibuere æqui rerum æstimatores, & adversus Systema Molinianum quod in quibusdam emendavit, eodem impetu insurrexere quolibet tempore Theologi fere omnes qui in verba Societatis non jurare Religioni ducunt. inter quamplura quę excitavit dissidia inventum illud Molinianum gravi censura interdum non semel notatum, primas tenet notissima illa controversia inter Patres Dominicanos ex una parte pro Thomistica Schola, & Patres Societatis ex altera pro Molina certantes, quam terminare desiderans Clemens VIII. quosdam Cardinales, quibus adjunxit plures Theologos Consultores ad rem diligenter discutiendam designavit. Hinc notissimæ illæ Congregationes de auxiliis, in quibus sæpius congregatis diversorum Ordinum Consultoribus coram Summo Pontifice per maximum temporis spatium res ventilata est. Molinę Doctrinam acri Censura notare meditantibus iis quibus fuerat hæc cura demandata, se non fuisse auditos Patres Societatis conquesti sunt: unde jubente Summo Pontifice iterum congregantur Consultores, iisque audientibus partes Molinæ suscepit Gregorius de Valentia, cui gravi morbo correpto & e vivis sublato, suffectus est Pater Vestida, Thomistarum partes agente Patre Thoma Lemos Dominicano, qui ab initio ad finem usque Causam suam fortiter docteque sustinuit; adeo ut scientia media in sexagesima Congregatione, Pelagiano errori affinis, atque Semipelagianorum fundamentum, a Consultoribus fuerit reputata.

Cum jam in Molinæ librum tot discordiarum originem, pronuntiaturus esset Clemens VIII. teste Cardinali Bellarmino in ejus vita, qui de hac re meditantem summum Pontificem a tali proposito avocare studens, ipsi nihil ominus in illo perseveranti respondisse fertur, ultimum diem prius obituram suam Sanctitatem, si hanc mentem exequi tentaret, ex improviso morte præventus est. mortuo Clemente nulla ab ipso hac de re sententia lata, Car-

Cardinalibus interim mutuo juramento obstrictis, ante creationem Leonis XI. cui brevi tempore hac vita functo suffectus est Paulus V. quod his controversiis intra annum finem imponeret futurus Pontifex, promissis stare volens Paulus, sub quo plures adhuc habitæ sunt congregationes, rem iterum perpendi curavit. verum aliis succedentibus negotiis, variisque rationibus Pontificem moventibus, intermissæ sunt congregationes, nihilque fuit a consultoribus decretum. & si vera narrant qui volunt jussisse Paulum V. parari bullam contra Molinæ librum, mutato igitur Consilio nullam edidit eo in negotio deffinitivam constitutionem. imo declarabit Innocentius X. nullam esse adhibendam fidem Autographo seu Exemplari prædictæ assertæ constitutionis, neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio illam allegari posse vel debere, sed observanda esse decreta Pauli V. & Urbani VIII. quibus cautum fuit, ne ubi de divinis auxiliis disputant Theologi, aliqua erroris aut alterius censuræ nota sese invicem perstringant. licet tamen judiciali sententia per sedem Apostolicam non fuerit censura notata Molinæ doctrina, ut dictum est, consultoribus nihilominus ad illius recognitionem delegatis minus tuta in fide visa est, ut ex eorum judicio de variis capitibus sigillatim certum est. ipsamque, ut errori affinem, & ob sui novitatem merito suspectam, Clementi VIII. injucundam prorsus fuisse testantur. ea quę, in sua historia congregationum de auxiliis narrante Hyacintho Serri, protulisse fertur summus Pontifex, in primæ congregationis ingressu, Patres Societatis Molinæ doctrinam defendentes allocutus his verbis. " quid est „ quod molimini? an non dubitatis pro defensione unius Molinæ invehere „ in ecclesiam Dei Pelagii dogma? perpendite, obsecro vos, quam grave „ periculum a vestris istis concertationibus universo orbi Christiano impen„ dat: Nolite communi necessitati & saluti privatas rationes vestras præfer„ re. cedite Patribus, cedite veritati. " quæ Pontificis verba, si conferantur cum subsequente consultorum censura, privata quidem & minime decretoria, ac cum censuris quibus Academię Lovaniensis & Duacensis inter alias, Molinianam doctrinam notarunt annis 1586. & 1589. facillime dignoscetur, ut recens inventum quid, & multiplici censura notatum, explodendam scientiam mediam non immerito judicari.

Cæterum ab ulteriori inquisitione hac in causa abstinendum existimamus, ne videamur sapere plusquam oportet sapere; neve malevolis ansam præbeamus dicendi, nos contumeliæ memores, in defensores scientiæ mediæ vindicare injuriam, quam Scotisticæ scholę temere intulere recentis illius ac tot titulis improbandi inventi auctores & fautores, Molina, Valentia, Arrubal, Alarcon, &c. dum Scotisticam formalem distinctionem, ab ipsis minime intellectam, gravi & iniqua censura notarunt.

VI. E

VI. E medio tollenda censetur scientia media ob diversa incommoda quæ ab illa necessario procedere videntur.

PErmulta ex scientiæ mediæ systemate oriri incommoda, quæ licet a quampluribus ipsum impugnantibus plus æquo exaggeretur, certissimum est; perpauca, ne superfluis studeamus, hic breviter attingemus. Rationem primæ causæ a Deo tollere, ejusque supremum in hominum voluntates dominium evertere videtur scientia media. de ratione primæ causæ est quod sine illa nihil possit causa secunda. at posita hac scientia, causa secunda agit independenter a prima. etenim concursus Dei indifferenter oblatus creatæ voluntati determinatur ab ipsa, alioqui dicendum esset voluntatem determinari per primam causam, quod decretum antecedens & efficax supponeret. est a voluntate determinatio concursus illius, non a Deo, qui illam expectat a creatura, & ideo explorat ut videat quoversum se flectet voluntas: licet enim in illo systemate admittatur gratiæ prævenientis necessitas, hęc tamen cum sit versatilis & indifferens, non habet suam efficaciam nisi ex determinatione voluntatis, quæ determinatio etsi cum gratia fit, per gratiam tamen non est: neque enim cum scientia media stat gratia præmovens voluntatem. determinatio igitur concursus divini, usus & applicatio gratiæ, non est ab antecedente Dei decreto, sed a creatura; ideoque causa secunda agit independenter a prima, & sic a Deo tollitur ratio primę causæ. evertitur etiam supremum ejus dominium, de cujus ratione est quod inclinet, & vertat pro suo arbitrio hominum voluntates, & corda eorum quantumvis dura flectat prout vult, servato semper modo naturali causæ liberę. data vero prędicta scientia media Deus nihil exequi potest in causa secunda ratione istius dominii: ipsi enim explorandum est an hęc divinę vocationi cooperari voluerit, vel utrum cassam & irritam factura sit supremam Dei voluntatem, nisi hęc se attemperaverit genio creaturę, inquirendo prius & explorando quid illa sit actura in tali posita, aut tali circumstantia; anve hoc vel illo munita auxilio congrua & opportuna ex parte Dei sit vocatio vel non: quis autem indignam Deo non dicet hujusmodi inquisitionem, ratione cujus creaturę videtur Deus subjacere in formandis suis decretis, in quantum effectus divinę operationis pendet a determinatione voluntatis, quę Deum non habet auctorem. quomodo hæc concilientur cum supremo Dei dominio in tali systemate, & quomodo ipsi servetur ratio primæ causæ, dicant qui intellexerint.

Nonnulla jam ex præcipuis incommodis scientiam mediam necessario comitantibus, in iis quæ in pręcedentibus disserimus, sparsim attigimus: unde cum de iis iterum dicere non juvet, id unum ex mente maximę partis nobis de recenti hoc systemate consentientium addere licet, nimirum hanc virtutibus christianis maximum inferre detrimentum, illasque veluti e medio tollere. Hinc humilitatis & modestiæ simplicitatis ruina, si in viribus liberi arbitrii confidere, etiam ex parte, unicuique licet, atque in semetipso, & non in Deo solo, superbiens creatura gloriari potest, salutem, quę a Do-

mino Deo eſt, aut ſalutis initium ſibimet, & non ſoli gratiæ Chriſti tribuendo. Hinc tollitur orationis neceſſitas, & cordis fervor extinguitur. ſi enim ſemper gratia præſto eſt, & humanę famulatur voluntati, ita ut de ea pro arbitrio diſponat, ejuſque actionem & virtutem pro nutu impediat, aut retardet, quod ita ſe habere neceſſum eſt, ſi gratiæ auxilium indifferens ſit ac verſatile, & voluntatis conſenſum ex propria virtute & per vim ipſi intrinſecam non operetur, ſed omnem virtutem & efficaciam deſumat ex determinatione voluntatis quam non fuerit operatus ille qui, magis habens in poteſtate ſua voluntates hominum quam ipſi ſuas, ut loquitur Hipponenſis, humanorum cordium quocumque voluerit inclinandorum omnipotentiſſima ſolus gaudet poteſtate, ut quid oramus, Deum ſuppliciter deprecantes ut ipſe nos convertat, noſque miſericordiæ ſuæ dignos efficiens ad ſe trahat? Nonne irriſorie petitur quod ſcitur non ipſum dare a quo petitur, ſed ipſo non dante in illius eſſe qui petit poteſtate non ignoratur? ut idem inquit Auguſtinus. Hinc convellitur timor ille religioſus de quo Apoſtolus, Philip. cap. 2. *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*. ut quid ſaluti timendum, ſi a nobis eſt bona voluntas, cui ſemper adeſt gratiæ auxilium verſatile quod talis ſit naturæ, ut in noſtra ſit poteſtate illo uti quomodo & quando voluerimus, poſſimuſque in nobismetipſis eſſe fidentes illud numquam defuturum, noſque bonam hanc voluntatem & opus bonum pro libito ſemper habituros, ita ut ad incutiendum dumtaxat terrorem adverſus quem animos nobis addere liceat, fuerit a Chriſto dictum, Joan. cap. 8. *quæretis me, & in peccato veſtro moriemini?* Hæc & alia permulta incommoda, quę miſſa facimus, quo pacto non procedant neceſſario ex doctrina, ſcientiæ mediæ oſtendant ſi veraciter poſſunt, qui illam proponunt, eamque pro vera & firma Eccleſiæ catholicę doctrina haberi volunt, idque rudioribus, ac mulierculis perſuadere conatur, ſuos adverſarios ex hac parte, erroris apud indoctum vulgus temere inſimulando.

VII. *Ut Doctoris Subtilis principiis prorſus contraria ſcientia media eſt a ſcola Scotiſtica totaliter eliminanda.*

ETſi in verba magiſtri jurare ratione ſufficienti contradicente, veritatis amatorem non parum dedeceat, ab ipſius tamen ſententia dum probabiliori nititur fundamento quod recedat, ipſi non immerito vitio vertitur. Neque enim cordati eſt hominis, in quæſtionibus quæ in utramque partem defendi poſſunt, niſi invicta ratione frangatur, a propriæ ſcholæ placitis diſcrepare, ut in oppoſitam alterius ſententiam concedat. quare ergo a Doctoris Subtilis pro decretis antecedentibus ſtatis principiis deficientes aliquot Scotiſtæ non ignobiles, partes alienas, patrocinantes ſcientiæ medię, fuerint amplexi, nonnullis e ſuis pedicas ponentes, vix intellexerim. Se rationem victos, a ſignis paternis dilabentes ad extra tranſiſſe caſtra, dicere illos vetant quæcumque ſcien-

ſcientiam mediam impugnantes hucuſque diſſeruimus. Mediſtarum & Congruiſtarum ſententiæ plane contrarium eſſe Scotum interea comprobemus. ex duobus principiis Scoti certis & indubitatis, ex quibus alias jam ſumus argumentati res conſtabit. unum eſt quod nulla inſit futuris contingentibus certa & determinata veritas ante decretum liberum divinæ voluntatis. illud enim expreſſe tenet in 1. diſt. 39. his verbis. *Tunc autem*, loquitur de ratione contingentium ante Dei decretum, *non ſunt vera contingentia, quia tunc nihil eſt per quod habeant veritatem determinatam. poſita autem determinatione voluntatis divinæ jam ſunt vera videlicet pro illo ſecundo inſtanti: & hoc idem erit ratio intellectui divino (quod erat in primo) intelligendi iſta quæ ſunt jam vera in ſecundo inſtanti, & fuiſſent cognita in primo inſtanti, ſi fuiſſent in primo inſtanti*. vera itaque eſſe non poſſunt dum non ſunt: non ſunt autem antequam determinentur a divina voluntate. Deinde poſitis duobus modis cognoſcendi objecta, ſic pergit. *Patet ſecundum utrumque quod intellectus divinus determinatur ad illud exiſtens, ad quod determinatur voluntas divina: non poteſt voluntas determinare, quia intellectus determinate apprehendat illud quod voluntas determinat. & immutabiliter, quia tam voluntas quam intellectus ſunt immutabiles*. & ex hoc principio impugnat prædeſtinationem ex præviſione boni uſus liberi arbitrii, quia Deus non prævidet bonum hunc liberi arbitrii uſum, niſi in quantum illum ipſe præordinavit in abſoluto & antecedenti voluntatis ſuæ decreto, ut videre eſt diſt. 41. ex quo evidens eſt juxta principium illud, veram Doctoris Subtilis mentem manifeſtans, quod certe ut ab illo proponitur, ſtare nequit cum ſyſtemate ſcientiæ mediæ, illam a ſchola Scotiſtica eſſe totaliter eliminandam, & ab illo defeciſſe ſtudio non remittendo Fabrum Faventinum, & Poncium probantes illam, ac in Scholam noſtram inducentes, nec non Vulpem, & Maſtrium ad illos propius accedentes, dum contra doctrinam Scoti & antiquæ ejus ſcholæ de decretis antecedentibus efficacibus, decreta concomitantia adinvenerant.

Quam longe fuerit a Congruiſtarum & Mediſtarum placitis Doctoris Subtilis doctrina, ex altero notiſſimo ipſius principio invicte colligitur. juxta Scotum tota ratio cognoſcendi futura contingentia eſt decretum divinum, per quod dumtaxat ſuum eſſe futuritionis acquirunt, quod eſſe futuritionis priuſquam habeant nullo modo ſunt, proindeque nec ſunt cognoſcibilia; etenim quod non eſt ullomodo, non poteſt cognoſci, cum cognoſcibilitas ſit qualitas quædam vel proprietas rei in ſuo eſſe jam conſtitutæ, ratione cujus objectum intellectus illam cogniturì fieri poteſt. Deum autem hæc futura alias cognoſcere præter ſuum decretum, adeo ut intellectus divinus primo & immediate feratur in exiſtentiam, & veritatem rerum cognoſcendarum, indignum prorſus Deo exiſtimat Scotus: tunc enim cognoſceret rem quam non ipſe determinaſſet, & in ea ſupponeret, & ab illa deſumeret principium ſuæ cognitionis illam ab objecto velut emendicans, in qua certe cognitione non parum vileſceret divinus intellectus, ut cum ipſo diximus ubi egimus de medio in quo cuncta Deus cognoſcit. & hoc poſito conſtanti principio a quo non recedit, mediam ſcientiam in Deo non poteſt admittere.

tere. ipsius verba in 1. dist. 39. referre juvat. *intellectus divinus*, inquit; *aut offert simplicia, quorum unio est contingens in re; aut si offert complexionem, offert eam sicut neutram, & voluntas eligens unam partem, scilicet conjunctionem istorum pro aliquo nunc in re, facit illud determinate esse verum ... Hoc autem existente determinato vero, essentia est ratio intellectui divino intelligendi istud verum; & hoc naturaliter quantum est ex parte essentiæ. ita quod sicut naturaliter intelligit omnia principia necessaria quasi ante actum voluntatis divinæ, quia eorum veritas non dependet ab illo actu, & essent cognita ab intellectu divino, si per impossibile non esset volens, ita essentia divina est ratio cognoscendi ea in illo priori instanti naturæ. quia tunc sunt vera; non quidem quod illa vera moveant intellectum divinum, nec etiam termini eorum ad apprehendendum talem veritatem, quia tunc intellectus divinus vilesceret, quia pateretur ab alio ab essentia sua: sed sicut essentia divina est ratio cognoscendi simplicia; ita & complexa talia.* Scientia media supponit objecta conditionata ex se ante quodcumque divinum decretum, ac sumpta in se ipsis vera esse ac determinata, & independenter ab essentia & voluntate divina proponi constituta, & apta ad cognitionem intellectui divino: quę cum esse nequeant ex Scoto, quin vilescat intellectus divinus patiens ab alio ab essentia sua, ab illo mendicans suæ principium cognitionis, & illa nullo modo supponi possint, sequitur scientiæ mediæ prorsus esse contraria illius principia, & ideo a Scotistica schola illam esse omnino eliminandam. unde nemini rem ut par est ponderanti mirum videbitur, quod quæstiones omnes in his exercitationibus Theologicis juxta veriora Doctoris Subtilis principia resolvere, ut fieri potest, intendentes, scientiam mediam ob alia motiva apud maximum Theologorum numerum male audientem; etiam ex hoc capite omnimode improbandam judicaverimus.

Ex omnibus quæ hucusque diximus manet sufficienter probatum in statu præsenti naturę, (de aliis enim statibus inquirere mens nostra non fuit) locum habere non posse Scientiam mediam quoad opera supernaturalia, de quibus solummodo præsens controversia movetur, eamque nullo sufficienti fundamento fulciri, sed omnimoda carere probabilitate, ut varia quæ allegavimus monumenta testantur; ac proinde ut merum commentum a quibuslibet Scholis esse penitus eliminandam. non tamen negandum Molinæ illud systema, potissimum ut proponitur a Congruistis, licet a Molinæ sensu vix distantibus, tuto & catholice defendi posse, utpote ab Ecclesia toleratum, ipsumque nonnullis, tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum testimoniis specie tenus huic faventibus firmari posse: quæ tamen ex iis deduci possunt argumenta omnem vim cunctumque robur amittunt, comparata ad validissima & robustissima momenta ex iisdem Scripturis & Patribus & ratione Theologica excerpta, quibus ab oppositi systematis de gratia per se efficaci & prædestinatione ex antecedenti decreto defensoribus impugnatur Molinæ ac sequacium sententia, ut quolibet tempore rem æqua lance & mente libera ponderantibus fiet indubitatum. præcipuis Medistarum oppositionibus cum satis jam fuerit factum, pauca solvenda supersunt.

SO-

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Ex quampluribus Sanctorum Patrum sententiis constat illos voluisse res non esse futuras quia eas cognoscit Deus aut determinavit futuras, sed potius ab illo eas fuisse præscitas quia vere sunt futuræ. Id autem systemati scientiæ mediæ efficaciter favet, cum Deus earum rerum futuritionem non præscierit, nisi in quantum cognoscit ad quid in illis vel istis circumstantiis voluntas creata sit se determinatura.

Resp. Varia Sanctorum Patrum atque etiam Sacrarum Scripturarum testimonia a scientiæ mediæ patronis folio congesta, non esse ad propositum prima fronte intelligitur, ex eo quod illa omnia spectent ad præscientiam Dei, qua futura cuncta cognoscere certo tenet Christianus quæque præscientia rerum futuritionem necessario supponit: sed nihil habent de modo vel medio in quo res futuræ a Deo præsciente cernuntur. vel etiam de operibus naturalibus circa quæ non versatur quæstio, aut sæpius de peccatis iis in locis res est, quæ in quantum peccata sunt; videri & præsciri nequeunt nisi in futura voluntatis creatæ determinatione. & aliunde futura illa cujuscumque sint ordinis vel sunt vere futura, vel dumtaxat futura sub conditione non ponenda: si primum ad scientiam visionis pertinent; si secundum, ad scientiam simplicis intelligentiæ.

2. *Objectio*. Vel est admittenda gratia congrua & versatilis humano subjacens arbitrio in præsenti statu, vel ab homine ipsum tollendum est liberum arbitrium, quod cum gratia per se efficaci & decretis antecedentibus minime potest stare, gratia autem congrua & versatilis supponit necessario scientiam mediam: est ergo admittenda.

Resp. Ex decretis antecedentibus & absolutis sequi in nobis liberi arbitrii amissionem garriant qui catholice minus de Dei gratia sentiunt: illorum vesaniam efficaciter arguere tentabimus de Christi Salvatoris gratia anno proxime futuro Deo juvante disputaturi. interim contempta hac pervetusta Semipelagianorum adversus Augustinum, ac semper contra ipsius discipulos reviviscente calumnia, falsissimum dicemus gratiam tum congruam, tum versatilem ex se supponere Scientiam mediam. etenim gratiæ congruitas, quam, si bene intelligatur, & nos volumus admittendam, est quid intrinsecum ipsi gratiæ, cum nihil aliud sit quam proportio seu convenientia auxilii cum effectu ad quem producendum confertur, cuique ab intrinseco inest virtus ad vincendum omni ex parte impedimentum quod ipsius efficaciam retardare posset. & illa nedum non supponit scientiam mediam, sed hanc prorsus evertit, ex eo quod hujusmodi congruitas consequatur decretum absolutum, vi cujus Deus vocans quos scit vocationi consensuros, confert ipsis congruum auxilium, in cujus nativa virtute cognoscit illorum consensum, quia illo mediante eos decrevit consensuros. & in hoc sensu intelligendi sunt Ecclesiæ Sancti Doctores cum de congrua vocatione loquuntur, & nullatenus in sensu congruitatis extrinsecæ, quæ effectum non habeat nisi ab innata li-

ber-

bertate ac determinatione voluntatis, quęque nihil aliud eſt quam habitudo ad futuram determinationem, quam Deus pręſcivit libero arbitrio cum gratia eliciendam; & ſic in Moliniano ſyſtemate intelligitur, unde Congruiſtę dicti ſunt illam qui tuentur. Hęc gratię congruitas extrinſeca veteribus ignota ſupponit ſcientiam mędiam, non inficior: quid inde? niſi utramque eſſe ſimul improbandam, cum gratia verſatili humanæ voluntatis arbitrio ſubjecta, quam rejiciunt quicumque veram magni Auguſtini doctrinam ſequuntur: & quæ aliunde ſtare poteſt abſque ſcientia media, ut teſtantur Theologi qui in ſtatu naturę innocentis admittendam cenſent gratiam verſatilem, & ſcientiam mediam nec in illo ſtatu pro Adamo innocente retinere nolunt. unde ex illo capite nullius ponderis eſt argumentum quod ex ea petitur.

Cętera quę poſſent opponi aut jam ſoluta ſunt, aut facili negotio ſolventur, ſi ad modum quo expoſita ſunt varia tum Scripturę, tum Auguſtini teſtimonia, quę ſibi favere arbitrantur Congruiſtę, attendatur. Id unum ſemper advertendum nempe, quæcumque futuræ, ſive ordinis ſupernaturalis, ſive in ordine naturali, ſive ſint futura abſolute, ſive ſint futura conditionate, ſive ſit ponenda conditio, ſive non ſit ponenda, ut ſtatim monuimus, cognoſci a Deo per ſcientiam viſionis quæ circa vere futura verſatur, aut per ſcientiam ſimplicis intelligentię, cujus objectum ſunt res poſſibiles, ad quarum ordinem referuntur futura ſub conditione non ponenda. quæ ex defectu conditionis, vel potius ex ejus non poſitione, nihil reſpectu divinæ cognitionis habent præter poſſibilitatem, unde quocumque modo a Deo cognoſcantur non intereſt, ad fingendum aliud ſcientiæ genus inter utramque, quod in nullo caſu locum habere poteſt.

CONCLUSIO SECTIONIS.

CUncta, præterita, præſentia, futura, cognoſci a Deo, quem nec ulla cogitatio hominum latet, Hebr. cap. 4. in cujus conſpectu non eſt ulla creatura inviſibilis, cujuſque oculis omnia nuda ſunt & aperta, cuive omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, illaque omnia, ſublato quolibet locorum aut temporum intervallo, ipſi ita certo ab æterno & per ęternum innoteſcere, ut apud eum de iis omnibus nulla poſſit eſſe aut erroris obumbratio, ille ſolus poſſet inficiari, qui illius veri ac ſummi numinis exiſtentiam & naturam, delirans in corde ſuo inſipienter impugnaret. Deum unico & indiviſibili ſimulque ęterno intellectus actu, omnia abſque compoſitione ulla, ulloque diſcurſu comprehendentem, cujus infinita ſcientia eſt cunctarum rerum cauſa directiva, quas efficit omnipotentiſſima ſua voluntate, omnium tam poſſibilium quam futurorum infallibiliter præſcium prædicare qui renueret apertiſſimæ inſaniæ merito argueretur; ab illo parum abſimilis qui per infallibilem ac præviam ipſius de rebus omnibus cognitionem illarum contingentiam tolli, aut hominum libertati vim & neceſſitatem inferri exiſtimaret. Nec extra ſe ad cunctarum rerum principia, variaſque illarum progreſſiones intelligendum
exeat

exeat oportet Deus, qui dicente Bernardo, (*lib.* 5. *de Consid.*) totus est lux, & tenebræ in eo non sunt ullæ; totus est oculus, & qui minime aliquando fallitur, quia minime clauditur; qui extra se non quęrit lumen cui admoveatur ut videat; ipse qui videt, ipse unde videt. cœlestia, terrestria, ac minima quæque prospiciens, nihil extra, sed singula in se intuetur, inquit Ambrosius: unde pronuntiavit Augustinus, quod sacrilegium est asserere quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum. frustra ergo in excogitando vel intelligendo medio in quo res omnes cernantur a Deo desudant homines altiora se investigantes, cum ipse sibi sit medium cognitionis suæ. Nonne divini intellectus operationem, vel ejusdem operationis modum, laboriosis perscrutationibus nostris attingere arbitramur? id unum potius intelligere studeamus, quanti nostra interest, si Deum omnia cognoscere, omnia intueri, adeo ut ipsum præterire non possint occultissima cordis nostri secreta, firmissime credentes, nihil operemur quod oculis summę ipsius majestatis possit displicere; sed magis sint nostra casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nosque in omni conversatione nostra Sancti simus. Verum cum illud ex nobismetipsis habere non possimus, oculi nostri sint, semper ad Dominum, ut ipse per auxilium gratiæ suæ adjuvans infirmitatem nostram, „ (*Hebr. cap.* 13.) aptet nos in omni bono, ut faciamus „ ejus voluntatem, faciens in nobis quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in sęcula sęculorum, Amen ".

SECTIO SEXTA.

De voluntate Dei.

QUemadmodum in Deo est intellectus, seu vis, & facultas, qua Deus se, cunctaque cognoscibilia & intelligibilia novit, ita in ipso admittenda necessario est voluntas, seu vis, & facultas, qua se, cunctaque bona vult & amat. Utrumque fides & ratio testantur. Dei intellectum ejusque voluntatem ubique prędicant Divinæ Scripturę, tota celebrat religio, ipsaque Dei idea vel natura significat. Hæc omnium unum verum Deum cognoscentium una & eadem vox est. ens enim perfectissimum quomodo diceretur, si hujusmodi facultates ens spirituale constituentes, in ipso non essent, & in summo perfectionis gradu? quæcumque circa Dei voluntatem pro more Theologorum in pręsenti tractatu de divinis attributis occurrunt disputanda sequentes quæstiones complectentur.

QUÆSTIO PRIMA.

An multiplex in Deo sit voluntas, illaque semper sit efficax.

DE voluntate Dei non penes illius effectus, sed in se ipsa considerata præsens quęstio procedit. Nullam in Deo admittendam esse cujuscumque

que

que generis compositionem etiam Metaphysicam, utpote qui sit Ens simplicissimum, suo loco cum Doctore ostendimus: unde si aliquid in Deo quamdam arguere videretur multiplicitatem, id non ex rei natura, sed ex diversitate terminorum repetitur: ex quo fit quod Divinę simplicitati nullo modo afficiat hujusmodi multiplicitas. an semper impleatur Dei voluntas secundum diversos quos dicit respectus perpendunt Scholastici, idque eo diligentius, quod multum juvat pro intelligenda hac divina voluntate circa omnium hominum salutem, & ad explicanda divinę gratię arcana, atque etiam ad prędestinationis mysterium enucleandum.

ASSERTIO PRIMA.

Una & simplicissima est in Deo voluntas, quæ pro vario ad creaturas respectu multiplex formaliter est agnoscenda.

EX diversitate volitionum multiplicem voluntatem colligere qui niteretur, non rectius argumentaretur illo, qui ex diversitate operationum quas successive vel eodem tempore elicit, aut elicere potest homo, multiplicitatem individuorum in illo colligendam existimaret. ex creatę voluntatis limitatione, quæ in diversa objecta eodem tempore tendere non potest, oritur successiva volitionum ejus multiplicitas. Divina autem voluntas cum sit infinita, unico & indivisibili actu omnia sua objecta vult, nulla de novo ipsi adveniente volitione: eodem modo quo divinus intellectus unica intellectione, illaque ęterna, ad omnia intelligibilia illa se extendit. ex quo facile intelligitur unicam tantum realiter & entitative esse in Deo voluntatem, sive consideretur ut facultas, sive sumatur pro actu; Deus enim quæcumque voluit ab æterno voluit. & voluntatem in Deo esse per modum potentię & actus primi certissimum est, non minus quam intellectum, cum eadem sit utriusque ratio. quemadmodum intellectus habet rationem actus primi respectu intellectionis, quę comparate ad facultatem intellectivam, non potest habere nisi rationem actus secundi, cum juxta axioma receptissimum prius sit esse quam operari: ita voluntas habet rationem actus primi respectu suarum volitionum quę actus secundi rationem dumtaxat habent comparate ad facultatem volitionis elicitivam. & inde nulla in Deo resultat imperfectio, cum potentia seu actus primus, ut sunt intellectus & voluntas, actum secundum, ut sunt intellectio & volitio, non præcedant nisi prioritate rationis & ordinis, non vero prioritate temporis.

Hæc tamen Dei voluntas una & simplicissima in se multiplex, est si pro vario respectu ad creaturas de illa loquamur. ac primo dividitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi: voluntas beneplaciti, quæ est proprius divinæ voluntatis actus, ea est qua reapse aliquid vult efficienter. Hac voluntate mundum, quem ex Decreto libero creavit, conservat: quosdam homines præ aliis ad gloriam prædestinat, eisque auxilia necessaria confert. voluntas signi est signum aliquod externum voluntatem designans, & dicitur

vo

voluntas, ut signum odii vocatur odium. quintuplex est hujus voluntatis signum, videlicet præceptum, prohibitio, permissio, consilium & operatio, ut hoc versu exprimitur.

præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

illa veluti totidem nostræ voluntatis signa ad Deum translata sunt a Theologis, ut facilius diversos illius voluntatis effectus significarent. Hæc voluntas signi in Deo aliquando est conjuncta cum voluntate beneplaciti circa idem objectum, ut cum Deus imperavit Noe ut arcam ædificaret, id enim præcipiebat & volebat: aliquando vero non, ut cum de immolando filio preceptum dedit Abrahæ, cujus fidem & obedientiam probare volebat, nec immolationem Isaac revera volebat. ex quo sequitur voluntatem beneplaciti esse Deo intrinsecam, ipsique proprie attribui: voluntatem vero signi extrinsecam esse, & metaphorice tantum de Deo prædicari.

Voluntas Dei secundo dividitur in antecedentem & consequentem. antecedente voluntate Deus vult aliquid nulla habita ratione circumstantiarum, hæcque circa rem generatim & per se consideratam versatur. consequente voluntate rem specialiter, suisve cunctis indutam circumstantiis vult Deus. utriusque meminit discrimen inter utramque assignans Damascenus lib. II. de fide Orthodoxa cap. 29. his verbis? „ Voluntas antecedens est, quod „ quis a se ipso vult. Consequens, quod ex eorum quæ fiunt causa proficiscitur. Nam præcedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire: verum nobis peccantibus vult nos castigari „ prout conducit ". primam dicit voluntatem bonitatis, alteram autem voluntatem justitiæ.

Voluntas Dei tertio dividitur in absolutam & conditionatam. prior nullam admittit conditionem vel hypothesim, ut videtur esse illa qua mundum creare voluit. posterior conditionem includit & hypothesim, ut fuit subversio Ninive post quadraginta dies, nisi de via sua mala converterentur Ninivitæ. & similiter percussio Syriæ a Rege Joas ad consumptionem usque, si quinquies aut sexies jaculo Rex terram percussisset. unde sequitur admittenda esse in Deo decreta conditionata.

Voluntas Dei iterum dividitur in efficacem, quæ suum semper obtinet effectum, & semper impletur, ut est ea qua vult electorum salutem: & inefficacem, quæ non semper impletur, ut est voluntas, qua hominum cunctorum vult salutem, vel qua Ninivitarum subversionem conditionate decreverat. non de qualibet Dei voluntate, sed de efficaci intelliguntur hæc verba psal. 113. omnia quæcumque voluit, fecit.

Alia tandem est in Deo voluntas necessaria, qua vult objectum necessarium, quod aliter esse non potest, ut cum vult Pater æternus generare & producere Verbum: & alia libera, qua Deus vult objectum contingens, puta conservationem Mundi, quem posset non conservare, si vellet.

Ex hoc multiplici divinæ voluntatis respectu plura Theologis occurrunt discutienda. primo, utrum omnis Dei voluntas impleatur, quod facili brevique negotio solvitur. quærunt deinde, an detur in Deo voluntas antecedens sal-

vandi omnes & singulos homines: hæc autem quæstio maximi momenti cum magnam habeat affinitatem cum morte Christi & auxiliis divinæ gratiæ, remittetur, ut moris est, ad Tractatum de Christi gratia. Tertio de voluntate Dei conditionata quæritur, an detur. & hæc quæstio soluta manet ex iis quæ dicta sunt de scientia conditionata, ex quibus sequitur in Deo admitti posse Decreta conditionata, quæ in Scripturæ & Patrum Testimoniis fundata videntur. utrum respective ad hominum actiones admittenda sint in Deo Decreta efficacia & prædeterminantia, curiosius pariter investigatur: idque diligentius perpendendum suscipiemus ubi de gratia efficaci. Demum de Dei libertate quæritur, & circa ejusdem libertatis constitutivum non parum controvertitur. hæc licet controversia cum processione Spiritus Sancti in divinis maximam atque necessariam habeat affinitatem, ratione cujus ad Tractatum de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio non immerito remittenda videretur, cum tamen pro solito, in quantum libertas est verum Dei attributum, hic de ea dicatur, de illa mox quæstionem movebimus, si prius propositæ quæstionis secundæ parti fecerimus satis. igitur sit.

ASSERTIO SECUNDA.

Sola Dei voluntas consequens & absoluta semper impletur.

PRopositionis istius veritas & certitudo neminem latebit qui adverterit esse absque dubio non semper impleri illam voluntatem Dei, quæ signi vocatur, antecedens, ac conditionata. quot enim divina aut præcepta, aut consilia, quæ sunt totidem Dei voluntatis signa hominibus manifestata, & nihilominus a permultis non implentur, ut ingrata non minus quam frequenti docemur experientia? voluntate antecedente Deum omnium hominum velle salutem concedunt & defendunt omnes Catholici, hancque non simulata sed vera ac sincera voluntate velle, ut suo tempore propugnabimus. quot tamen sint a via salutis aberrantes qui in æternum damnentur, quis hominum dinumereret? voluntates in Deo conditionatas, quę non executioni mandentur quis renueret confiteri, nisi sacrarum Scripturarum, totiusque Christianę Doctrinę prorsus ignarus? quid aliud indicant ea Davidis verba Psal. 105. *Dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus ne disperderet eos*. Nonne Regi Joas plenam de Syris victoriam ad consumptionem usque Syrię Deus concedere volebat si jaculo terram quinquies, aut sexies, sive septies Rex percussisset, ut supra observavimus juxta id quod habetur lib. 4. Regum cap. 13. Nonne urbem Ninivem volebat subvertere Deus, si intra quadraginta dierum spatium non resipiscerent Ninivitę, ut apud Jonam cap. 3. legitur?

Cum ergo legitur in Scripturis Sanctis, Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Isaię cap. 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* & cap. 46. *consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Daniel cap. 4. *juxta*

ta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti? Esther cap. 13. *non est qui possit tuæ resistere voluntati*. Roman. cap. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* quando talia leguntur in Scripturis Sanctis, & apud Patres, voluntas Dei consequens & absoluta prędicatur. & in hoc apparet supremum Dei dominium, quod ea quę sua voluntate decreverit, impedire, nec etiam retardare unico instanti nulla possit creatura. Hac omnipotentissima voluntate rerum omnium effectrice, mundum condidit Deus & conservat; *omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*, inquit Apostolus, Ephes. cap. 1. in ipso velle & operari unum & idem sunt; *quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt* ait David Psal. 32. Non tamen inde concludendum in omnibus rebus Deum necessitatem imponere, cùm id sit omnimode falsum. nec enim libertati causę liberę aliquo modo officere ille censendus est, qui voluntates nostras etiam rebelles ad se propitius compellens, miris & veris modis, servata hominis libertate flectit, regit, & agit prout ipse vult, non solum rem attingens, sed etiam modum, ut optime docet Sanctus Thomas. Sed de his fusius in Tractatu de Gratia. satis est pro nunc quod generalem de voluntate Dei notionem secundum varium respectum, quem habere potest, dederimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Deus sit vere liber: quidve importet ratio essentialis per quam intelligitur summa ipsius libertas?

IN explicando modo juxta quem conciliari possint in Deo immutabilitas ipsius & libertas, ita ut summa hæc concordia, quam inter utramque illam perfectionem nemo sensatus & fidelis negare potest, humanæ menti secundum propriam sui rationem distincte innotescat, homines mortales frustra desudare jam monuimus de Immutabilitate Dei disputantes. hac igitur supposita, nec de illa tantillum ambigentes, naturam liberi in voluntate divina pro captu nostro exposituri, observabimus de Dei operationibus ad intra, ut sunt generatio Verbi, processio Spiritus Sancti, aliique actus interni & immanentes ad divinam pertinentes essentiam, de quibus in Tractatu de Trinitate, præsentem quæstionem non moveri, sed de operationibus ad extra quæ ad creaturas terminantur.

Doctoris Subtilis a cujus sententia non recedere nos delectat, cum ipsum in rebus etiam ad fidem non pertinentibus, veritati summo ex studio semper consuluisse, ex assidua ipsius lectione habeamus compertum, Doctoris, inquam, Subtilis principiis adhærenter in nostris Theologico-moralibus exercitationibus circa actus humanos, duplicem agnovimus libertatem: essentialem unam, quæ sequitur naturam voluntatis, quæ ex dominio quod habet in suos actus, ad illos se determinat, & in illos fertur ex delectatione & complacentia, quamvis ab iis nec possit nec velit abstinere. alteram con-

tingentiæ, quæ est secundum electionem, & a libertate essentiali non excluditur, sed necessitatem non minus quam coactionem ipsa excludit. unde est de natura actus liberi & contingentis quod possit esse, vel non esse. indifferentiam tamen seu suspensionem, aut indeterminationem actus, quam ad meritum & demeritum includit libertas humana, non admittit divina libertas: quod enim vult Deus, semper & ab æterno voluit. intrinsecam Deo esse libertatem, quæ est perfectio simpliciter simplex, ideoque cum natura Dei realiter identificatam negaverit ex Calvinistis Vorstius, actum Dei liberum vel decretum ejus dicens quid accidentale in Deo, & ab ipsius natura distinctum, quid refert? certum est inter Theologos ac indubitatum post Divum Augustinum nihil esse in Deo per modum accidentis, quod cum summa ejus simplicitate stare nequit. libertate contrarietatis qua sicuti ad bonum ita ad malum ferri potest creata voluntas, liberam non esse divinam voluntatem non est quod hic observemus, cum nullus contradicat. in constituenda essentia divinæ libertatis, vel assignanda ratione juxta quam explicetur & intelligatur natura actus liberi in Deo, in varias sententias abeunt Theologi, qui pro majori parte minus a se invicem distant in re, quam in modo loquendi, eo intricato magis, quo plus immutabilitatis Dei & libertatis concordiam ex eo intelligi existimant. omissis omnibus iis opinionum differentiis, quid tenendum probabilius nobis videatur id proponemus.

ASSERTIO PRIMA.

Vera & proprie dicta libertate circa objecta ad extra ditatur Deus.

DEum cuncta operari prout vult, & quæ vult nulla ductus necessitate sed ex arbitrio, & juxta voluntatis suæ decretum, ubique testantur libri Sacri. psal. 113. omnia quæcumque voluit fecit. Eccli. cap. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*. epist. 1. ad Corinth. cap. 12. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. ad ephes. cap. 1. *operantur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. eodem modo, iisdemque verbis loquuntur omnes Patres, qui expressius veram & proprie dictam libertatem in Deo non poterant commendare. & in hac certitudine fundatur spes nostra in gratiis & beneficiis, quæ ab ipso præstolamur in orationibus, quasve minus ferventer funderemus, si votis nostris annuens Deus, non posset quæ ab ipso petimus, nobis ad placitum non concedere. & in eo potissimum refulget supremum Dei dominium in creaturas, quod nihil circa eas operetur ex necessitate; idque maximam in illo denotat perfectionem, quæ si deesset ita ut non posset Deus agere vel non agere pro arbitrio, non posset dici ens summe perfectum: ex eo enim melius illo aliquid excogitare tunc poterimus: illud ens videlicet quod erit suis juris, & nullam habebit causam actus sui quam ipsam voluntatem suam se libere determinantem.

Nec

Nec est quod opponatur in Deo non posse supponi indifferentiam, quæ suspensionem actus & veluti dubium circa eligenda significet: id enim libertati humanæ evenit ex ipsius limitatione tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, quando homo anceps & veluti inops consilii quid agat nondum decrevit. id enim ultro concedimus, & quamdam in Deo imperfectionem argueret. verum licet passiva hæc indifferentia in illo admitti non possit, quia indeterminatio in Deum cadere non potest, admittenda nihilominus est indifferentia activa, quæ est de natura libertatis, quia Deus ad certum quid agendum non alligatur, & ad opus novum, non novum sed sempiternum adhibet consilium, ut aliquando dixit Augustinus.

Nec dicatur incompossibilem esse libertatem in Deo cum ipsius immutabilitate. a tali cogitatione cessabit, quisquis attenderit illud omne liberum in Dei operibus, quod mutabilitatis speciem ferre nobis videtur, se tenere non ex parte Dei, sed ex parte objecti terminantis divinam voluntatem, cujus volitio, quæ temporalis est quantum ad productionem termini contingentis, fertur ab æterno libere & contingenter in illud objectum, quin illa successio atque etiam mutatio hujusmodi objectorum circa quæ versatur Dei voluntas, in ipsam vel minimum influat. Hæc enim divina voluntas, sicuti & volitio quam producit, fixa & immobilis intrinsece perseverat, cum sit æterna, quamvis illius terminus qui est quid vere extrinsecum, si in se ipso spectetur, sit necessario mutabilis, & nihil de immutabilitate Dei participet præter illam rationem objectivam quam ab æterno habet relative ad illius voluntatem, quæ ex libera & contingenti etsi æterna determinatione tendit pro tempore in illud objectum, quod actu libero illud producente, existentiam nihilominus contingentem, ex illius voluntatis divinæ decreto est statutis & immutandis temporibus ac momentis habiturum. ex quo ut fieri potest, intelligitur immutabilitati Dei nullomodo derogare divinæ voluntatis libertatem, nec huic ipsius libertati quidquam detrahi per ejus immutabilitatem: proindeque immutabilitatem simul & libertatem esse divinæ voluntatis perfectiones in Deo ab invicem inseparabiles, quæque etsi versentur aliquando circa idem objectum, minime inter se pugnant, cum secundum diversum respectum utraque illa perfecto in illud feratur.

ASSERTIO SECUNDA.

Libertas in Deo est ipsa ejus voluntas, quatenus ex vi electiva ipsi intrinseca & essentiali illam formaliter liberam constituente, antecedenter ad decretum a quo potuit abstinere, fertur in actum qui potuit esse & non esse, & terminatur ad objectum ipsi extrinsecum & contingens.

HAc definitione aut melius descriptione, recte videtur explicari natura libertatis in Deo, simulque formalis ratio actus liberi, & minus reperitur difficultatis ad conciliandam libertatem Dei cum ejus immutabilitate. libertas enim voluntatis quæ electionem dicit, licet in Deo absque ulla suspe-

suspensione & indeterminatione, debet esse quid intrinsecum Deo & non superadditum. Hæc autem vis electiva voluntatem constituens formaliter liberam, est intrinseca, illique essentialis adeo, ut sequatur naturam voluntatis, quæ sine illa esse nequit. & eadem ratione actus elicitus a voluntate per vim hanc electivam ipsi intrinsecam, est Deo quid intrinsecum. actus autem in quem fertur voluntas ex vi electiva, potuit esse vel non esse, & ideo est liber, alioqui esset necessarius. est enim de ratione actus liberi quod possit esse vel non esse, per quod differt ab actu necessario qui non potest non poni. & ita liber est actus ille divinæ voluntatis, ut Deus nedum potuerit creaturas suas producere vel non producere, sed ita ad illarum productionem se determinavit ab æterno, ut potuerit ad illam non se determinare. repetitur autem libertas illius actus in Deo ex connotatis, cum in illud objectum potuerit pro arbitrio se ferre potius quam in aliud, & unum præ alio connotare: nam penes entitatem suam necessarius esset actus ille, qui terminatur ad objectum Deo extrinsecum & contingens: sunt enim quid vere contingens & voluntati divinæ extrinsecum creaturæ ab illa productæ. & unicus est in Deo simulque æternus ille actus, nullum de novo elicit, nullum deperdit; unde immutabilitati non officit libertas in Deo.

Dixi ex vi electiva voluntatem constituente formaliter liberam, quia erat assignandum illud constituens libertatem in Deo. actus liber constituitur talis quia elicitur a potentia libera & modo libero: potentia vero libera constituitur præcise libera per intrinsecam essentialem illam vim ratione cujus pro nutu ad id vel illud est indifferens. additum est antecedenter ad decretum a quo potuit abstinere. posito enim decreto voluntas jam non est proprie indifferens, & determinata. est tamen actus semper liber, quia consequens est ad decretum a quo voluntati liberum fuit abstinere, & objectum ad quod terminatur non deperdit suam contingentiam, ex eo quod decretum ipsum etiamsi immutabile, est semper contingens quia potuit non ferri. quibus ita expositis bene intelligitur natura libertatis in voluntate Dei, & natura actus liberi qui participat naturam potentiæ a qua elicitur, & cum qua realiter identificatur. ad solutionem ergo eorum quæ opponi possent, & bene intellecta minoris sunt momenti, distinguendum est inter libertatem & actum liberum, seu actuale libertatis exercitium. libertas in Deo pertinet ad ipsius naturam, & est verum & necessarium attributum divinitatis, cum Deus nec esse, nec possit concipi sine libertate qua possit ad extra agere, vel non agere. actus vero liber qui ratione termini & objecti est contingens, quique proinde potuit non poni, est effectus vel potius exercitium istius facultatis quæ est in Deo vera perfectio, licet rationem veram perfectionis non habeat tale exercitium.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

An & quid sit providentia in Deo?

AMorem quo necessario, libere tamen, se amat Deus, ipsi esse rationem totam & unicam amandi ea omnia quæ sunt extra ipsum, cum nemo de Deo optime sentiens inficiari queat, dicente Scriptura quod (*prov. cap.* 10.) universa propter semetipsum operatus est Dominus, non immerito ex illo amore quo cuncta quæ creavit & conservat, prosequitur, colligendum videtur ipsum omnibus providere, & tamquam causam universalem & infinitam res omnes, ut recte ac congruenter gubernentur, providentia sua complecti. generalem hanc providentiam, qua Deus regit res. Secundum quod natæ sunt regi, ut ait Scotus, juxta illud quod habet Augustinus, " res quas condidit, sic administrat Deus, ut eas suos motus agere sinat: „ cum Epicureis Philosophis a Deo removent impii, nullam divinam providentiam præesse rebus humanis opinantes, animos & corpore fortuitis casibus committentes: a quibus parum distare censendi sunt illi, de quibus idem loquitur Augustinus lib. 3. de libero arbit. cap. 2. qui quamquam negare non audeant præsidere humanæ vitæ providentiam Dei, de ea nefario errore pessime sentiunt. generalem hanc providentiam, specialemque rerum omnium curam & gubernationem ex parte Dei contra illos omnes defendemus veram illius ideam subministrantes.

ASSERTIO UNICA.

In Deo est vera ac proprie dicta providentia omnia complectens: & illa dici debet, dispositio æterna divinæ voluntatis, juxta quam omnia & singula in suos proprios fines per sufficientia seu convenientia media diriguntur.

SUmmam illam rebusque omnibus invigilantem Dei providentiam celebrant Libri Sacri, simulque ostendunt ea, quę ab hac recedere magis videntur, ipsi subjacere, & ab illa occultis sed veris modis regi: atque etiam ad minutissima animalia usque illam se extendere testantur. sic in Libro Judith cap. 9. in oratione sua Deum alloquens hęc vidua ait: *hoc factum est quod ipse voluisti, omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti*. & cap. 11. *hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei*. ipsius providentiam commendans David Psal. 32. in hæc verba prorumpit. *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. de præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram: qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. Eccle. cap. 5. habetur: *neque dicas coram Angelo, non est providentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum*. Sap. cap. 14. *tua autem, pater, providentia gubernat*. cap. 17. *fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt*. cap. 6. *pusillum & magnum ipse fecit, &*

æqua-

æqualiter cura eſt illi de omnibus. cap. 8. *attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Matth. cap. 6. *reſpicite volatilia cæli, ... pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* cap. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt : & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*. omnibus invigilare Dei providentiam, & juxta æternam ipſius voluntatis diſpoſitionem ad proprios fines ea dirigi aperte ſignificat illud Proverbiorum cap. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur* . Hinc apud Iſaiam cap. 45. prędicens quę per Cyrum ipſe facturus erat Deus, conſilium ejus ipſe recturus , ait , *ego Dominus, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc*.

Quam commendetur a Sanctis Patribus hęc immenſa Dei providentia omnia regens , cuncta gubernans , omneſque res ſupremo cum imperio dirigens, quem hominum latet? unum ergo, ne longius in dicendo progrediamur , pro omnibus loquentem audiemus Auguſtinum lib. 5. de Geneſi ad litt. cap. 21. & 22. ubi totus eſt in vindicanda providentia, quam ex multiplici ipſius effectu oſtendit , impios omnes , Athęos , Deitas , Socinianos , Philoſophos cum Manichæis convellens. " Non fruſtra de ſapientia ſcriptum „ eſt, inquit, quod amatoribus ſuis oſtendit ſe in viis hilariter, & in omni „ providentia occurrit illis. Nec omnino audiendi ſunt, qui putaverunt ſublimes quidem mundi partes, id eſt a confinio corpulentioris aeris hujus & „ ſupra, divina providentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam „ & humidam aeriſque hujus vicinioris qui terrarum & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti nubeſque conſurgunt, caſibus potius & fortuitis motibus agitari. contra hos enim loquitur pſalmus, qui cum expli„ caſſet laudem cæleſtium, ſe etiam ad iſta inferiora convertit, dicens, lau„ date Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi: ignis, grando, nix, „ glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam „ videtur caſibus volvi, quam omnes iſtæ procelloſæ ac turbulentæ qualita„ tes, quibus cæli hujus inferioris, quod non immerito etiam terrę nomi„ ne deputatum eſt, facies variatur & vertitur. ſed cum addit, quæ faciunt „ verbum ejus, ſatis oſtendit earum quoque rerum ordinem divino ſubditum „ imperio, latere nos potius quam univerſitatis deeſſe naturæ. quid autem „ ore ſuo Salvator, cum dicit unum paſſerem non cadere in terram ſine „ Dei voluntate, & quod fœnum agri poſt paululum mittendum in cliba„ num, ipſe tamen veſtiat, nonne confirmat non ſolum totam iſtam mun„ di partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verum etiam „ viliſſimas ejus, abjectiſſimaſque particulas divina providentia regi? & qui „ hoc negant, ſi in hac mundi parte, quam putant fortuitis motibus per„ turbari, potius quam ſapientia divinæ ſummitatis regi.... viderent tan„ tum ordinem, quantus in membris carnis cujuslibet animantis apparet... „ nonne clamarent ne puncto quidem temporis Deum, a quo eſt omnis „ menſurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, „ ab ejus gubernatione ceſſare? quid ergo abſurdius, quid inſultius ſentiri „ poteſt,

„ poteſt, quam eam totam eſſe vacuam nutu & regimine providentiæ, cu-
„ jus extrema & exigua videas tanta diſpoſitione formari, ut aliquanto at-
„ tentius cogitata, ineffabilem incutiant admirationis horrorem? & cum ani-
„ mæ natura naturæ corporis antecellat, quid eſt dementius quam putare
„ nullum eſſe divinæ providentię judicium de moribus hominum, cum in
„ eorum carne tanta ejus ſolertiæ clareant & demonſtrentur indicia? " qui-
bus verbis nihil luculentius afferri poteſt.

Verum quid in oſtendenda aſſertionis veritate ex Scripturæ & Patrum te-
ſtimoniis immoramur, cum fidei ipſa ſuffragatur ratio? Hac enim duce pro-
videntiam in omnibus agnovere quamplures Philoſophi. " De providentia
„ Plotinus Platonicus diſputat, eamque a ſummo Deo, cujus eſt intelligibilis
„ atque ineffabilis pulchritudo, uſque ad hæc terrena & ima pertingere, flo-
„ ſculorum atque foliorum pulchritudine comprobat: quę omnia quaſi objecta &
„ velociſſime pereuntia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non
„ poſſe confirmat, niſi inde formentur, ubi forma intelligibilis & incommuta-
„ bilis ſimul habens omnia perſeverat. " inquit Hipponenſis lib. 10. de civit.
cap. 14. & inde Philoſophi, præcipueque Platonici, ait cap. 14. " rectius
„ cæteris ſapuiſſe laudantur, quod divinam providentiam hæc quoque rerum
„ infima atque terrena adminiſtrare docuerunt. " & revera quis naturam
ipſam clamantem audiens, etſi religio taceret, non agnoſcit mundum quem
novit a ſupremo & infinito ac æterno opifice conditum, conſervari & per-
ſeverare non poſſe ſecundum ſuarum partium mirabilem ſtructuram ſi tolla-
tur ſpecialis hæc Dei providentia & gubernatio? Dicant Sociniani iniquita-
tem adverſus Deum loquentes, quid reperire ſit in univerſali & ſpeciali re-
rum directione per neceſſariam & indefectibilem Dei providentiam, quod
rationi adverſetur, vel quod repugnantiam quamdam involvat. Nonne ma-
gis rectam rationem offendit omnia caſu & fortuito fieri, vel ex oppoſito
cuncta ex neceſſitate evenire? & unde illa neceſſitas quam legem univerſa-
lem, juxta quam omnia peraguntur, ſupponunt? an ex primitiva rerum con-
ſtitutione adeo in ſuo ordine perfecta, ut abſque ulla cauſa extrinſeca ef-
ficiente, invariabili ſucceſſione res omnes perpetuis motibus nihilominus
obnoxię ab illo ordine nullo modo recedant? ſed unde illa fixa & perma-
nens conſtitutio quę ſui ipſius cauſa eſſe non poteſt, ſi ab agente ſuperiore,
infinito, omnipotente, cujus ęterna ſapientia cuncta regantur, originem non
habet? quid ſit illa indefectibilis Dei providentia, quomodo res cunctę, cu-
juſcumque ſint ordinis, ipſius ſubjaceant directioni, non intelligunt: eſto.
at forte melius intelligunt quid ſint caſus, fortuna, fatum, natura, neceſ-
ſitas, juxta quorum imperium omnia componuntur: ſi intelligunt, & aliud
velint præter Dei unius per ſe exiſtentis, rerum omnium conditoris atque
rectoris providentiam, mentem ſuam ipſi aperiant, & aliquid, quod rectę ra-
tioni non adverſetur nobis loquantur. quod ſi non intelligunt, vel nihil
habent dicendum quod recta ratio ferre queat & probare, ut quid hanc per-
petuo adorandam ſupremi Numinis cuncta diſponentis providentiam; ipſius
beneficiis ingrati, non inſcite minus quam impie blaſphemant?

At homines illos sua abutentes ratione, ipsique, ut fidei christianæ contradicant, vim facientes relinquamus, cum illis acturi qui catholicæ veritati aliunde adhærentes, de divina tamen providentia non satis recte sentiunt, ex variis quæ in mundo contingunt mala Deo permittente qui ea tollere posset, adversus illa scandalum sumunt, dum viam impiorum prosperantem cernunt, bonis & justis interea vitam in amaritudine animæ suæ degentibus. Hæc omnia Dei providentiam non evertere sciant, quæ ex occulto ipsius consilio evenire fides simul & ratio testantur. quęcumque tollere mala Deum posse si vellet quis ignorat? si illa non tollit, nec ex imbecillitate, nec ex invidia, quę in Deo non est, id oritur, ut Epicuro talia opponenti respondebat Lactantius lib. de ira Dei: sed ad summam ipsius sapientiam est referendum, cujus vię omnes sunt justitia & veritas. quot bona oriantur, Deo sic disponente, ex innumeris malis quæ undique circumstant, quis numeraret? Deus summe bonus, summe sapiens, qui mala esse non sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset, ut ait Augustinus, potentius & melius esse judicavit, etiam de malis benefacere, quam mala esse non permittere. Neque ipsius providentię magis adversantur calamitates quibus flagellamur, quam monstra quæ in mundo nascuntur. Judicia Dei abyssus multa: & in prosperitate impii, & in adversitate justi relucet summa ipsius ęquitas: utraque enim ex altissima Dei sapientia proficiscitur. ad majorem gloriæ suæ ostensionem impiorum felicitatem, bonorum miseriam permittit Deus, illorum quædam bona opera moralia temporali prosperitate præmians, istorum temporalem miseriam veramque justitiam in perpetuas æternitates coronaturus. desinant ergo quicumque sint divinæ providentiæ obtrectatores, & ex iis quæ videntur, etiam in occultis veneranda ipsius vestigia intelligere discant.

Nec quis insipienter dicat absurdum esse, si de minutissimis animalibus vilissimisque rebus Deo cura tribuatur. unde enim illud absurdum repeteretur, & quid Deum dedecet, si ad reptilia usque, viliorave animantia, quæ suum esse ab ipso participant, paternam suam providentiam extendat; cum rem sic se habere laudata superius verba Christi confirment? Nec de illis Deo esse curam insipienter asseritur. His omnibus generali quadam providentia & sigillatim invigilat. absurdum esset cogitare, & in insipientia diceretur, Deum non aliter creaturis rationabilibus quam irrationabilibus providere. singulari ac speciali providentia hominibus consulere Deum, illosque rebus cunctis anteponere, & multo magis curare certissimum est: & naturalem ordinem rerum, cui in omnibus consulit Deus, everteret qui unicum providentiæ modum in illo admitteret. " Non simus tam fatui adulatores „ Dei, inquit Hieronymus, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahi„ mus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irratio„ nabilium providentiam esse dicentes. " unde videtur pro diverso rerum ordine diversam posse admitti in Deo providentię indefectibilis rationem.

Ex hucusque dictis intelligitur, optimam esse quam tradimus divinæ providentiæ descriptionem, dum illam dicimus æternam dispositionem divinæ volun-

voluntatis, juxta quam omnia & singula in suos proprios fines per sufficientia seu convenientia media diriguntur. est igitur immutabilis illa dispositio, cum sit æternus divinæ voluntatis actus. omnia complectitur, nihilque est in rerum universitate quod ipsius dominio se subducere possit; & juxta hanc immutabilem & æternam divinæ voluntatis dispositionem omnia & singula diriguntur in suos proprios fines: neque enim possunt dirigi in fines qui non ipsis proprii sint: nam in illo casu non esset directio, sed deviatio a regula, cum hoc supposito non regerentur res secundum quod natæ sunt regi, id est per media opportuna & apta ad finem consequendum: & nisi quædam sit proportio habitudinis inter media & finem in quem tendere debent, numquam attingetur finis, quod vere esset contra ordinem providentiæ, & non potest supponi, cum divina providentia in sui dispositione non fallatur. ex illa descriptione colligitur, providentiam de omnibus esse æqualem ex parte actus, inæqualem vero in effectibus & terminis.

Quæritur, An divina providentia finem suum semper assequatur, adeo ut finis consecutio sit de ipsa ratione providentiæ?

Resp. De ratione providentiæ est quod semper suum finem assequatur. Duplex est autem finis: specialis unus, qui est finis ultimus creaturæ: universalis alter, qui est finis Dei providentis, & aliud non est quam manifestatio attributorum Dei. Hunc generalem finem, qui finis operantis Dei dici potest, semper assequitur divina providentia, etenim in omnibus & per omnia suam gloriam Deus ostendit: in remunerando manifestans misericordiam, si finem specialem creaturæ assequatur ipsius providentia: in vindicando justitiam, si illum non assequatur; sicque verissimum est quod dicit Divus Augustinus, nullam esse creaturam, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat. & inde intelligitur finem specialem rerum quæ ipsi subjiciuntur divinam providentiam non assequi semper. finis creaturæ rationalis est beatitudo æterna: at quot inter homines sunt qui illam non consequuntur? De ipsa igitur ratione providentiæ est finis consecutio: finis saltem ejus generalis, si non semper finis specialis.

QUÆSTIO QUARTA.

An & quid sit prædestinatio in Deo?

VAlde remotam esse a sensibus carnis hanc Scholam in qua Deus auditur & docet, lib. de prædest. Sanct. cap. 8. clamans Augustinus, quid aliud nobis significasse videtur, nisi divina prædestinationis & gratiæ Mysteria, in quibus caligat humana mens, non esse ratione naturali metienda. & revera, quemadmodum natura nihil meriti confert ad dona gratiæ, quæ gratis omninò donatur a Deo sine ullo ad meritum naturæ respectu, ita naturales rationes ab humano sensu depromptæ, & naturali ingenio excogitatæ, parum ad intelligentiam mysteriorum ejusdem gratiæ proficiunt. Hinc ipse Sanctus Doctor, qui in re prædestinationis & gratiæ naturales rationes

noverat non valere, noluit in hac quæstione subtilitatibus uti, quibus ingeniosissimus & doctissimus, ut ingeniose observavit noster Macedo, multum valebat, & in aliis controversiis usus fuerat adversus Manichæos, Arianos, & Donatistas, sed solis testimoniis Scripturarum & Patrum Pelagianos & Semipelagianos voluit confutari. Non ergo humanas cogitationes ad rimanda hæc mysteria adhibeamus; sed Scripturam & Sanctos Patres, Augustinum imprimis consulentes, in solvendis, quod sumus tractaturi, quæstionibus, veritati diligenter studeamus.

Prædestinatio, quæ vi nominis significat quamdam voluntatis dispositionem ad aliquem finem, hic sumitur pro actu divinæ voluntatis per æternum suum decretum eligentis quos ex misericordia vocat sive ad gratiam sive ad gloriam. in malam nihilominus partem quandoque sumitur, potissimum a veteribus sæpe dicentibus de reprobis, illos esse prædestinatos ad interitum, ad pœnam, ad supplicium æternum. ipseque Divus Augustinus aliquando sic loquitur, ut lib. 15. de civit. cap. 1. lib. 21. cap. 24. Tract. 49. in Joan. in Enchiridio cap. 100. his verbis: *bene utens & malis tamquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam*. verumtamen in bonam partem plerumque accipitur. præscientiæ nomine aliquando significatur prædestinatio, ut cum dicit Apostolus Epist. ad Romanos cap. 11. *non repulit Deus plebem suam quam præscivit. Hoc quod ait præscivit, non recte intelligitur, nisi prædestinavit*, inquit Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 17.

Ejusdem libri cap. 14. quid prędestinationis nomine relative ad electos sit præcise intelligendum docet S. Doctor veram & distinctam ejus definitionem tradens, quam fere omnes Scholastici, Magistro sententiarum duce, amplectuntur. *Prædestinatio*, inquit, *est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*. Ex hac loquendi ratione aliquod dubium oritur apud nonnullos, quibus quidquam difficultatis esse videtur circa illud quod in definitione prædestinationis intelligendum voluerit Augustinus nomine præscientiæ, & nomine beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicumque liberantur. at licet per præscientiam alii scientiam simplicis intelligentiæ significari contendant; alii scientiam suam mediam adeo reputantes necessariam, ut sine illa cunctarum rerum exploratrice prudenter se determinare Deus nequeat, illam intelligant de scientia conditionatorum ab humana voluntate eliciendorum, certissimum videtur majori Theologorum numero præscientiam de qua loquitur Hipponensis, esse scientiam visionis, per quam prænovit Deus quid circa suos electos & in ipsis est facturus. & illud indicant ipsius verba lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *prædestinatio sine præscientia esse non potest: potest autem sine prædestinatione præscientia. prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. præscientia illa est eorum quæ vere sunt futura: est enim cognitio prævia mediorum illorum quæ ad salvandorum efficacem electionem seu liberationem præparat Deus. & hæc necessario præcedit prædestinationem, quæ si non dirigeretur, ut ita dicam, per præscientiam qua cognoscitur virtus & efficacia beneficiorum gratiæ quæ libe-

liberandis præparantur, posset effectu suo fraudari decretum Dei prædestinantis, si ex impossibili infallibilia & efficacia semper non forent divina decreta; quia hac præscientia non præcedente in tali hipotesi prædestinationem, nec illam quadamtenus dirigente, posset non reperiri necessaria connexio inter prædestinationem & media seu beneficia quæ illam infallibiliter & efficaciter comitantur: quod cum dici non possit, sequitur præscientiam de qua agitur non esse conditionatam scientiam sed absolutam cognitionem eorum quę electis suis præparat Deus, & præparari non possunt nisi a Deo prænoscantur. Deus ergo juxta Augustinum unico & indivisibili absoluto suæ voluntatis decreto pręscit, pręparat, predestinat.

Hinc facile intelligitur definitionem allatam omnia explicare, quę in prędestinatione continentur, in quantum juxta Apostoli doctrinam nectit utramque præscientiam & pręparationem, monstratque pręscientiam antecedere voluntatem ostendendo rationem prędestinandi. pręparatio significat intentionem voluntatis sive propositum Dei ordinantis, & eligentis beneficia pręscita ad salutem ęternam eorum qui liberantur ex massa damnationis, in qua omnes posteri Adæ ratione peccati ipsius includuntur, nisi per propositum Dei miserentis ab illa damnatione liberentur. & apertissime declaratur Sancti Doctoris mens per verba immediate tum præcedentia, tum subsequentia definitionem. *an quisquam dicere audebit*, inquit laudato capite 14. libri de dono persev. *Deum non præscisse quibus daturus esset ut crederent, aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare præscivit . . . . cæteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur?* His expositis nullum supererit dubium circa beneficia quę liberandis pręparantur, quęque significant in allata definitione tum gratię, tum glorię ęternę munera: mentem suam sic exprimente Augustino lib. de prędest. Sanct. cap. 10. *inter gratiam & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero jam ipsa donatio.* & infra: *quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.*

Circa prędestinationem, pręter Astrologos, Manichęos, Priscillianistas fatum & necessitatem ex syderum influxu statuentes, & alios cum Valentino, Basilide, Marcione arbitrantes quemlibet natura sua bonum vel malum, salvandum vel reprobandum nasci, errasse Pelagianos ac Semipelagianos a pręcedentibus in multis parum dissimiles, ex variis in ipsos Divi Augustini scriptis compertum habemus. circa prędestinationem singulari modo opinatus est Ambrosius Catharinus ex ordine prędicatorum insignis Theologus, cui plures etiam ex suis parum pepercere, erroris ipsum hoc in capite insimulantes. Duplicem salvandorum ordinem, duplicemque prędestinandi modum excogitavit: unum eorum qui superioris sunt excellentię ac meriti, ut Sanctissima Dei genitrix Maria virgo, Apostoli, aliique virtutibus & miraculis illustres, quibus a Deo singulariter prędestinatis, talia conferuntur gratię dona, ut ex iis infallibiliter obtineant paratam sibi gloriam. alterum eorum qui meriti inferioris nullo speciali decreto prędestinati, sed communi providentię reli-

relicti, & communibus gratiç auxiliis fufulti a Deo prçfciuntur falvandi, licet nullo efficaci adjutorio fubtrahantur a perditione; quo pofito alii quam illi quos Deus per abfolutum & efficax decretum ab çterno liberare flatuit, a maffa damnationis liberarentur. Hunc Theologum ab errore ut vindicet Tournely, illum exiftimat voluifle dumtaxat electos primi ordinis prçdeftinari gratuito & ante meritorum prçvifionem; falvando vero alterius ordinis confequenter ad merita ipforum a Deo prçvifa prçdeftinari: fed nullam fufficientem reddit rationem cur de illo ita fentiat. nulla videtur cenfura fuiffe notatam Catharini opinionem intricatam fatis, ex qua fequitur non determinari a Deo numerum falvandorum, qui tamen ex ejus prçfcientia certiffimus eft.

ASSERTIO UNICA.

Admittenda eſt in Deo prædeſtinatio Sanctorum, quæ eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur: ad quam illi ſoli qui pertinent æternam ſalutem conſequentur.

IN Sacris Scripturis & Patrum doctrina divinç prçdeftinationis veritatem niti adeo certum eft, ut vix Chriftiani nomine fit donandus, qui certum & immutabile decretum in Deo non agnofcit, quo ab çterno quosdam prç aliis falvare voluerit. *quos prædeſtinavit* inquit Apoftolus ad Rom. cap. 8. *hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* & Ephef. cap. 1. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti .... prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ .... Nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* & adeo eft juxta catholicæ fidei principia hæc de qua loquimur prædeftinatio, ut a fide defecerit qui eam negat. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe:* inquit Auguftinus lib. de dono perfev. cap. 19. *Nimiæ contentionis eſt prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare*, ait cap. 21. & cap. 23. dicit: *Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova ſolicitudine nunc defenditur, numquam Eccleſia Chriſti non habuit.* Hinc Sanctus Fulgentius lib. de fide ad Petrum inter opera Auguftini hæc habet cap. 35. feu Reg. 32. *firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos a Deo.*

Et revera quid aliud prædeftinationis nomine fignificatur quam divinæ voluntatis decretum quo ab æterno efficaciter ftatuit quibufdam dare gratiam & gloriam. illud autem in Deo admittendum effe decretum fuadet ratio, cum Deus nihil in tempore operetur quod ab æterno non decreverit. quibus ergo gratiam & gloriam donat in tempore, utramque illis donare ab æterno decrevit. alioquin dici poffet illud quod fit a Deo & gratiæ ipfius beneficio, fieri contra vel præter intentionem & voluntatem ejus, cum circa

ea illud non esset decretum: quod quam sit absurdum nemo non videt.

Est autem prædestinatio, ut diximus ex Augustino præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. & per hæc verba intelligitur tota, ut ita dicam, divinæ prędestinationis œconomia. videt Deus in sua pręscientia, quos ex massa damnata electurus est. His pręordinatis per propositum Dei eligentis, voluntas per hanc pręscientiam immediate dirigitur ad pręparationem mediorum, per quę certissime liberentur illi pręordinati sive discreti per propositum Dei miserentis. Non speculativa tantum est hęc Dei prędestinatio, sed magis est practica, quę futura beneficia pręparat, & certa est ac determinata, ut discreti & separati a massa damnata per propositum, sint infallibiliter liberati, secundum certissimam scientiam, & infallibilem providentiam. & hanc esse mentem Augustini in sua prędestinationis definitione patet, ex eo quod hęc pręscientia non versatur circa electionem hominis prędestinati, sed circa pręparationem beneficiorum respectu illius. homo enim non pręparatur, sed eligitur, eique electo fit illa pręparatio, veluti fini cui media pręparantur ad gloriam, ad quam dirigitur consequendam. Huic Sancti Doctoris definitioni stans Scotus illam sic explicavit in 1. dist. 40. *prædestinatio*, inquit, *proprie sumpta dicit actum voluntatis divinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam, alicujus creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam & gloriam*.

Quod autem versetur illa definitio in præparatione beneficiorum supposita electione hominum, quibus ea prædestinatio, sive præparatio, fiebat in præscientia determinata post propositum electionis eorum, ostendit Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 7. firmitatem electionis, infallibilitatemque effectus illius pariter ostendens his verbis. *quicumque ergo ab illa originali damnatione divinæ ista gratiæ largitate discreti sunt: non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant; & si quando exorbitant correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa Misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ*. ex quibus colligitur, præscientiam in definitione positam, non ad prædestinatos, qui jam sunt discreti per propositum Dei, ex quo sequitur ipsa præscientia, seu præparatio beneficiorum, respectum dicere, sed ad beneficia præparanda.

Illos dumtaxat qui ad illam pertinent prædestinationem, quive sunt electi secundum propositum Dei miserentis, esse salutem æternam consecuturos, habetur ex Scriptura, quæ dum de prædestinatis & electis loquitur, non quorumdam meminit, sed de omnibus salvandis sermonem habet; de quibus dicit quod ipsis paratum sive destinatum sit Regnum Cœlorum. & aliunde si alii præter prædestinatos salvarentur, & nullum circa ipsos daretur efficax Dei decretum, ex quo sequeretur pro illis præparatio mediorum ad gloriam infallibiliter conducentium, quibus censentur carere. cum communi

muni providentiæ juxta Catharinum relinquantur, communi gratiæ auxilio, non vero speciali immediatam cum salvatione connectionem habente, suffulti, per semetipsos a massa damnata liberarentur, sicque in se & non in Deo gloriarentur, cum non a Deo essent discreti, sed a se ipsis: quod est contra Apostoli doctrinam, cui parum consulens Catharinus a veritate recessit, de occultissimo prædestinationis mysterio longe aliter quam Augustinus sentiens, a Pelagianorum aut Semipelagianorum placitis in suo intricatissimo commento parum alienus. circa illius opinionem omni carentem fundamento, quoquo modo intelligatur, non insistemus.

Vana prorsus & fere inepta sunt quæ a Semipelagianis & eorum reliquiis, ad nauseam usque recantata opponuntur ad impugnandam divinæ prædestinationis veritatem, ipsis dicentibus doctrinam de prædestinatione multos in desperationem adducere, multos ex adverso in temerariam præsumptionem ex infallibilitate divini decreti, & ex illa oriri libertatis deperditionem. hujusmodi oppositionibus sæpe adeo fuit factum satis, ut nihil virium amplius habere possint; & ad earum solutionem homini digne de Deo cogitanti sufficit rationis naturale lumen. & aliunde ubi de gratia efficaci agitur eædem recurrunt difficultates, si quæ sint ibi solvendæ.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum prædestinatio ad gloriam sit ita gratuita, ut meritorum prævisionem præcedat. & nullam habeat causam præter gratuitam Dei prædestinantis voluntatem.

PRædestinationem liberum esse divinæ voluntatis actum mere gratuitum, quo nulla habita ratione meritorum, sive ex viribus naturæ in ordine morali, sive ex gratiæ auxiliis in ordine supernaturali, acquirendorum, Deus per suam Misericordiam ex motu proprio quosdam discernit ex massa perditionis, aliis cunctis in ea relictis, illos ad æternam prædestinans beatitudinem, ipsisque nedum generalia gratiæ auxilia præparans, sed etiam efficacia & specialia ejusdem gratiæ beneficia quibus infallibiliter, certoque beatitudinem consequantur, intervenientibus in executione divini decreti ad æternæ gloriæ adeptionem meritis ex parte electorum per media ipsis in intentione Dei efficaciter præparata comparandis, defendunt & invicto robore propugnant Theologi, qui Sancti Augustini doctrinæ indefectibiliter adhærentes mentem ipsius verius videntur assecuti. Alii ex adverso, ejusdem licet, ut volunt, Sancti Doctoris nixi doctrina, rationem prædestinationis illorum qui ad æternam felicitatem eliguntur a Deo, desumunt ex prævisione meritorum quæ gratia supernaturali auxiliante sunt adepturi. Deus juxta eorum principia omnium hominum non dissimili voluntate vult salutem, nulla erga quosdam præ aliis ductus prædilectione: unde omnes salvos fieri æqualiter volens, media necessaria & sufficientia ad salutem singulis confert, eos ad cælestem eligens gloriam, quos pro virtute mediorum illorum bene operaturos prævidet,

det, & usque in finem perseveraturos. quænam ex duplici hac Theologorum sententia, quæ in præsenti quæstione in utramque partem agitata, ad fidem non pertinet, probabilioribus nitatur fundamentis, valde controvertitur. posterior quæ ponit hominum merita ad instar causæ moralis Deum moventia ad illorum electionem, justitiæ magis videtur congruere. prior vero quæ non attendit ad merita Deum nullomodo ad quosdam eligendos moventia, ipsius misericordiam magnificentius manifestat.

Merita nihilominus humana in qualibet hac opinione habent locum, licet diversa ratione comparata, vel ut causæ moventes ad destinandam gloriam propter ipsa, vel tamquam effectus electionis illa antecedentis. in re prædestinationis alio modo adhuc interveniunt electorum merita, in ordine videlicet executionis, etiam si juxta priorem sententiam non interveniant in ordine intentionis. gratuita sit prædestinatio. & antecedat meritorum prævisionem; quæ in ipsam nihil influant in intentione Dei prædestinantis: verumtamen in executione, cœlestis beatitudo, quæ dicitur merces, corona justitiæ, non rependetur nisi consequenter ad merita, ad quorum acquisitionem media efficacia præparantur electis; sicque Deus merita hominum quæ sunt effectus specialium gratiæ donorum coronans, nihil coronat nisi dona sua, ut loquitur Augustinus variis locis. Hic de prædestinatione in statu præsenti, post Adæ peccatum, nos quæstionem movere, de statu innocentiæ non inquirentes, ex jam dictis facile intelligitur. & de illa quærimus, utrum prædestinatio Sanctorum ad gloriam, ex qua sequitur prædestinatio ad gratiam quam perseverentia finalis comitatur, fiat ex prævisione meritorum, vel eorumdem meritorum prævisionem antecedat. Hæc est illa prędestinatio, quam vocant adęquatam & completam, de qua Sancti Patres, & cum ipsis veteres Theologi vulgo locuti sunt, quęve efficax est Dei decretum salvandi & liberandi quos eligit de massa perditionis, circa quam quid nobis sentiendum videatur, declarabit sequens.

ASSERTIO UNICA.

Prædestinatio Sanctorum in statu præsenti naturæ antecedit quamcumque meritorum prævisionem. & est ita gratuita ut nullam habeat causam præter absolutam Dei voluntatem, infinitamque ejus Misericordiam.

HAnc Sententiam eo libentius amplectimur, quod cum magis in Scripturarum testimoniis & Divi Augustini fundetur quam sententia opposita, tenetur a Subtili præceptore, a quo recedunt plures Scotistæ, eodem tempore a vera Augustini doctrina recedentes, specie quidem qua putaverint magistrum liberum cuique reliquisse utram sequi vellet, quod si diligentius inquirerent, non adeo verum comperissent, sed studio quo privato ducti affectu, suæ defectionis quamdam afferrent excusationem. evidenter ita loquitur pro assertione nostra Scotus, ut illum audiendum judicaverim priusquam

assertionis fundamenta proferantur. *volens ordinate finem, & ea quæ sunt ad finem*, inquit in 1. dist. 41. *prius vult finem, quam aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult. ergo cum in toto processu quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus sit, beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primo vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem. sed gratia, fides, merita, & bonus usus liberi arbitrii, omnia ad istum finem sunt ordinata, licet quædam remotius, & quædam propinquius. ergo primo illi vult Deus beatitudinem, quam aliquod istorum, & prius vult ei quodcumque istorum, quam prævideat ipsum habiturum quodcumque istorum: igitur propter nullum istorum prævisum vult ei beatitudinem*. quid speciosius ad propositum posset desiderari, quo nobis Scotum consentire demonstretur, non video. Unde duce Subtili magistro assertionem multiplici argumento firmandam suscipimus. eaque cum oppositis difficultatibus separatim sunt proponenda ne ex dicendorum multitudine confusio oriatur.

ARGUMENTA EX SACRA SCRIPTURA.

NOn ex meritis electionem Sanctorum & prædestinationem, sed ex electione & prædestinatione merita Sanctorum esse, permulta ostendunt Sacræ Scripturæ testimonia. Christus apud Joannem cap. 15. Apostolos alloquens dicit: *Nos vos me elegistis, sed ego elegi vos & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. ex Christi electione fructus Apostolorum, qui non eliguntur quia fructum sunt allaturi, sed ut fructum manentem afferant ad quem positi sunt, ut eant. eligit ergo Deus homines prius, & non ipsi prius Deum. Actorum cap. 13. de prædicatione Pauli loquens Lucas ait, *& crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. non quia credituri erant verbis Apostoli illi qui eum audiebant, electi sunt & præordinati ad gloriam, sed ex hac eorum electione orta est fides qua Apostolo credidere. epist. ad Rom. cap. 8. dicit Apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. quare iis qui diligunt Deum omnia vertantur in bonum, en rationem & causam, nimirum, vocatio secundum propositum facit, quod propositum Dei est unica causa vocationis, ex qua sequuntur cætera Dei beneficia, per quę fructum vocationis & effectum obtinent.

Ex una Dei Misericordia cum exclusione operum quorumcumque illam moventium, & antecedenter ad quamlibet meritorum prævisionem, Sanctos vocari & prædestinari invicte probant hæc verba ejusdem Apostoli in eadem epistola cap. 9. *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia Major serviet minori, sicut scriptum est Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Hunc locum Malachiæ de electione Jacob prę Esau nulla habita ratione operum, imo cum exclusione illorum, assumit Apostolus, ex Dei miserentis proposito electionem gratuitam Jacob ostendere volens, qui in

in eodem erat statu ac Esau uterini & gemelli frater, qui derelictus mansit in statu odii ob peccatum originale quod uterque pariter contraxerat. & in electione unius Jacob repræsentari gratuitam omnium Sanctorum prædestinationem verba antecedentia ostendunt, *quorum adoptio est Filiorum . . . . non qui Filii carnis, hi Filii Dei, sed qui Filii sunt promissionis*. qui sunt Filii promissionis quam Abrahę in Isaac dedit Deus, illos prędestinavit, & quia sunt prędestinati ut sint Filii Dei, ad illos vere pertinet filiorum adoptio, ad quam non pertinent filii carnis, id est non electi qui ob illam non electionem non sunt Filii promissionis, ideoque in semine Abrahę non ęstimantur. idem ex sequentibus Apostoli verbis pariter ostenditur. *quid ergo dicemus: numquid iniquitas apud Deum?* Nisi verba superius allata in exemplo Jacob & Esau gratuitam prorsus unius prę alio electionem significarent, quomodo locum habere posset hęc inductio, numquid iniquitas est apud Deum? cunctam dubii rationem tollerent merita pręvisa: sed illa etiam prorsus removentur ex verbis Moysis apud Exodum cap. 33. respondente Apostolo, *absit: Moysi enim dicit, miserebor cujus miserebor; & misericordiam præstabo cujus miserebor*. & si dubium aliquod adhuc superesset circa omnimodam electionis divinę gratuitatem, certissime evanescet auditis Pauli verbis rem concludentibus: *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*.

Gratuitam Dei miserentis electionem iterum commendat Apostolus ephes. cap. 1. *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ*. & epist. 2. ad Timoth. cap. 1. discipulum hortans ad animi firmitatem quam exigit Evangelii prędicatio hęc scribit: *collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua Sancta. non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*, quibus similia sunt quę habet ad Titum cap. 2. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. ubique exaltatur Dei vocantis propositum: ubique divina voluntas ex Misericordia, non ex operibus non ex præcedentibus meritis, libere nos vocans elucet. unde jure merito in nobismetipsis gloriandi causam omnem aufert, ex eo quod nihil in nobis invenerit Deus meriti ratione cujus nos discerneret, quasi fuerit prævisio boni usus gratiæ Deo causa discernendi, nosque propriis meritis nostris discretos invenerit, ac ut tales elegerit. & ideo Apostolus epist. 1. ad corint. cap. 4. vanam, quæ suboriri posset ex non satis intellecta gratuita miserieordia, gloriam retundere volens ait, *quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* plura possent afferri Scripturarum testimonia assertionis veritatem confirmantia: sed in longum nimis protraheretur sermo, & aliunde in decursu dicendorum redire poterunt. adversariorum oppositiones ex iisdem Scripturis sunt audiendæ.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. Math. cap. 25. in ultimo judicio electos sic allocuturus est Christus: *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere*, &c. cum ergo electis paratum dicat Christus cæleste regnum ob opera Misericordiæ quæ exercuerunt, evidens est ex meritorum prævisione ipsos fuisse electos. idque confirmant varia Scripturæ loca, quæ regnum Cęlorum meritis rependi ostendunt, unde merces, corona, retributio sępius vocatur, & certe supponunt laborem, certamina, merita eorum quibus retribuitur; quod pariter significant variæ Parabolæ ex Evangelio, in quibus sub multiplici figura designatur æterna beatitudo, quę prædestinationem non esse gratuitam videtur indicare.

Resp. Ex supra prænotatis præsentem in antecessum solutam agnoscet difficultatem quæ parum urget, quisquis attenderit duplicem nos dixisse ordinem in prædestinatione distingui. in intentione unum, in executione alterum. prædestinatio Sanctorum, in intentione Dei quosdam præ aliis ad Cœlestem gloriam eligentis, de qua præcise inter Theologos movetur quæstio, antecedit, ut ostendunt loca Scripturæ in rei testimonium mox allata, quamcumque meritorum prævisionem, Deo ex pura Misericordia pro beneplacito, quos vult eligente. in executione vero interveniunt prædestinatorum merita, quæ causa sunt cur cœleste regnum possideant, quod nemo Catholicus negabit, etsi non sint causa cur ad illud possidendum fuerint prædestinati. Hinc est quod in verbis Christi quæ opponuntur, hæc propositio causalis, *esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c. non connectitur, cum hoc verbo *paratum vobis*, sed cum isto *possidete*. unde opera Misericordiæ laudantur ut causa glorificationis, & non ut ratio electionis. Idque colligitur ex eo quod Christus eo in loco nihil habet de prædestinatione in ordine intentionis, sed de illius executione agit, cum de extremo judicio loquens possessionem gloriæ actualem tamquam fructum bonorum operum, eorumque mercedem electis esse rependendam significat. Nec particula causalis *enim* respectu electorum refertur magis ad gloriæ præparationem, quam respectu reproborum ad ignis ęterni præparationem, dum istos ibidem alloquens Christus dicit, *discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo est Angelis ejus: esurivi enim & non dedistis mihi manducare*. non potest autem dici ignem æternum fuisse paratum Diabolo ejusque Angelis propter mala hominum opera. in eo se tenet comparatio inter sortem oppositam electorum & reproborum, quod sicuti isti non mittentur in ignem æternum nisi ob eorum merita mala, ita illi non intrabunt in regnum Cœlorum nisi ob eorum merita bona, quæ etsi ad illorum electionem non conferant in intentione eligentis Dei, ut jam dictum est, in executione multum inserviunt, & sunt conditio sine qua non. & ideo beatitudo merces, corona, merito vocatur, quæ laborantibus, certantibus, vincentibus ex æquo rependitur.

Nec

Nec dicatur gratis fingi, & contra sensum verborum Scripturæ, quod Deus in ordine executionis non conferat gloriam nisi interveniant merita, illi quem prędestinavit ad illam meritis inconsultis. & qui id gratis & irrationabiliter fingi inconsulte proferunt, se nec quod impugnant intelligere manifestant. dicunt enim sibi ipsis sapientes, si Deus in executione non vult dare gloriam sine meritis, cur decrevisset dare illam absolute & sine meritis? an aliter potuit velle in ordine intentionis, & aliter in executione? unde talis mutatio? talia dum opponunt se insipientes ostendunt. unde enim habent Deum decrevisse dare gloriam absolute & sine meritis, & quis unquam hoc dixit? Deus non habita ratione meritorum prædestinat ab æterno aliquem ad gloriam, & in hoc apparet ipsius misericordia: sed sic aliquem prædestinare, non est decernere dare illi in tempore gloriam absolute & sine meritis. Hæc duo sunt plane diversa: & quod ordo intentionis differat ab ordine executionis, nullum arguit in Deo mutationem, nisi forte respectu illorum qui hunc duplicem ordinem minime capiunt. & revera illum non capiunt, dum ordinem intentionis supponunt esse oppositum ordini executionis, & illa duo decreta intentionis & executionis esse contraria; est enim unicum & absolutum decretum, quo ante prævisionem meritorum Petrus prędestinatur ad gloriam, quam tamen non consequetur nisi plenus meritis, quorum hæc eadem gloria erit præmium: est in prædestinando Deus misericors, & in retribuendo justus; nec ulla est inter misericordiam & justitiam oppositio. ordo intentionis in illo decreto absoluto refertur ad causam prædestinationis: ordo vero executionis respicit ad effectum illius: & in duplici illo ordine sibi invicem dante manum, Deus semper idem vult æterno & incommutabili consilio. Sed maxima pars adversariorum, inquiunt, & pręcipue Scotistarum, non recurrit pro reprobatione ex demeritis ad distinctionem intentionis, & executionis, cum non dicant, Deum ex prima intentione voluisse damnare aliquos sine meritis: ergo, inquiunt, idem est dicendum de electis, eodem modo de utrisque loquente Evangelio. inepta prorsus argumentatio, & quam dedecet illos Scotistas sic discurrentes. ut quid respectu reproborum distinctio intentionis & executionis supponeretur, cum intentio & executio, saltem in reprobatione positiva, de qua agitur loco laudato Mathæi, sint unum & idem? aliud est de electis existimandum quorum respectu ordo intentionis differt ab ordine executionis, cum terminus utriusque, vel objectum sit diversus: unus ordo habet pro objecto causam prædestinationis, alter, effectum prædestinationis: & de meritis malis reproborum, & meritis bonis electorum est diversimode loquendum. postulat divinæ justitiæ ordo, ut nullus positive reprobetur nisi præcesserint merita mala: at nullatenus exigit ordo misericordiæ ut in eo, cui impertitur præcesserint merita bona. ex duobus hominibus ejusdem criminis reis quod uni supplicium decernatur, altero ad eadem damnatione liberato, atque etiam, nullo interveniente merito bono, ad honoris gradum evecto, nullam in principe arguit injustitiam, licet ex una parte eluceat maxima ejus clementia & liberalitas. sed multum in eo esset iniquitatis, si nullo precedente cri-

mine

mine vel merito malo, uni vel utrique decerneretur & infligeretur supplicium. & ut finem dicendi faciamus, cum de electis & reprobis eodem modo Christus loquitur, de prædestinatione & reprobatione in se spectatis non loquitur, sed de ultimo & præcipuo utriusque effectu. unde contra assertionem exinde nihil concluditur. aliunde dici posset, Christum eo loci totum esse in commendanda bonorum operum, eleemosynæ potissimum necessitate, quorum pro illis qui piis virtutum operibus studuerint, merces erit regni æterni possessio, illi vero qui his non studuerint, supplicio æterni ignis diabolo parati plectentur. & juxta hunc sensum loquitur Sanctus Augustinus serm. 60. quem ut sibi faventem opponunt illi Scotistæ quos ultimo loco refellimus, licet ad virtutum exercitium, ad eleemosinæ præsertim erogationem adhortans, nec quidquam de prædestinatione cogitet S. Doctor, æterna gloria remunerandam esse misericordiam in pauperes ostendens, & igne æterno puniendos immisericordes, in extremi judicii die. *quære causas*, inquit, *vel tantæ mercedis, vel tanti supplicii, percipite regnum, & ite in ignem æternum. quare isti percepturi sunt regnum? esurivi, & dedistis mihi manducare. quare isti ituri sunt in ignem æternum? esurivi, & non dedistis mihi manducare.*

2. *Objectio*. Quæcumque allata sunt Scripturæ loca ad assertionis confirmationem intelligi debent solummodo de electione ad Apostolatum, ad fidem, ad gratiam, non vero de prædestinatione ad gloriam. ex illis igitur non potest haberi intentum.

Resp. Etsi daremus quod opponitur, hæc scilicet esse intelligenda de electione ad gratiam, ad fidem, ad Evangelium, quod non concedimus, nihilominus haberemus intentum. fides, gratia, sunt media ad effectum prædestinationis consequendum. si gratuita est electio ad media, prædestinatio ad finem qui prius intenditur, cum finis non sit propter media, sed media sint propter finem, gratuita esse debet & antecedere prævisionem meritorum, quæ ratione mediorum acquiruntur ad finis consecutionem. verum allati textus referuntur præcise ad prædestinationem adæquatam & completam, gloriæ possessionem in intentione Dei decernentis complectentem, juxta modum quo a Sanctis Doctoribus fuit semper intellecta. Christus elegit Apostolos ex gratuita dilectione merita illorum antecedente, sicut ipse homo Deus a Patre fuit dilectus, & prædestinatus gratis ex proprio affectu. *sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*. ita Christiani non præeliguntur per merita ipsorum futura, sed ex libera & gratuita Dei voluntate, ut ipsorum merita, quæ sunt fructus quem electi facturi sunt ex sua electione, & ad quem a Deo positi sunt, maneant in æternum, cum consummata charitate gloria æterna ad quam sunt electi, donabuntur.

Verba Apostoli ad Ephesios non esse intelligenda de electione ad gratiam & merita per illam futura & dependenter ab iis ad gloriam, ostendunt verba præcedentia: *Benedictus Deus qui benedixit nos benedictione spirituali*, ubi nihil nobis in illa benedictione tribuitur. *Sicut elegit nos, ut essemus sancti, & immaculati*, præcedit electio sanctitatem per gratiam, *ut essemus*, non quia era-

eramus. ut autem ostendat se meritorum prævisionem non habere ut causam prædestinationis subjungit; *etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* unde sæpius dicit Deum prædestinare, Deum vocare secundum propositum suum, adeo ut merita nostra non sint ratio nostræ electionis; & si interveniant humana merita, non sunt nisi effectus vocationis. sicque frustra laborant adversarii, dum, allata Scripturarum testimonia nobis parum favere ostendere conantur. id unum evincere poterunt, quod jam statuimus, electionem mediorum in ordine executionis præcedere quodam modo electionem ad gloriam, quam Deus suis electis ita vult, ut ex hoc amore finis illis provideat media convenientia, & proportionata creaturæ liberæ, ex quibus merita unde illis gloria tandem gloriosius conferatur: sed illa sequuntur ex illo amore finis, non antecedunt; ideoque restat prædestinationem in ordine intentionis gratuitam esse ac liberalem, cujus motiva sunt misericordia & dilectio erga salvandos, quæ optime conciliatur cum retributione ex justitia in ordine executionis, quem pluribus in locis, ut in diversis parabolis, præcipue intendere videtur Scriptura Sacra, ut magis hominum captui accommodatum, & ad virtutum exercitium fortius illos moventem.

ARGUMENTA EX SANCTO AUGUSTINO.

QUoniam inter alios Patres in rebus prædestinationis & gratiæ eminet Augustinus, quem sibi a Deo datum ad vindicanda utriusque mysteria adversus Pelagianos ac Semipelagianos agnoscit Christi ecclesia, eaque de causa hunc sibi patronum volunt omnes Theologi, tum sententiam nostram qui amplectuntur, tum huic oppositam qui tuentur: imo ipsi hæretici, ab illius licet doctrina prorsus aberrantes, ejusdem patrocinio se gloriari contendunt, adeo ut in eo circa Sanctum hunc Doctorem consentiant omnes, vera esse & certa quę de arcanis prædestinationis & gratiæ ipse docuit & propugnavit, mentem illius veramque doctrinam altius rimari nos juvat, unde magis legentibus innotescat nos in dicendo illum nobis magistrum non immerito vindicare.

Primum argumentum. Rem prorsus nostram definit in Enchiridio ad Laurentium Augustinus dum dicit prædestinatorum electionem non solum ex prævisis meritis non fuisse factam, sed ex adverso ex prævisis demeritis per misericordiam Dei liberantis illam esse, cum ex omnibus Adæ posteris in suo capite ob illius peccatum in eadem cum illo damnatione constitutis, & in eamdem perditionem ituris, Deus miseratione commotus quosdam ex illa massa damnata liberare decrevit, & miserendo ex illa veteri conspersione discrevit, ac discernendo elegit, cæteris in communi perditionis statu justo judicio derelictis. Hæc autem scribit cap. 99. *ergo Deus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. miseretur scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. sola enim gratia Redemptor discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis . . . Videt homo, si capit*

uni-

universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam; & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret; ut volentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur; & qui gloriatur, in Domino glorietur. Ne autem merita naturæ tantum eo loci excludi quisquam opinetur, satis est si observent ubinam erant electi ante discretionem, in eadem nimirum massa cum non electis seu reprobis, & utrorumque paria esse merita, vel potius demerita, peccatum originale scilicet ac ea omnia quę ex illo sequebantur.

Hanc veram esse Augustini mentem, nec illud incidenter esse loquutum ostendunt innumera, ut ita dicam, ipsius testimonia luce meridiana clariora, plusquam ex viginti illius operibus desumenda., & ab ipso in iisdem centies majori cum nervo, semperque diverso recantata. perpauca censemus, referenda, veritati, simul & brevitati ut fieri potest, consulentes. lib. 13. de Trinit. cap. 10. misericordiam Dei commendat, merita mala quibus liberamur per Christi Redemptoris merita bona commemorans, his verbis. *quid tam necessarium fuit, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? quid vero hujus rei tanto indicio isto manifestius atque præclarius, quam ut Dei filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & a nobis pro nobis accipiens quod non erat, præter suæ naturæ detrimentum, nostræ dignatus inire consortium, prius sine ullo malo suo merito mala nostra perferret, ac sic jam credentibus quantum nos diligat Deus, & quod desperabamus jam sperantibus, dona in nos sua sine ullis bonis meritis nostris, immo præcedentibus & malis meritis nostris indebita largitate conferret?* & revera quid in electis pręviderit pręter merita mala Deus cum elegerit, & peccati tenebras, dicit lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. *quis te discernit, utique ab iræ vasis, a massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem? .... ille discernit, qui unde discernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo: ille discernit, qui cum essent tenebræ super abyssum dixit, fiat lux, & facta est lux; & divisit, hoc est discrevit inter lucem & tenebras. Non enim cum solæ essent tenebræ, quid discerneret invenit: sed lucem faciendo discrevit.*

Hoc idem prosequitur argumentum & elegantissime Augustinus, lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5. & 6. de Pauli Apostoli conversione loquens, in quo non invenit Deus cum illum vocavit, aliquod meritum bonum, sed multa merita mala, quibus nisi pœna utique debebatur. illud ægre omittimus, sed longior est sermo, quam ut referatur. De eodem argumento aliquid habet enarrat. in Psal. 55. in hac verba, *pro nihilo salvos facies eos: Nullis*. inquit, *eorum meritis præcedentibus salvos facies eos*. quod ut ostendat, ejusdem Apostoli exemplum affert. *Nulla ergo hujus* (pauli) *bona merita præcesserant, imo talia præcesserant de quibus damnaretur: nihil boni attulit, & salvus factus est, pro nihilo salvos facies eos, id est, gratis data gratia tua. quid*

ille

ille latro attulerat ad crucem? de fauce in judicium, de judicio in lignum, de ligno in Paradisum.

Secundum Argumentum. Efficacius ad assertionis confirmationem afferre non poterat quidquam Augustinus, exemplo Christi Salvatoris, qui ut caput & primus prædestinatorum, eorum fuit exemplar. & sicut ille gratis omnino nullis prævisis meritis ex parte humanitatis suæ prædestinatus fuit, ita gratis & absque ullis prævisis meritis propriis homines sunt a Deo prædestinati. quod argumentum tantę putavit esse virtutis Sanctus Doctor ut sæpius eo utatur. Sic lib. de prædest. Sanct. cap. 15. *est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ. ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso; ille homo, ut a verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præcessit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? . . . Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam: & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, unicum Dominum. quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat*. Incarnatio Christi quæ erat principium omnis meriti, non poterat cadere sub meritum: sic nec homines mereri possunt gratiam primam prædestinationis ob futurum usum ex gratiis quæ illam subsequuntur.

Iterum Augustinus lib. de dono persever. cap. 24. *Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quam ipse Jesus, quam ipse Mediator. quisquis fidelis vult eum bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniet & se ipsum . . . qui ergo hunc fecit ex femine David hominem justum qui numquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus; ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum. ut ille caput, hi membra sint ejus . . . illum ergo & nos prædestinavit, quia & in illo ut esset caput nostrum, & in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit*. & in Enchiridio cap. 36. facto Sermone de Incarnatione Verbi, hæc habet. *Hic omnino granditer & evidenter Dei gratia commendatur, quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum? . . . unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic & sola Dei gratia fideliter & sobrie considerantibus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum?* Idque pariter ostendit Sanctus Doctor

ctor ibidem exemplo Mariæ Virginis quæ electa est, non ex prævisis meritis sed gratis omnino, ut esset Mater hominis Dei.

Tertium Argumentum. Ex gratuita Dei prædestinantis voluntate esse quæcumque media ad salutem conducentia, & ex ejus in electos affectu, docens sæpissime ac constanter Augustinus, ipsam prædestinationem gratuitam ostendit. lib. de corrept. & grat. cap. 7. loquens de his qui ab originali damnatione discreti, Evangelium audiunt, credunt, & in ea fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, subdit, *hæc omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante Constitutionem Mundi per electionem gratiæ .... non enim sic sunt vocati, ut non essent electi .... sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto & electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum*. quod intelligit tam de initio fidei quam de ipsa fide, cunctisque bonis operibus quæ secundum illam ex gratia faciunt electi. & sic prosequitur cum Apostolo: *De talibus scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt; quoniam quos ante præscivit & prædestinavit .... quos autem prædestinavit, illos & vocavit, quos autem vocavit, ipsos & justificavit, quos autem justificavit, ipsos & glorificavit ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei.* omne ergo bonum quod operantur electi, omnis gratia per quam illud operantur, ipsaque, ut dixi, perseverantia, cuncta hæc a vocatione secundum propositum, id est a prædestinatione ducunt originem. *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. electi autem sunt ad regnandum cum Christo.*

Idem sæpe resumit argumentum adversus Pelagianos & Semipelagianos. ipsum audiamus lib. 5. contra Julianum, cap. 14. *Ne forte ante constitutionem Mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est & adjunxit, si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia .. ex isto numero electorum & prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti .... ex iis nemo perit quacumque ætate moriatur .. Absit enim ut prædestinatus ad vitam, sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam*; est ergo propositum Dei vocantis causa vera & radix omnium mediorum quæ præparantur & conferuntur prædestinatis ad illorum infallibilem certissimamque liberationem. & gratiam ex qua merita omnia fluunt antecedit electio, ad cujus finem consequendum interveniunt, illa omnia operante gratia Christi, cujuscumque operis boni efficaci principio. ideoque Peccatores non ex statu gratiæ, sed ex peccati statu ad pœnitentiam vocantur. quibus autem conferuntur illa media vel gratiæ auxilia, ex eo præcise conferuntur juxta Hipponensem, quod sunt prædestinati ad gloriam; unde ad gloriam minime prædestinatis non conferuntur. (*lib. de cor-*

correp. & grat. cap. 13.) *Hi vero qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum . . . pro meritis justissime judicantur. Aut enim jacent sub peccato? . . quo volvuntur per diversas cupiditates noxias, alii magis, alii minus; sed omnes mali, & pro ipsa diversitate, diversis suppliciis judicandi. aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt & deseruntur. dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.*

Non mirum igitur si electionem prædestinatorum in gratuitam, prorsusque liberam Dei voluntatem refundat Augustinus, simulque divinę electioni profunditatem ac media ad illam spectantia, summę Dei misericordiæ, exclusa justitia, tribuat. & ex hoc capite procedit *quartum argumentum*. & quid aliud intendit Sanctus Doctor, dum in Dei misericordia ponens totam rationem eligendi, parabolam de Patre familias operarios ex denario diurno in vineam sua conducente, sæpe adducit. sic lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. *acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille qui judicat relinquens causæ meritum de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur, quia invenit aliquid in persona quod honore vel miseratione sit dignum. si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est quando iniquitas nulla est. Alioquin eis qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, ubi vineæ dominus operariis, qui una hora illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis qui pertulerunt pondus diei & æstus, æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore. sed quid respondit de hac velut acceptione personarum adversus Patrem familias murmurantibus? amice, non tibi facio injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade. volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. an non licet mihi. quod volo, facere? Nempe hic tota justitia est: hoc volo: tibi reddidi, huic donavi . . . . sicut ergo hic nulla est acceptio personarum . . . . Sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo quod per unum hominem peccatum intravit in mundum.* omnes Adæ posteri sunt justitiæ divinę debitores: aliis ex bonitate donatur debitum; ab aliis ex justitia exigitur. ab hac communi damnatione qua tenentur obnoxii omnes, liberantur nonnulli ex Dei miserentis beneplacito: alii non liberantur ex occulto quidem sed numquam injusto Dei judicio. unde merito dicit Augustinus: *Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, ab altero exigitur, quod pariter ab utroque debetur*, item lib. de dono persever. cap. 8. *Non simus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus . . . qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat. si in remittendo bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur . . . . recolamus illos operarios in vinea . . . Numquid & hi audierunt murmurantes a Patre familias, nisi, hoc volo? ita quippe ejus erga alios fuit largitas;*

tas, ut erga alios nulla esset iniquitas. & isti quidem utrique in bonis sunt: verumtamen quantum ad justitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur, recte dici, volo: potest & de eo qui damnatur, tolle quod tuum est & vade; huic autem volo, quod non debetur donare.

De mediis ex prædestinationis decreto præparatis, meritisque per illa adeptis loquens, hæc Dei dona esse per gratiam declarat, ipsumque Dei regnum, & coronam gloriæ esse ex Dei gratia ejusque liberalitate affirmat, lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7. & sequentibus. *Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, a quo nobis & fides est, & dilectio, propterea idem ipse Doctor gentium, etiam ipsam vitam æternam gratiam nuncupavit. & nascitur inde non parva quæstio . . . si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit Scriptura, quoniam Deus reddet unicuique secundum opera ejus; quomodo gratia est vita æterna, cum gratia, non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente; ei qui operatur merces, non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* & hanc quæstionem, ex qua videretur sequi vitam æternam gratiam non esse, sed esse debitam bonis operibus quorum est merces, solvit Augustinus dicens, *& ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad gratiam Dei pertinere.* & hæc ita ad Dei gratiam pertinent, ut sint potius quodam modo opus Dei quam nostrum, in quantum ab ipso opera illa nobis præparantur, & in illis creamur, ut loquitur Apostolus. Ephes. cap. 2. unde qua ratione dixerit non ex operibus vitam æternam, sed ex gratia, sic exponit: *audi & intellige, non ex operibus dictum, tamquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tamquam his in quibus te Deus finxit, idest, formavit & creavit. Hoc enim ait, ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis . . . . fingimur ergo, idest, formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in illis ambulemus. itaque si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ vitæ bonæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia.* & iterum cum eodem Apostolo: Roman. cap. 6. *stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.*

De illa autem æterna vita, quam coronam justitiæ vocat Apostolus, aliquis glorietur, illam cum David misericordię coronam dicit cap. 9. *Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur, de quo dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate: ideo dixit Psalmus, coronat te in miseratione & misericordia.* quem Psalmi locum exponens enarrat. in Psal. 102. scribit: *jam forte quasi arrogans esse cæperas, cum audires, coronat te. ergo magnus sum, ergo luctatus sum. Cujus viribus? Tuis, sed ab illo subministratis. Nam luctaris, manifestum est; & ideo coronaberis, quia vinces: sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem . . . qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. plus omnibus illis laboravi,*

ait

ait Apostolus: sed vide quid adjungit. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. & post labores omnes expectat ipsam coronam & dicit: bonum agonem certavi . . . . de cætero superest mihi corona justitiæ . . . quare? quia agonem certavi . . . . unde certasti? . . . Non ego autem, sed gratia Dei mecum. ergo & quod coronaris, illius misericordia coronaris. Si gloria, si media ad illam conducentia, si merita ex talibus mediis orta, si hęc omnia in gratuitam & liberam Dei voluntatem ex Sancti Augustini doctrina, sunt prorsus refundenda, quanto magis decretum prædestinantis Dei, ex quo cætera omnia fluunt, in illius principiis, ex absoluta & antecedente Dei voluntate, seclusa justitia, erit refundendum?

Quintum argumentum. Nec illud quod ultimo veluti loco nobis suppeditat Augustinus argumentum cætera alia confirmans prætermittere licet, cum eo potissimum causa agatur nostra. illudque desumitur ex duorum filiorum Isaac Jacob & Esau exemplo, quo ad prædestinationis gratuitatem omnimodam ostendendam, omne genus prævisi meriti ab illa excludens, utitur multoties, ut rem totam prædestinationis continente, æque ac reprobationis. De eo quid loquatur Epist. 194. ad Sixtum qui deinceps Romanus Pontifex creatus est, perpendamus: & quomodo ipsius efficaciam declinare nitantur, adversarii intueamur. *Cum illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori serviturum esse majorem: in quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium prophetæ longe posterioris assumpsit; Jacob dilexi, Esau autem odio habui: ut intelligeretur hoc apertum postea per prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? & quid oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse faceret*. irridens postea Sanctus Doctor quid responderent illi quibus cum pugnabat, quique, iis qui a nobis de gratuitate prædestinationis completæ, seu ad gloriam dissentiunt, præiverant sic prosequitur. *Mirum est autem cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent metuentes retia veritatis. ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum absolutumque respondit*. advertant adversarii quomodo ironice loquens Augustinus responsionem parvi faciat illorum quibus & ipsi adhærent: seque iisdem telis ab illo confixos agnoscant. *Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipsa sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris, quid ergo dicemus, inquit, numquid est iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt: futura enim Deus opera prævidebat . . . . Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius*

tius

tius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. rem totam ibi enucleate proponit. Hipponensis, & quæ opponuntur vulgo a propugnantibus electionem ex prævisione meritorum evertit. *Cum enim dixisset, absit ut sit iniquitas apud Deum; tamquam ei diceremus, unde hoc ostendit, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, major serviet minori. Moysi enim dicit*, inquit, *miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. ubi nunc merita, ubi opera vel præterita vel futura tamquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratiæ, hoc est veræ gratiæ commendatione sententiam?* His, ut evidens est, Augustini verbis refelluntur quicumque in operibus gratiæ aliquid ponunt ex parte hominum ratione cujus sint præelecti.

Omnem revera quorumcumque meritorum prævisionem in negotio prædestinationis, quæ relative ad salutem hominis, vel melius in salutis œconomia, est prima & præcipua gratia, atque efficax seu fructifera radix aliarum omnium gratiarum ad illam spectantium œconomiam, prorsus tollendi ductus motivo Augustinus ex se ostenditur, dum tanto cum studio exemplum duorum horum geminorum affert; adeo ut quibuscumque in operibus illo utitur, nec ullum verbum habeat, nisi vis aperta ipsi inferatur, quod vere faveat sententiæ illorum qui prædestinationem ex prævisis meritis defendunt: quod bona fide confitentur qui & verba Sancti Doctoris, & aptam verborum illius compositionem diligenter perpendunt. illum de eodem argumento iterum audiamus in Enchiridio cap. 98. *adhibuit*, (Apostolus inquit, *alterum propheticum testimonium, ubi scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.... qua in re si futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat vellet intelligi, nequaqam diceret non ex operibus; sed diceret, ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quæstionem; imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem . . . ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. sed qui dixit, miserebor cujus misertus ero, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam: Esau autem odio habuit per judicium debitum. quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum. quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate: quia non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei... ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. rationem autem quare in Domino ipsi gloriandum sit afferens concludit, *sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis*. Hęc & alia Sancti Doctoris verba, quotiescumque de causa electorum agens exemplo utitur Jacob & Esau, accurate perpendat diligens lector: & ubique sibi constantem illum inveniens, prædestinationem ex prævisis meritis ab illo non potuisse suis principiis stando propugnari agnoscet.

SO-

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. ex eodem exemplo duorum geminorum mox adducto in nos argumenta ducuntur quæ ab Augustino, quem sibi arrogant fidenter adversarii, suppeditata censentur. ex iis quæ scribit ad Simplicianum lib. 1. quęst. 2. colligitur ipsum voluisse bona opera prævisa in Jacob esse causam quod fuerit a Deo prędestinatus. nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. non distat autem nisi ob futura opera bona, quę justificationis gratiam sequuntur. ideoque Deus non confert gratiam electis quia illos elegit, sed potius eos eligit quia collaturus est eis gratiam, ex qua ortum ducent opera bona. sic loquitur Sanctus Doctor: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est non quia invenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad Regnum Cœlorum. . . . non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio*. & superius jam dixerat. *quomodo est enim justa, aut qualiscumque omnino electio ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus, & nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentia qua eligeretur*.

Resp. quam cum Bellarmino ad oppositę difficultatis solutionem plures majoris notę Theologi ineunt viam, rem attigisse existimantes, dum dicunt talia juniorem ac imperitiorem scripsisse Augustinum electionem ex distantia cum poneret ex parte electorum, quam doctior postea factus retractaverit, nos deviam valde reputantes, non minus quam illa sit, quam velut tritam sequuntur non pauci, qui volunt ibi Augustinum de electione loqui in ordine executionis, ad quem media ita necessaria sunt, ut aliter finis seu glorię non esset consecutio, non vero in ordine intentionis, juxta quem prius finem Deus intendat quam media: aliud cum doctissimo Macedo in Augustini lectione versatissimo tentamus iter, sententiam Bellarmini ut falsam, & Sancto Doctori injuriosam respuentes: nec alteram quam memoravimus opinionem probantes, utpote ab illius mente non parum alienum.

Tantum igitur abest quod locus mox adductus sententiæ de prædestinatione post prævisa merita faveat, quin potius nihil manifestius dicere potuerit Augustinus pro causa gratiæ & prædestinationis gratuitæ. quod ut intelligatur, advertendum est, ut jam semel in præcedentibus, ubi de Scientia Dei, observavimus hac in secunda quæstione libri 1. ad Simplicianum duas esse partes, in quarum prima causam liberi arbitrii agit Sanctus Doctor, & in secunda causam agens gratiæ, quidquid pro libero arbitrio statuisse videbatur funditus evertit. Hinc lib. 2. Retract. cap. 1. librum illum commemorans, & de secunda illius quæstione loquens ait: *in cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia*. Ideoque diligenter examinandum an pro gratia, an pro libero arbitrio disputet, ut recipiatur quod gratiæ favet, & rejiciatur quod pro libero arbitrio lo-

loquitur. quæ opponuntur ab adversariis verba Augustini, ab illo dicebantur in favorem humanæ libertatis, & ea de causa ex meritis homines electi ad gloriam dicebantur. ibi ponebat discretionem ex distantia, id quod erat pro arbitrio. erat autem distantia justificatorum a non justificatis respectu gloriæ, ad quam ab æterno erant electi in præscientia, non vero illi. at admissa electione hac discretiva ex justificatione, illationem refutabat Augustinus, *ergo ex meritis*, recurrendo ad Dei propositum, ex quo justificatio illa manavit, & affirmabat ex illo proposito gratuito provenire justificatorum electionem, eratque gratuita eorum justificatio: sicque non fundari propositum eligendi, ac prædestinandi ad gloriam in ea electione justificatorum, sed potius in electione gratuita antecedenti ad illam, & cujus illa erat effectus. unde ait, *non ex operibus, sed ex vocante... non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur*. quod erat prorsus in favorem gratiæ: & in hoc liberum illa vincebat arbitrium.

Id autem adversarios non juvat, quin potius: cum ibi statuat Augustinus, quod omni data occasione statuit, electionem ad gloriam a Deo primitus intendit, & gratuito ac ex liberalitate: illamque electionem ad gloriam fontem esse gratiæ ac meritorum quæ sunt dona Dei. unde in oppositæ sententiæ patronos vertitur laudatum Augustini testimonium. Distantia in ordine ad gloriam non fundatur in justificatione, sed in causa illius; causa autem fundatur in gratia danda secundum propositum electivum prædestinatorum: recurrendum ergo ubi est fons & principium conferendæ justificationis. Hinc Sanctus Doctor: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo inventi opera quæ jam eligat ad regnum Cælorum*. Demus & libenter, hanc distantiam de qua Augustinus, & in illa dicamus fundari justificatorum discretionem, illorumque præ aliis ad gratiam prædestinationem: verum ea omnia proficiscuntur ex Dei proposito antecedenter eligente illa media ad justificationem, ut illi sui prius electi in præscientia ad gloriam, quam illis libere, gratuito, & ex Misericordia destinavit, ducantur juxta plenam & perfectam executionem propositi divini seu antecedentis decreti, quod est causa illorum electionis ad gratiam & merita gratiam, qua justificentur, habent a Deo electi: sed illam habent ex miserente Deo liberaliter & gratuito illam donante: illam habent quia electi: & ideo electi, quia, nullis ex parte illorum præcedentibus meritis, placuit ei, qui illos segregavit ex utero matrum suarum, & vocavit per gratiam suam. unde non possunt in se gloriari, sed in Domino. Hæc est vera Augustini doctrina in illo ad Simplicianum libro, seclusa quacumque retractatione, & præciso recursu ad duplicem ordinem intentionis & executionis, qui licet vere aliunde admittendus, in præsentis testimonii expositione locum non habet. ad judicia divina recurrit Sanctus Doctor dum de causa quæritur prædestinationis. *Numquid est iniquitas apud Deum exigentem a quo placet, donantem*

tem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum: quęrant ibi prævisionem meritorum qui suum dicunt (loco laudato Augustinum, & quę adjungit audiant. *Numquid iniquitas est apud Deum? absit. quare tamen huic ita, & huic non ita?* ibi inter electos & non electos distantia: sed quomodo, & ubinam illam admittat, inquiramus. *O homo, tu quis es? debitum si non reddis, habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris*. non invenitur illa distantia in justificatis evanescit: *inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*.

In laudato testimonio Libri ad Simplicianum latere aliquid, quo adversus Christi gratiam pro libero arbitrio abuti possent Pelagiani, aperit Augustinus circa finem his verbis. *quod si electio hic sit aliqua, ut sic intelligamus quod dictum est, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt; non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur qui justificentur: certe ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit, aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor*. Subtilem Pelagianorum illationem aperit, quasi dicerent. verum est illam distantiam inter justificatos, & non justificatos per gratiam, & peccatum fieri, sed caussam illius inquirimus: cur illi sint justi, hi autem peccatores. Certe non nisi quia operibus suis justificari isti meruere, & alii demeruere: unde ad arbitrium causa reducitur. cui argumento in favorem arbitrii respondet, se non invenire hanc causam, utpote a Scripturis Sanctis, & a Pauli Doctrina alienam: ideoque recurrendum esse ad judicia divina, ut diximus, cum illa prima discretio in meritis arbitrii fundari nequeat: alioqui gratia non erit gratia. est ergo ad liberam & gratuitam Dei voluntatem, & propositum ipsius recurrendum; & ita vincit Dei gratia. & illud Augustini testimonium est ipsius doctrina de prædestinatione antecedenti adeo refertum, ut illius meminerit lib. de dono persever. cap. 21. confirmans ea quæ dixerat, quæque adeo accurata & certa judicat, ut ex iis nullum possit oriri dubium, *gratiam Dei non secundum merita nostra dari & ex iis eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam*. Sic ex Augustino ipso nullius est ponderis argumentum quo nos impetere putant adversarii prædestinationem consequentem defendentes, ex laudatis & sequentibus verbis Libri ad Simplicianum, quasi insolubilis esset difficultatis, quam tamen per ipsum Augustinum efficaciter solvimus.

Hinc facile intelligitur quam inconsiderate fuerit excogitatum, tum a Bellarmino, viro aliunde summæ eruditionis, & in Sanctorum Patrum lectione non mediocriter versato, tum a pluribus clarissimis Theologis Doctissimo illi Cardinali nimium credentibus, Augustinum (jam Episcopum & quadragenario majorem, dum librum præfatum ad Simplicianum scriberet) juniorem adhuc, & quæstionibus ad gratiam spectantibus nondum sat exploratis, talia protulisse, veluti ea quę tunc dixerat senior factus retractaverit. in eo valde illi hallucinantur: neque enim apud Augustinum circa mox relatam ipsius doctrinam, ullum extat vestigium retractationis cujuscumque.

dum lib. 1. retract. cap. 23. dicit quod nondum diligentius quæsiverat, nec invenerat, qualis sit electio gratiæ, de qua dicit Paulus: *reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*: recognoscit librum expositionis quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, quem scripserat adhuc Presbyter, & in illo dicit, se minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractasse; nec mirum cum nulla circa prædestinationem tunc quæstio moveretur. & tantum abest quod illud a se dictum eo loci velit intelligi de iis quæ scripserat in Libro primo ad Simplicianum, quasi re minus perpensa tunc fuerit locutus, quin potius lib. de prædest. Sanct. cap. 4. quem scriptis duobus Libris retractationum edidit, Librum primum ex duobus quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsit, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, Sancti Ambrosii successorem, in ipso Exordio sui Episcopatus, commemorans asserat, se quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solvisse: seque Apostolico testimonio quo utitur ad quæstionis solutionem fuisse convictum, *cum*, inquit, *de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit*. quid ergo de Bellarmino in præsenti negotio sentiendum sit, minime dixerim. judicium ferant qui minori erga hunc purpuratum ducentur reverentia, qui cautius de Augustino erat locuturus, ne aliis simul cum eo errandi præberet occasionem, eo certiorem quo ipse inter doctos majori gaudet auctoritate.

Secunda Objectio. Sanctus Doctor Serm. 100. de verbis Evangelii Lucæ cap. 9. hæc habet. *in hoc capitulo hoc discimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit. elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam*. & infra. *ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal*. Hæc autem electionem in meritorum prævisione fundari ostendunt, nec aliud videntur significare.

Resp. Duplicem hanc electionem, de qua eo loci Augustinus, respicere ordinem intentionis, & executionis vulgo dicunt Theologi; & facilis est hoc modo difficultatis solutio, quæ non potest improbari, cum fundamentum habeat in Augustino. at rem altius rimando, diversimode videtur solvenda. electionem justorum esse gratuitam, & sine meritis decretam pro more ostendit Augustinus occasione duorum, quorum unus profitens se secuturum Christum rejicitur, alter continuo tacens, & nihil dicens vocatur a Christo. humilitatem Christianam persuadere conatur Augustinus ex cognitione misericordiæ & gratiæ Dei vocantis pro beneplacito, & eligentis nulla habita ratione meritorum. unde sic exclamat, *cave o Christiane, cave superbiam*. Nihil in toto illo Sermone est de justitia. quomodo ergo verum erit quod dixit? elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam & secundum illorum justitiam. Hæc verba non sunt Pauli, sed tantum illa: *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*: quæ conferuntur cum istis Apostoli Rom. cap. 11. ex lib. 3. Reg. cap. 19. desumptis: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*: quos omnes, sicut reliquias aliorum, gratis, non meritis

ritis propriis prælegit Deus, ne de se præsumerent, aut gloriarentur, cum ex se nihil haberent præter peccatum. & in illo capite tradens Paulus doctrinam prædestinationis & electionis quorumdam præ aliis, concludit, *o altitudo divitiarum;* uti solet, dum de Mysterio prædestinationis & reprobationis agit Augustinus, in cujus laudato Sermone locus non est justitiæ meritorum ad vitam æternam, nec ad primam aut ultimam gratiam: imo excluditur in electione, quæ misericordiæ & gratiæ est effectus. quapropter, seclusa justitia ex propriis meritis eorum qui sunt electi, sic intelligendus est Sanctus Doctor dum dicit, elegit eos secundum gratiam suam, & illorum justitiam: electi sunt secundum Dei gratiam, quæ justitia illorum facta est, cum eorum sanctitatem gratia, qua sunt electi, fuerit operata. hancque genuinam esse illius mentem confirmant hæc alia ipsius verba, *ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal: non sunt mutati, sic sunt ut a me facti sunt:* de Deo, non de se præsumunt, quia tales Deus per electionem gratiæ illos effecit. & revera, gratia illa ex qua, in accepta jam justitia per gratiam electionis, perseverant, est beneficium ipsius gratiæ, quod per electionem, aut in electione fuit illis a Deo in sua præscientia præparatum. est enim pro electis in intentione Dei vocantis secundum propositum, quædam, ut ita dicam, gratiarum concatenatio vel cohærentia, unde ex una ad aliam successive progrediuntur electi, ut meritis ex gratia comparatis tandem pleni, gloriam consequantur pro merito, ad quam ex Dei beneplacito, gratis, & absque ullo eorum merito sunt prædestinati. & hic recurrit ordo duplex intentionis & executionis, de quo sæpe Doctor Subtilis in præsenti negotio secundum Doctrinam Augustini, cui firmissime adhæret. ex hac data interpretatione a mente Sancti præsulis nullatenus aliena facile evincitur testimonium ex illius laudato Sermone desumptum, potius & efficacius impetere prædestinationem ex prævisis meritis statuentes, & nostram sententiam ab illo magis confirmari.

Alia insuper afferri potest præcitati ex Augustino testimonii interpretatio, ad mentem Apostoli, ipsiusque Augustini propius fortasse accedens, & prædestinationem antecedentem statuens. eo in Sermone, qui alias erat septimus de verbis Domini, exponit locum Evangelii de differentia inter vocatos, & adducit Augustinus locum Epistolæ ad Romanos cap. 11. in quo Apostolus loquitur de discretione electorum a reprobis, dicens per gratiam salvari reliquias, populi scilicet reprobati, Judæorum nimirum, ex quibus, ut ait Hipponensis, *quos voluit Dominus, hos elegit:* illos nempe de quibus dixerat Paulus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt:* illos autem non secundum eorum merita vocavit Deus, sed secundum propositum suum; unde dicit Sanctus Doctor, *elegit autem secundum suam gratiam.* & ex electis istis, qui sunt reliquiæ salvatæ per gratiam, ostendit Apostolus Deum non repulisse plebem suam quam præscivit, etsi ad fidem Evangelii vocatæ sint Gentes: seque dat in exemplum, & commemorat Eliam, qui putaverat omnes, se solo excepto, in idololatriam fuisse prolapsos: quem Deus a sua deceptione ut revocaret, illum monet multos esse adhuc fideles, qui designantur per

Hhh 2 se-

septem millia virorum, quos sibi ab aliis segregaverat Deus tamquam reliquias gratiæ, quos eo nomine appellat, quia alii obcæcati, obstinati, ac reprobi erant, & juxta eumdem sensum pergit toto capite Gentes assumens in locum Judæorum deficientium, donec perveniat ad occulta Dei judicia, ad quæ pertinent illorum prædestinatio, illorum reprobatio: & tunc miratus ac stupens exclamat, *o altitudo divitiarum &c.* illis quos elegit Deus secundum gratiam, idest, ex misericordia & gratuita liberalitate prædestinatis ad gloriam, quæ est cunctarum gratiarum maxima, & respectu electorum aliorum in ordine ad salutem causa & principium, opponit Augustinus illos, qui secundum eorum justitiam in damnata peccati massa derelicti reprobantur, & ut oppositio sit gratiæ & justitiæ, gratiæ in prædestinando nullis suppositis meritis ex parte eorum qui prædestinantur: justitiæ in non prædestinando illos qui propter sua demerita in primitiva damnatione omnibus Adæ posteris communi relinquuntur, illos electos dicit ad gratiam, istos ad pœnam, ut constanter tenet cum agit de discretione electorum a reprobis in statu derelictionis. & juxta hunc sensum exponit locum Apostoli, adducens testimonium Isaiæ: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, &c.* ubi electionem conjunctam cum reprobatione semper retinet, & electionem gratię Dei attribuit, ut dictum est. unde cum dicit *elegit autem & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam*, nullus est ibi locus justitiæ meritorum & operum, quam excludit eum Apostolo: *si gratia, jam non ex operibus, de tuo merito non extollaris: alioquin gratia jam non est gratia*. ad prædestinatos quos elegit Deus secundum suam gratiam, non spectant ullomodo sequentia hæc verba, & secundum illorum justitiam; sed contra ad non prædestinatos, qui secundum suam justitiam, seu sui demeriti exigentiam, quod demeritum dicit illorum justitiam, derelicti reprobantur. sic eadem sententia duo ex Apostolo statuit Augustinus pro more suo: prædestinationem illorum secundum gratiam, nullo ex parte ipsorum interveniente merito: reprobationem istorum secundum justitiam, quæ in eorum demeritis fundatur.

Nec aliquem moveat quod dixerit, elegit secundum illorum justitiam, de reprobis significans: veluti eligere sumi posset pro reprobare, & justitia pro demerito seu injustitia haberi. Pauli modum loquendi tenet Augustinus, justitiam in malam partem usurpantis, illamque justitię quę virtus est ex Deo opponentis. sic Epist. ad Rom. cap. 10. *ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti*. & in eodem sensu dixerat cap. 8. *prudentia carnis mors est*. unde in Psal. 118. ad illa verba; *hæc facta est mihi, quoniam justitias tuas exquisivi*, ait *justitias utique tuas, quibus justificas impium, non meas, quæ numquam me pium faciunt, sed superbum*. sic pariter reproborum demerita dicit illorum justitiam malam, sicuti Serm. 129. Pharisęorum superbiam illorum dicit justitiam. quod multis Sancti Doctoris testimoniis, si opus esset, haud difficile posset confirmari. electio vero quę prælectionem secundum gratiam vulgo significat, in malam partem quandoque sumitur. Augustinus per eam sępius intellexit destinationem ad pœnam,

nam, quemadmodum aliquando dixit prędestinari ad damnationem. & recte Deus pœnam & supplicium impiorum potest intendere, ideoque potest ad eam eligere. Nec mirum videri debet, si verbum eligere in malam partem accipiens illud cum reprobatione conjungat, qui dixit Judam fuisse electum ad perditionem. sic enim loquitur lib. de corrept. & grat. cap. 7. super hęc Christi verba: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est: illos*, inquit, *debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum*. Id unum inter electos & reprobos in sensu Augustini est discriminis, quod dum de bonis loquitur, verbum *eligere* in sensu vero & proprio accipit: dum vero de malis, in sensu latiori & improprio. ea propter superius de Apostolis dixerat: *electi sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat*. Hacque de causa lib. quęstionum in Genesim, dicit quęst. 117. eadem mox laudata Christi verba commemorans, quod non *facile invenitur electorum nomen in malo*, & declarat proprie loquendo, non vero per synecdochen, hoc est nomine melioris & majoris partis alios etiam complectendo, *ad electionem non pertinere nisi bonos*. Nihilominus de Juda dixerat Tract. 117. in Evang. Joan. *filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus*, quibus ita observatis ad intelligentiam priorum verborum Augustini, evidens est ab illo excludi in prędestinatione Sanctorum justitiam illorum ac merita, totumque gratia tribui divinę ac misericordię: reprobis vero, dum in massa perditionis a Deo relinquuntur, secundum illorum justitiam, id est demeritum seu injustitiam retribui. unde penitus evanescit adversariorum oppositio, & eo facilius, quo magis Augustini sententia explicatur. & quęcumque afferantur ex ipso testimonia, etsi prima fronte prędestinationem ex previsis meritis statuere videantur, si diligenter, & animo sincero perpendantur, nec unum erit, ex quo directe contra gratuitam seu antecedentem prædestinationem, quę est vera, constans, & unica hujus Sancti pręsulis doctrina, liceat argumentari: illud licet non advertant nec fateantur, qui ex prejudicata nimis opinione, vel ex inordinato affectu ipsius scripta, forte etiam celeriori cursu, pervolvunt.

Neque enim circa profundiora ac difficiliora divinæ gratię ac prædestinationis mysteria, quę in altitudinem divitiarum sapientię ac scientię Dei, occultaque ipsius judicia, sunt refundenda, satis est semel & iterum legisse Augustinum: & nisi attento animo, veritatis quandoque latentis detegendę studio, legentes secum meditentur, testimonia cum testimoniis conferendo, hallucinationi & deceptioni frequens patebit aditus, ita ut Pelagianorum ac Semipelagianorum placita, quę convellere studet Sanctus Doctor, eorumque objectiones, quas expedire ac funditus tollere instituit, pro vera ipsius sententia, quod non raro accidit, ab incautis habeantur. Augustini Doctrinam altius si fuisset rimatus Honoratus Tournely, de quo non immerito dicit Berti in suo Augustiniano systemate vindicato dissert. 4. cap. 1. *quem nesciunt omnes cujus sententiæ sit homo*, circa pręsentes prędestinationis & gratiæ quæstiones, non fidenter adeo in confirmanda sua opinione de consequente prędestinatione

destinatione, argumentum desumpsisset ex verbis Sancti Doctoris pro libero arbitrio laborantis in prima parte secundę quæstionis ex libro 1. ad Simplicianum de quo superius egimus; nec illud tanti fecisset ex eo quod nihil de illa quæstione retractaverit, si advertisset, ut res est, & supra ostendimus, Augustinum in secunda parte in qua certat pro gratia, evertere omnino quæ dixerat in prima certans pro humanæ voluntatis arbitrio: quin potius vidisset se eo loci habere Augustinum adversarium: & eodem tempore intellexisset se, Bellarminum, ipsique adhærentes, dum dicunt hęc juniorem scripsisse Sanctum Doctorem, veluti ea quæ tunc scripserat aliquando retractaverit, merito quidem, sed inefficaciter ac infirme refellere. idque dictum sit pro illis omnibus, qui prędestinationem ex prævisis meritis ex eodem testimonio probare conantur, Augustinum ab ipsis longe distantem, suam hac in parte falso & incaute gloriantes.

Doctrinam pariter istius Sancti Doctoris non sat perpendentes nonnulli falsas illi ascribunt opiniones, quæ ab ipsius mente sunt alienæ, ejusque principiis quandoque adversantur. Sic in prę senti negotio gratuitam prædestinationem ex Augustino impugnare arbitrantes oppositam sententiam ut defendant, argumentantur ex Sermone 233. de tempore, nunc in appendice Num. 71. inter suppositios; non advertentes hunc locum quem afferunt, & ut efficacissimum nobis opponunt, esse a vera Theologia abhorrentem, & errore Pelagiano refertum, in quantum significat gratiam secundum merita nostra dari. dum enim cap. 4. quęritur, quare hunc vocat Dominus, illum non vocat; uni subvenit, uni non: respondetur, hunc dignum habet probonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis: ex quibus sequitur homines se ipsos discernere, & se discernere per naturæ vires: unde concludit, inquire pacem, & sequere eam totis viribus tuis: & cum hæc feceris, gratiam meam percipies. quid mirum deinde, si Theologi in doctrina Augustini ita exercitii, quamplura ejusdem testimonia solvere impotentes, decenter adeo pronuntient, optandum fore, ut Augustinus parcius prædicasset suam illam Monarchiam gratiæ tum Dei, tum Christi. Nunc enim ipsis dicentibus, parcius prodirent spuria virulamina quæ ejus nomine in perniciem Christianismi sparsa altas radices dant, ut necesse sit ea Pontificiis oraculis reprobari. at quorsum spectat hæc eorum oratio? & quid inde colligunt, nisi in materia de prædestinatione se ad credendum Augustino non teneri? O dignam tantis viris sententiam! & reapse quod ore pronuntiant, factis ostendunt, dum sub ementito nomine Augustini, cujus tamen Discipuli videri volunt, spuriam doctrinam quam sibi fingunt defendentes, veræ ipsius doctrinæ eo magis adversantur, quo ad Pelagianorum aut Semipelagianorum placita propius accedunt.

ARGUMENTA EX ALIIS PATRIBUS.

Licet in rebus prædestinationis & gratiæ solus sufficeret Augustinus, cujus doctrinam fecit suam Christi ecclesia, operę prætium erit ut obstruan-

struantur ora loquentium iniqua, nonnulla afferre aliorum Patrum testimonia, quibus fiat manifestum illos omnes idem cum Hipponensi sentire: & exinde intelligatur prędestinationem absque pręvisione qualibet meritorum, ideoque ex gratuita Dei misericordia proficiscentem, licet ad fidem non pertineat, tutoque defendatur opposita sententia, non minus in omnium ferme Patrum doctrina fundari, quam in Augustini ac Scripturarum Sanctarum testimoniis; proindeque veritati magis consonam esse, majorique donari probabilitate.

Clemens Romanus in epist. ad corinth. cap. 1. de Abrahæ posteris loquens ait, *omnes glorificati & magnificati sunt, non per se ipsos aut eorum opera, aut justas actiones, quas patrarunt, sed per voluntatem ejus. sic nos ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati.* Gregorius Nyssenus in psalmos cap. 14. ait, *licet hostis gravis impressio sit, repellitur tamen (o Deus) auxilio tuo. Nam gratis hominibus salus a te venit, non ex operibus justitiæ, sed ex sola gratia tua: pro nihilo enim salvos facies illos.* Hilarius in psal. 118. super hæc verba: *& veniat super me misericordia tua Domine: Salus nostra*, inquit, *ex misericordia Dei est, & bonitatis suæ hoc munus.* Ambrosius lib. 6. in Lucam ait: *Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit.* Joannes Chrysostomus homil. 1. in epist. 1. ad corinth. *Nos nihil recte egimus, sed per voluntatem Dei salutem invenimus, & quoniam ei visum est vocati sumus, non quoniam digni eramus.* Hieronymus in epist. ad Ephes. *non eliguntur Paulus & qui ei similes sunt, quia erant Sancti & Immaculati, sed eliguntur & prædestinantur, ut in consequenti vita per opera atque virtutes Sancti & Immaculati fiant.* Auctor operis de vocatione gentium lib. 2. cap. 35. *Deus quos elegit sine meritis, dat ut ornentur & meritis. & frustra dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cum adhuc ut operentur electi sint.* Gregorius Magnus lib. 29. moral. cap. 15. docet ex inscrutabili Dei judicio ac voluntate pendere prędestinationem: idque confirmat ex epistola ad Romanos dicens: *Nemo perscrutari appetat, cur cum alius repellitur, alius eligatur.... inscrutabilia sunt judicia ejus.* & in lib. 1. Reg. cap. 14. lib. 5. ait: *mali non pereunt nisi quia ad vitam æternam prædestinati non sunt. Hinc.... credebant quotquot prædestinati erant ad vitam æternam. Hinc Paulus, quos præscivit, & prædestinavit; & quos prædestinavit, vocavit.*

Istos præ cæteris laudavisse satis sit: ne, cum a nonnullis temere novissimis temporibus dicitur a recentiorum Patrum & Doctorum circa prędestinationem sententia longe distare antiquos Patres, alicui ratio dubitandi suboriatur. illos omnes qui post Augustinum scripsere de rebus prædestinationis & gratiæ, ab istius doctrina non recedere religioni duxisse quis ignorat? Nec inficias eundi ulli ratio videatur, quod plures inter Sanctos hos Doctores, dum de justorum electione & vocatione loquuntur, ac fideles cum adhortantur ut totis viribus ad gloriam æternam consequendam laborent, electorum merita commemorent, eaque quasi fuerint ratio discretionis laudent: cum illorum testimonia solvere, si quid in iis videatur difficultatis, arduum non sit, dummodo attendatur ad duplicem ordinem intentionis & executionis, de quo

de quo jam dictum est. merita Deo non sunt causa eligendi istos prę cæteris: idque eo minus, quod merita ipsa non sint nisi effectus electionis, & a Deo præparentur cum mediis, id est gratię auxiliis illa operantibus, & ex decreto antecedente manantibus: & illud spectat ad ordinem prædestinationis in intentione Dei, quosdam e massa perditionis discernentis per suam gratiam ac misericordiam. in executione tamen interveniant oportet merita, quæ Deus prædestinans in sua gratia præparavit. gloriæ enim æternæ possessio, quæ est maxima gratia, nulli retribuetur absque meritis, Christi scilicet pro parvulis post baptisma decedentibus; propriis vero ex parte adultorum: sicque verum omni ex parte erit vitam æternam respectu illorum omnium esse mercedem, præmium, & coronam. quibus sic expositis optime intelligitur quomodo in prædestinatis manifestetur simul misericordia & justitia, & quomodo justitiam superexaltet misericordia: unde in æternum cum psalte Regio in testimonium gratitudinis incessabilis dicent exultantes prædestinati, *misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*.

ARGUMENTA EX SCOTO.

Quoniam a Doctoris Subtilis venerandi pręceptoris nostri sententia, potissimum in quæstionibus quę sunt alicujus momenti, non recedere gloriantes profitemur, assertionem nostram de gratuita prędestinatione ex parte Dei, nulla ad eam concurrente pręvisione meritorum ex parte eligendorum, juxta mentem ipsius esse ac vera illius principia ostendamus oportet; illos qui hac de re hunc incertum fuisse & dubium existimant; ejus doctrinam strictim nimis ac leviter esse rimatos eodem tempore ostensuri. ex eo quod in 1. dist. 41. utraque circa causam prædestinationis sententia exposita, suisque argumentis confirmata, dixerit Scotus, " de istis „ opinionibus omnibus eligatur quæ magis placet, dum tamen salvetur liber- „ tas divina sine aliqua injustitia, & alia, quæ salvanda sunt circa Deum, „ ut liberaliter eligentem; & qui aliam opinionem tenuerit, respondeat ad „ ea, quę tacta sunt contra eam: " hinc arbitrati sunt ipsum circa hanc materiam anxium fuisse, nihilque de ea determinasse cum inde tantum collecturi fuissent, ipsum, quod verum est & concedimus, existimasse prædestinationem in utramque partem defendi posse ex quo factum est illos verba ejus pro arbitrio fuisse interpretatos. Scotus tamen prædestinationem ante prævisa merita clare adeo tuetur, sententiam divi Thomæ quam proposuerat amplectendo, ut neminem varios ipsius textus legentem fugere vel latere possit, cum sæpius asserat nullam esse rationem prædestinationis præter Dei voluntatem, licet in reprobatis detur ratio eorum reprobationis: & ex comparatione quam statuit relative ad Dei voluntatem inter prędestinatos & reprobos, expressa inveniatur ejus sententia Augustini doctrinæ plane conformis.

Præter argumentum quod in ingressu ex ipso retulimus de ratione finis quodque est probatissimum, alia non minus evidentia proferuntur. sic loquitur

tur eadem dist. 41. Num. 12. *Nec mirum quod non ponitur similis processus prædestinationis & reprobationis, quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo: mala autem nobis; & ita Deum prædestinare sine ratione congruit bonitati suæ.* en ex Doctore subtili argumentum pro gratuita prædestinatione, ipsa Dei bonitas. de eodem iterum habet & iisdem verbis in Reportatis, seu resolutionibus quæstionum super 1. librum Sentent. dist. 41. insuper in illos qui volunt Deum quosdam eligere quia præscit illos bene usuros libero arbitrio gratia adjuto, arguit ex eo quod Deus non prævidet bonum illum arbitrii usum, nisi quia illum vult & præordinat. unde juxta ipsum id præter rationem assertum videtur. „ Quandoquidem, inquit, certa futurorum contin„ gentium prævisio ex divinæ determinatione voluntatis est: quapropter non prius illud intellectus prævidet, quam voluntas idipsum determinaverit. " Hincque probare intendit nullum in prædestinatione intervenire meritum ex parte electorum.

Aliud habetur ex eodem argumentum in 2. dist. 20. quæst. 2. docens enim cum Sancto Gregorio Papa lib. 4. Moral. „ quod si parentem primum nul„ la peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; „ sed illi qui nunc per Redemptorem salvandi sunt soli ab illo electi nascen„ rentur: " omnia merita excludit, illaque ponit tamquam consequentia electionem, illiusque effectum: quod ostendit ex alio suo argumento de volente ordinate finem unde ait: „ Deus est ordinate volens, igitur primo „ vult seipsum tamquam finem. Deinde vult suam bonitatem creaturæ ra„ tionali communicare, id est conferre illi beatitudinem. Tertio vult illi gra„ tiam, quæ ordinatur ad felicitatem æternam: " hæc sunt ipsius verba in reportatis, similia prorsus iis quæ scripserat loco mox laudato. audiant illa & perpendant Pontius, Faber, Frassen, aliique e nostris a Scoto recedentes, & in Magistro dubii vestigium quoddam si possunt reperiant. num dubitanter loqui dicetur dum in reportatis ad dist. 41. libri 1. Sentent. postquam plura disseruit ut ostendat solam Dei voluntatem esse ipsi causam prædestinandi, & præ aliis adducto exemplo de Jacob & Esau, concludit his verbis: „ causam si quæras, hanc reddit Apostolus, quia Moysi „ dictum est, miserebor cujus miserebor, &c. verum ergo manet illud Au„ gustini, gratiam Dei non invenire eligendos, sed facere. quamvis autem „ prædestinationis non sit ratio aliqua, quatenus est a Deo, nec etiam ex „ parte prædestinati aliquo modo prior ista prædestinatione, propter quam „ illa actio divina magis terminetur ad hunc quam ad illum, tamen hoc „ modo est in reprobato aliqua reprobationis ratio. " quod confirmatur ex iis quatuor instantibus quæ in hac re observat. „ In primo instanti, inquit, „ vult Deus electis beatitudinem conferre .... in secundo decernit se da„ turum electis gratiam, &c. " gratia ex qua merita originem habent decernitur ex Doctore, consequenter ad prædestinationem, quæ prior est in intentione Dei: idque ob rationem principalem, nempe quia prius est intendere finem quam media.

Dubius ergo minime fuit circa præsentem quæstionem Subtilis Scotus, qui

ubique prædestinationem seclusis meritis statuit ; etsi ad placitum legentis optionem sinat esse , quod nonnullis e suis deceptionis occasio fuit . legant itaque & verba conferant. quinque has opiniones quas proponit inquirant : statimque quartam, quæ affirmat prædestinatos fuisse electos ex gratuita Dei misericordia absque ulla causa ex parte ipsorum , illam esse quam incunctanter defendit , facile advertent : potissimum si ad hæc verba: *de istis opinionibus omnibus*, attendant, quæque indicant nedum opinionem Henrici , quam existimavit non improbabilem , & opinionem Divi Thomæ cui adhæret, commemorasse Scotum ; sed etiam illam quæ fuit Sancti Augustini initio suæ conversionis de fide initiali, quamque ipse Sanctus præsul toties retractavit : & aliam quam quintam opinionem vocat , licet quartæ , quę est Scoti , & quantum ad reprobationem in aliquo diversę a secunda , quę est Angelici Doctoris, sit potius expositio , quam nova opinio. circa diversas illas opiniones de quibus Scotus , errat potius , dum quintam dicit opinionem, illam quæ est num. 11. ad hęc verba, *potest aliter dici*: est enim hæc quarta & Doctori propria. quinta vero est num. 12. post objectionem quæ incipit *contra istud*. & in illa ponuntur quatuor hęc instantia naturę quę mox cum ipso, & ex ipso observavimus: ideoque dictum est , ac merito, quintam hanc opinionem esse potius expositionem quartę præcedentis, quam novam quamdam sententiam, & reapse, mentem suam disertius in illa aperit. Decipitur pariter Pontius, dum ad illa verba *de istis opinionibus omnibus*, num. 13. dicit, quod ex hoc patet Scotum pro sua modestia nihil determinare voluisse quoad has sententias: indicans enim hoc loquendi modo , Scotum nullam harum opinionum fecisse suam , hallucinatus est , cum quartæ, quam validis confirmat argumentis , etsi infirma Pontio visa fuerint , nomen dederit Doctor , illamque fuse exposuerit : satis est ad judicii nostri æquitatem ostendendam , si attente Scotus legatur. id autem observandum nobis erat ; ut manifestum fieret Doctorem subtilem una simul cum Augustino sentientem , pro gratuita prędestinatione ad gloriam antecedenter ad prævisionem cujuscumque meriti etiam per gratiam comparandi stetisse & firmiter , contra illos qui hac in parte arbitrantur Scotum sequi ; prędestinationem consequentem , quæ est sententia Henrici ab ipso Scoto impugnata , defendentes , quia utram sequi vellet cuique liberum reliquit : veluti si ex nullo alio capite potuissent dignoscere quænam vere fuerit opinio illius . sed de his satis. cum Pontio & aliis quibusdam iterum mox agemus.

ARGUMENTA EX RATIONE.

HUmanas cogitationes ad rimanda prædestinationis mysteria a nobis non fore adhibenda in principio dictum fuisse non immemores , nullis utemur subtilitatibus a quibus longe distant rationes Theologicæ per quas assertionem sumus breviter confirmaturi.

Primum argumentum. Est illud quo utitur Doctor de volente ordinate finem . Gloriam æternam , idest beatificantem Dei possessionem , quę est sum-

summa & maxima gratiarum ex parte Dei, quarum cum auxilio supernaturali sit capax creatura intellectualis, esse illius finem ultimum, & adco necessarium, ut ipse Deus sibi & creaturæ alium non potuerit proponere, nihil cum possit operari quod propter se non operetur, nemo negabit: gratiam vero ac merita quæ ab illa gignuntur esse media ad finis istius consecutionem ordinata in confesso est apud omnes est autem de ratione operantis intellectualis quod prius finem intendat quam electionem, & præparationem mediorum: quomodo enim cum fine obtinendo proportionem haberent media ex supposito quod ille prius illis non intenderetur? ordo executionis nullatenus pręcedit ordinem intentionis; nec umquam de mediis cogitaretur fine nondum proposito. & exinde est quod in executione applicatio mediorum præcedat consecutionem finis; ut enim vulgo dicitur, quod est prius in intentione, est posterius in executione. consequens ergo est prædestinationem seu voluntatem dandi gloriam pręcedere voluntatem pręparandi media: proindeque decretum Dei eligentis esse absolutum & antecedens quamcumque meritorum pręvisionem.

Secundum argumentum. Prædestinatio antecedens Deum magis decet, estque in illa plus dignitatis quam in electione consequente. in illa enim totum tribuitur justitię, nihil misericordię Dei aut liberalitati: in illa vero & misericordię & justitię jura servantur, misericordię & gratię in intentione; justitię in executione. quo posito nostra sententia alteri pręstat. magis, inquam, Deum decet: alioqui enim tota prędestinationis ratio ad natum vel meritum reducitur createę voluntatis: & in formando suo decreto expectaturus est Deus determinationem illius, atque a creaturis emendicaturus caussas & principia discretionis & electionis; quod nec potest dici, nisi vilescat, ut sępe cum Doctore observavimus, divina Majestas pro nutu & arbitrio creaturæ operatura, & quasi cum illa contractum factura, qui speciem quamdam indigentię arguit in ipsa, ac divinam voluntatem ita in manu hominis ponit, ut Deus, illum non movente homine, nec velle nec operari queat. ex quo sequitur, quod si cuiquam hominum non videretur in hypotesi gratiæ versatilis, se determinare ad merita comparanda, ratione quorum nonnullos eligeret, nulla tunc esset in Deo prędestinatio agnoscenda, quod est evidenter absurdum.

Tertium argumentum. prædestinationem ad gratiam mere gratuitam esse concedunt omnes. ut quid ergo prædestinationem ad gloriam, quæ est omnium gratiarum in ordine ad electorum salutem fons & principium, non concedunt esse similiter gratuitam? Hæc illorum inter utramque pugnantia ex falso quodam supposito proficisci videtur. existimantes enim prædestinationem ad gratiam priorem esse prædestinationem ad gloriam, primam tenentes gratuitam ne Pelagiano errore laborent, alteram opinantur minus gratuitam, fide catholica circa illud ultimum caput nihil definiente, saltem explicite. falsum autem videntur supponere, ex eo quod gloria non ordinetur ad gratiam, quocumque modo illud intelligant, sed magis gratia, tam in intentione Dei quam ratione finis & in executione, ordinetur ad gloriam.

Tollatur hominum ad Deo Beate fruendum electio, vel æternæ salutis adimatur spes, quem fructum ex divina gratia habebunt? qua ratione invertitur ordo decretorum Dei circa prædestinationem tum ad gloriam, tum ad gratiam? (liceat enim divinum de prædestinatione ad utramque decretum, quod in se realiter unum est, nulla sufficienti stante ratione cur multiplex reputaretur, considerare veluti duplex esset, relative ad duplicem effectum.) gratia illa de qua hic agitur non est quæcumque gratia simpliciter, sed gratia quæ ex Dei præparatione ordinatur ad gloriam: siquidem gratia ad quam prædestinantur electi, (& de illa potissimum in præsenti disputatione movetur quęstio ab iis quos extra propositum vagari non delectat;) ea est quæ designatur ab Augustino de prædestinatione completa agente, ut nos cum illo agendum judicavimus, nomine beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, & quorum beneficiorum præscientia & præparatio connectitur in Dei decreto cum liberandorum prædestinatione seu discretione a non liberatis, adeo ut discretio & electio illorum nusquam sit disjungenda a beneficiorum præparatione, sicuti finis & media in consequente finem pro ut consequitur finem, ab invincem non separantur. cum igitur gloria sit finis, tam in intentione Dei ad eam prædestinantis, quam in expectatione illorum qui ad illam prędestinantur: gratia vero, id est Dei beneficia liberandis præparata sint media ordinata ad gloriam; & prius in ordinate volente intendatur finis quam media, prædestinatio ad gloriam necessario debet præcedere prædestinationem ad gratiam: unde fit quod prædestinatione ad gratiam data pure gratuita, dicente Apostolo Rom. cap. 11. *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia non est gratia*: & Ephes. cap. 2. *gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est non ex operibus, ne quis glorietur*. (& eo loci de prædestinatione ad gratiam in quantum connectitur cum prædestinatione ad gloriam ad quam ordinatur, & a qua non disjungitur, Apostolum loqui ex ipso contextu evidens est.) *ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*: nomine omnium salvandorum & pro illis omnibus loquitur: prædestinatio ad gloriam dicenda pariter est pure gratuita. sicque probatum manet ex quocumque capite, ut faciamus dicendi finem, prædestinationem adæquatam & completam, seu decretum Dei efficax quibusdam præ aliis dandi gloriam, & gratiam sive primam; ut est vocatio efficax ad fidem & justificationem; sive secundam, ut sunt bona opera subsequentia, & potissimum, præter perseverantiam tamporalem in bono, perseverantia finalis, id est unio mortis cum gratia sanctificante in electis, quæ sunt Dei gratuita beneficia ab illo prædestinatis misericorditer præparata, antecedere quamcumque meritorum prævisionem, & ita in præsenti naturæ statu gratuitam esse, ut nullam habeat causam præter absolutam Dei voluntatem, infinitamque ejus misericordiam. unde nec bonis operibus ex naturæ viribus elicitis, nec meritis supernaturalibus ex bono usu gratiæ comparandis, movetur Deus in componendo suo efficaci decreto circa prædestinationem ad gloriam & gratiam.

S.O.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

1. OBjectio. ratio desumpta ex volente ordinate finem, juxta quam cum Scoto dicendum videtur Deum prius prædestinare ad gloriam quam ad gratiam ex qua fiunt merita, ex eo quod gloria habeat rationem finis, merita vero & gratia sint tantum media ordinata ad finem assertionem nedum non firmat sed potius evertit. Deus enim non vult electis gloriam sub unica ratione finis, sed magis sub ratione pręmii, coronę ac mercedis, eamque vult conditionate, saltem ex parte creaturę, non autem efficaciter & absolute: unde merita prius velle debet quam gloriam. aliunde gloria & finis meritorum respectu nostri. at respectu Dei gloria est velut medium, & merita sunt finis, cum magis faciant ad Deum cui ex meritis nostris major accedit gloria: nobis autem magis confert gloria qua coronamur. minus ergo prudenter non vult Deus prius volendo merita quam gloriam.

Resp. efficaciam argumenti ex volente ordinate finem, quo ad pędestinatione antecedentem & gratuitam statuendam utitur Doctor Subtilis, ostendit studium sententiam oppositam defendentium ut illud infirmet. verum licet plura loquantur ut vires illius elidant, nihil ipsis prodest. siquidem ut astruant Deum ordinate & sapienter agentem prius intendere merita quam gloriam, eo deveniunt ut dicant gloriam, quę certissime est finis unicus quem intendit Deus, ex eo quod necessarium ordinem ad illum dicat, posse non considerari sub ratione finis, bene vero sub ratione pręmii, coronę ac mercedis, quasi vero licet merces, pręmium, corona dicatur gloria, possit hęc amittere rationem finis, qui ipsi necessario inest tam respectu hominum quam respectu Dei, quoties, ut in præsenti controversia, consideratur in ordine intentionis Dei ad illam prædestinantis. Hic differitur de causa movente Deum ad quorumdam electionem, quod meritis nullo modo tribui potest; cum gratia, ut jam ostensum est, ex qua fiunt merita, supponat electionem. ipsa etiam gloria, quæ in se ipsa spectata est finis a Deo intentus, inquantum reputatur corona, merces, præmium, supponit pariter electionem illorum quibus est reddenda: ubi enim est retributio, oportet ut sint quibus retribuatur. unde nihil aliud inferri potest ex omni adversariorum ratiocinio, nisi quod semel & iterum diximus, electionem in ordine executionis supponere merita ex parte pręmiandorum: quæ merita si deessent ex impossibili, jam supposita electione absoluta ex parte Dei, effectu suo fraudaretur divinæ voluntatis decretum, quod repugnat. sed quoquo modo id intelligatur, gloria ad quam destinantur electi, semper habebit rationem finis: gratia vero & merita nusquam poterunt esse nisi media conducentia ad finem: & quamvis etiam in intentione Dei gratuito prædestinantis ad gloriam ipsa sint absolute necessaria ad divini decreti executionem, ea tamen nullomodo dici poterunt Deum moventia ad discernendum alios præ aliis, quia non potest inverti ordo necessarius inter finem & media, juxta quem ille non potest non esse prius illis in in-

intentione . & in hoc sensu dicebat princeps Apostolorum 2. epist. cap. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, quasi diceret, gratis a Deo vocati & electi, in quantum ex vobis est, reddite per bona opera vestram vocationem & electionem certam: nisi enim per opera virtutum certa & immobilis fieret, a vestra spe excideretis, cum bonum operantibus dumtaxat pateat introitus regni cœlestis, ad quod gratuito vocati estis, ideoque verbis laudatis subjungit Petrus: *hæc enim facientes non peccabitis aliquando: sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi*. cum autem addunt Deum velle gloriam Creaturæ conditionate, saltem ex parte creaturæ, id verum esse potest in ordine executionis, licet absolutum sit & efficax Dei decretum justos ad gloriam prædestinantis nulla habita ratione meritorum.

Multiplici argumento Pontius, Dupasquier, aliique quos sequitur Tournely, conantur ostendere media seu merita prius intendi a Deo respectu electorum quam gloriam seu finem: sed in ipsius est mera petitio principii, circulusque vitiosus, cum illud de quo litigatur pro ratione afferant, semper ut certum supponentes quod ipsis probandum incumberet, quodque adversus ipsos ut absolute falsum negamus, prævisionem scilicet meritorum præcedere electionem, & prædestinationem ad gratiam prius esse prædestinatione ad gloriam, & intentum ut habeant, si possibile ipsis esset, contra evidentiam pugnant. dum enim ipsis opponitur media necessario ac efficaciter conducentia ad finem non posse intendi prout sunt media efficacia ad illum finem, nisi efficaciter intendatur & finis, & illo fine prius intento eligens moveatur ad electionem horum mediorum efficacium; ex quo sequitur Deum electis suis præparantem media afficaciter ac infallibiliter conducentia ad gloriam, illa que ea ratione præparantem quod efficaciter ac infallibiliter ad eam electos ducant, gloriam seu finem prius intendere quam mediorum præparationem, primam propositionem negant, ut illationi necessariæ ex illa non consentiant, extra propositum divagantur, distinguentes, subdistinguentes, obscurum, ut dicitur, per obscurius explicantes: ut cum opinatur Tournely prædictam negans propositionem difficultati fecisse satis dicendo, quod multis reprobis nonnulla interdum efficaciora conferuntur gratiæ auxilia, quam electis, si una excipiatur finalis perseverantia; Deus tamen erga illos efficacem & absolutam non habet intentionem dandi gloriam: unde concludit electionem mediorum efficacium non semper supponere efficacem & absolutam finis intentionem. advertendum ipsi erat vanum prorsus ac futile esse hujusce modi ratiocinium, cum non agatur simpliciter de mediis magis vel minus efficacibus quæ conferuntur electis & non electis. quid enim prodest quod efficaciora reprobis concedantur gratiæ auxilia, si hæc non sint, ut vere non sunt, respectu illorum in ordine finis, & ad illum efficaciter non conducant. quantumvis efficacia supponantur quædam gratiæ auxilia quæ interdum reprobis conferuntur, hæc intendi non possunt pro ut sunt media necessario ac efficaciter conducentia ad finem, cum respectu reproborum nullo modo possint habere rationem mediorum ex eo

quod

quod pro illis non dirigantur ad finem; hæc autem directio ad illum est ipsis absolute necessaria ut possint reputari media. unde non mirum si reprobis conferantur hæc gratiæ auxilia, quin Deus finem seu gloriam efficaciter intendat; & reapse in tali supposito, jam scilicet facta electione salvandorum, finem seu gloriam pro non salvandis Deus non potest efficaciter intendere; id enim implicat. & in rei veritate illa gratiæ auxilia pro salvandis habet vere rationem mediorum, quæ sunt dumtaxat in ordine illorum beneficiorum Dei, quæ liberandis præparantur ut certissime liberentur, quod erga reprobos locum non habet. probandum ergo erat ab isto Sorbonista, hęc efficaciora gratię auxilia quę reprobis aliquando conferuntur, esse a Deo pro illis electa tamquam media certo ac efficaciter conducentia ad finem, quin Deus efficaciter pro illis finem intendat. quod ex omni parte repugnantiam cum involvat, eadem remanet difficultas ipsi insolubilis.

Secunda Objectio. Duplex ordo intentionis & executionis, juxta quem, licet prędestinatio non fiat ex pręvisione meritorum, ita ut merita hęc futura non moveant Deum ad alios eligendos prę aliis, pręvidentur tamen merita & vere sunt interventura ut decretum Dei prędestinantis suum sortiatur effectum, quem non haberet sublatis meritis, quę in electis sunt absolute necessaria, ut per illa consequantur gloriam ad quam sunt prędestinati antecedenter ad illa: duplex ille ordo non potest admitti nisi in Deo duplex pariter admittatur decretum, duplexque volitio: unum quo statuit dare gloriam absque meritis, aliud quo vult illam conferre ob merita. duplex autem illud decretum videtur secum pugnare, aut saltem est inutile: rejiciendus ergo duplex ille ordo in sensu exposito.

Resp. Duplex ille ordo intentionis & executionis, quo supposito facile intelligitur justos gloriam, ad quam gratis, & non attentis ipsorum meritis, prędestinati sunt, non fore consecuturos nisi ex meritis, quibus illa pro mercede retribuetur: & quem Pontius sibi non arridere dicit, frustra ab ipso, & aliis in hac parte Pseudoscotistis rejiceretur. falsa ratione ducuntur existimantes hunc duplicem ordinem supponere vel postulare duplex in Deo decretum duplicemque volitionem, cum unico decreto, unoque voluntatis actu cuncta hęc determinet Deus, cui cum omnia sint semper prępsentia, nihilque sit respectu illius successivum, unica & ęterna tum intellectus tum voluntatis operatione quęcumque factibilia disponit. Hinc est quod eodem decreto quos vult gratis eligit ad gloriam, eosdem in tempore pro meritis coronandos; & eadem volitione merita pro sui executione decreti expectat ab illis, quos pro beneplacito, & nihil de eorum meritis in prædestinando cogitans, eligit ad gloriam: unde quos ex misericordia discernit ante tempora, ex justitia coronat in tempore, non multiplicata volitione ex parte Dei, qui utpote infinitus in omnibus suis operationibus & attributis sicut in suo esse, intelligit & vult modo infinito. & multiplicitas volitionum, quam videtur arguere gloria cœlestis, quæ relativa ad prædestinatos terminat eodem instanti duplex Dei attributum, misericordiam in intentione, justitiam in executio-

tione, repetenda est ex limitatione mentis creatæ, quæ duplex objectum, vel etiam idem numero objectum sub diverso respectu, unica intellectione attingere non potest, & res eodem modo in Deo se habere pro limitato captu suo perperam sibi fingit.

Nec quod impugnat Pontius cum suis, contra Scotum argumentans duplicem ordinem intentionis & executionis in re prædestinationis stabilientem, satis intellexisse videtur, dum ex duplici illo ordine duplex colligit decretum, quod mutationem quamdam arguit in Deo. Dicunt enim, si Deus in executione non vult dare gloriam sine meritis, cur in intentione decrevisset dare illam absolute & sine meritis? an aliter velle potuit in ordine intentionis, & aliter in executione? unde talis mutatio? misera & ridenda sane argumentatio! unde habent Doctorem Subtilem, & nos cum illo, usquam dixisse Deum in ordine intentionis statuisse gloriam conferre sine meritis? præscindendo a meritis & independenter ab illis ad gloriam quosdam gratuito eligere, iisdem tamen gloriam non decernere aut conferre sine meritis, sunt duo valde diversa, & minime secum pugnant: illa unico voluntatis decreto determinat Deus. præscientia meritorum, quæ ipsum minime latent, cum in efficacia suæ gratiæ præparantur ab ipso illis quos electurus est, minime motus Deus, ex misericordia discernit quosdam a massa damnata, a quibus, ut ex justitia retribuat illis gloriam, quam gratuito & ex liberalitate præparavit vocando eos secundum propositum, merita exigit in executione, quæ in intentione non fuerunt ratio illos vocandi, sed fuerunt tamen, etiam in ordine intentionis, ratio præmiandi, in quantum decretum divinum, quod est æternum, & in quo duplex ille ordo, duplex quodam modo habens objectum, disjungi non potest, in tempore est executioni mandandum, suumque infallibilem effectum sortiri debet. sicque utrumque verum est, Deum scilicet meritis inconsultis ab æterno decrevisse dare nonnullis gloriam, & illum in tempore iisdem quos non elegit propter merita, retributurum esse gloriam pro meritis. & quod Deus ab æterno in intentione habuit, id in tempore executioni mandatur eodem præcise modo quo illud in intentione habuit. Numquam decrevit Deus dare gloriam sine meritis subsequentibus electionem, licet ea merita prævisa illum non moverint ad electionem. quod si adverterent illi quos refellimus, & quomodo ea omnia intelligantur a Doctore perpenderent, nec ab illo recederent, nec ipsi quæ nusquam excogitavit imperite adscriberent. alia quibus sententiam Scoti inconsiderate impetit Pontius multa ut intentum habeat differens, nullius sunt ponderis, & supponunt quod esset probandum, ut dictum est; merita scilicet prævisa esse Deo rationem prædestinandi. & cum dicit authoritates Augustini, quę probant electionem ad gloriam præcessisse prævisionem meritorum, commodissime explicari posse de electione ad gratiam cum finali perseverantia, quod inquit, vel leviter eas consideranti satis apparet, se ostendit verba Sancti Doctoris alte fuisse minus perscrutatum; ejusque testimonia leviter consideraffe. videnda pariter loquitur dum prædestinationem consequentem valide propugnare arbitratus, auctoritates tum Scripturæ, tum Augu-

gu-

gustini, quibus niti potest illius opinio, tamquam insufficientes parvi facere videtur, ex eo quod probabiliter exponantur ab adversariis. unde judicat rationem esse fundamentum a quo pendet firmitas suæ conclusionis: & revera rationibus infirmis, ac jejunis eam probare cònatur, quæ cum proprio pondere ruant, iis respondere non vacat.

Tertia Objectio. Dato quod prædestinatio sit a meritis salvandorum prævisis independens facile intelligeretur quare quibusdam detur perseverantia finalis, aliis vero non detur; & quærentibus hujusce rei causam, responderi posset, perseverantiam finalem ideo uni dari, quia est prædestinatus ad gloriam, ideo alteri non dari, quia non est prædestinatus. est autem difficillimum imo & impossibile intellectu quare uni detur, alteri vero non: illudque se penitus ignorare lib. de corrept. & grat. cap. 8. confitetur Augustinus, & ad inscrutabilia Dei judicia, quę penetrare non possumus, ipse recurrit. & aliunde dicendum esset quod sicuti perseverantia finalis eo tempore quo datur seu in executione non conceditur propter merita, sed est plane gratuita, ita gloria quę cum finali perseverantia est immediate conjuncta, in executione gratis, non vero meritis conceditur. illud autem cum defendi nequeat, dicendum est ex prævisione meritorum fieri prędestinationem.

Resp. Ex eo quod nequeat reddi ratio cur uni detur perseverantia finalis, alteri vero non, ad veritatem, & ad mentem Sancti Augustini propius accedere, qui volunt ex pręvisa finali perseverantia fieri prędestinationem ad gloriam, existimans Tournely, veram ideam tum de gloria relative ad prædestinationem, tum de perseverantia finali, se non habere ostendit. nonne advertere debuisset perseverantiam finalem, pro ut talis est & cum gloria immediate conjungitur, non habere rationem meriti, & ex illa Deum nullomodo fieri posse creaturę debitorem. per finalem perseverantiam, quę Dei donum est, solis & omnibus prędestinatis ita reservatum, ut nullus prędestinatus eo absolute carere possit, nullusque non prędestinatus (quęcumque de prędestinatione defendatur sententia) illud absolute possit obtinere, homo non meretur, cum nullum ex ea eliciat actum, illaque nihil sit aliud quam conjunctio mortis cum justitia habituali, per quam transit, in ictu oculi a statu vię ad statum patrię, hæcque dormientibus aliquando, aut gravissimo repentinoque morbo correptis, cunctumque proinde actum exercere impotentibus concedatur. Hæc potius dicenda est pręcedentium meritorum meta & ultimum complementum, & non raro perseverantię justorum in bonis operibus, a qua vere distinguitur, merces & pręmium; illam quibus vult Deus ex misericordia largitur: estque gratia superioris ordinis, quam in suo antecedenti decreto pręparavit in sua pręscientia iis qui secundum propositum sunt vocati; nec ullum est excellentius illa donum in ratione doni nisi gloria cœlestis, quæ illam infallibiliter comitatur. non mirum ergo si ad inscrutabilia Dei judicia recurrit Sanctus Augustinus cum ab illo quęritur, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat. & quid aliud nisi arroganter a quocumque quantumvis docto posset responderi? etenim quęrere quare perseverantia finalis quibusdam concedatur, quibusdam non concedatur, nihil

aliud est, quam quęrere, cur quidam sint prędestinati, cur quidam non sint prędestinati, cujus rei ratio non est præter unum divinę voluntatis beneplacitum.

Et a vero valde aberrant qui cum eodem dicunt falso nos supponere si teneamus ideo electis finalem perseverantiam concedi, quod sint ad gloriam prędestinati: in decreto enim Dei eligentis formaliter & necessario includitur decretum de concedenda perseverantia finali, & ab invicem nequeunt separari, vel magis est unum de utraque decretum. se in doctrina Augustini parum versatos manifestant, qui aliter a nobis sentiunt. *Nec nos moveat,* inquit lib. de corrept. & grat. cap. 9. *quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent & secundum propositum vocatis, qui vere sunt filii promissionis . . . non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit: haberent enim eam si in eo filiorum numero essent . . . ac per hoc tales filii filio Christo dati essent; quemadmodum ipse dicit ad Patrem, ut omne quod dedisti mihi non pereat, sed habeat vitam æternam. Hi ergo Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam. ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* unde tota remanet difficultas, quę in objectione commemoratur: & forte major in nostra sententia, si magis & minus dari posset in incomprehensibilitate judiciorum Dei respectu intellectus creati illa penetrare non valentis. ad illationem de gratuitate glorię & perseverantię in ordine executionis quam opponit Tournely, non est quod attendamus, cum nihil sit præter verba, ut cuilibet legenti innotescit: & quam parum sibi ipse constet neminem fugere potest.

Alia quę adversus prędestinationem antecedentem, quam ut quid indubitatum defendimus, afferri solent argumenta: ut cum dicitur illam pugnare cum generali voluntate Dei circa omnium salutem: per illam auferri humanam libertatem, inducique necessitatem: illam bonis torporem, malis desperationem inducere: non electis quærendi occasionem præbere, difficillimum & durum reddere prædestinationis mysterium: illa omnia, iisque similia missa facimus, cum adeo trita sint & ad nauseam usque recantata, ut fere apud omnes qui de prædestinatione egerunt, legi possint. præterquamquod non nisi apud indoctos, vel a Pelagianorum & Semipelagianorum errore non satis distantes, aliquam veritatis speciem induere possunt, quam haud difficile deperdunt ex bene intellecta divinæ gratiæ efficacia, ad quam hæc ordinem dicunt, nec non natura libertatis.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

An & quid sit Reprobatio?

EX semel admissa juxta Christianæ fidei principia prædestinatione ex parte Dei, per quam ex eadem hominum massa quamplures discernuntur, a communi damnatione, quam ex protoparentis inobedientia omnes incurrerunt, ex misericordia liberandi, admittenda videtur ex consequenti reprobatio eorum omnium, qui ex justo Dei judicio derelinquuntur in massa perditionis, a generali hac damnatione, a qua etiamsi nullus redimeretur nullo modo culpari posset Dei justitia, inquit S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 5. minime liberandi, sicut ergo ad prædestinatorum ordinem pertinent omnes illi quos Deus secundum propositum, æternumque voluntatis suæ decretum vocavit, quique sunt de numero illorum, quibus in sua præscientia præparavit illa gratuita beneficia, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, ita ad ordinem reproborum pertinent illi omnes quibus ea efficacia & prætiosissima beneficia non præparantur, licet liberandorum & non liberandorum non eadem sit ratio, ut ex Scoto post Augustinum jam indicavimus.

Totam de reprobatione doctrinam tradidisse paucis verbis videtur præfatus Sanctus Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 13. Sic loquens num. 42. „ Hi „ qui non pertinent ad istum (prædestinatorum) certissimum & felicissimum „ numerum, pro meritis justissime judicantur. Aut enim jacent sub pecca„ to quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debi„ to hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum „ arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non „ liberatum; liberum justitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per no„ xias cupiditates diversas, alii magis, alii minus; sed omnes mali, & pro „ ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi. aut gratiam Dei suscipiunt, „ sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt & deseruntur. dimissi e„ nim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei „ justo & occulto." merita nulla supponere ex parte liberandorum divinam electionem, quæ ex mere gratuita liberalitate & misericordia proficiscitur cum Sancto celebratissimo illo Doctore fuse ostendimus: reprobationem vero in demeritis ac peccato fundari, ut satis ostendunt mox laudata ejus verba, cum illo pariter ostendemus, Calvini ipsique consentientium impietatem ac blasphemiam convellentes.

Duplex autem vulgo distinguitur reprobatio; negativa una, positiva altera: per illam ad singularem hanc electorum sortem de qua egimus quis non admittitur, sed ab ea excluditur: per istam debita peccatis pœna constituitur & præparatur, & ad eam non electi decernuntur. utraque a positivo divinæ voluntatis actu est: neque enim ex eo intelligitur negativa repro-

 ba-

batio, quod per actum positivum non ordinetur, sed quia specialium horum beneficiorum quae praedestinatis praeparantur & conferuntur, denegationem importat. circa causam reprobationis tum negativae, tum positivae praecipua movetur quaestio, cum de illius veritate & natura omnes Catholici eodem modo communiter loquantur. sicuti de praedestinatione in praesenti naturae statu egimus, praescindendo ab iis quae de statu innocentiae, vel de Angelis quaeri possent, ita de reprobatione in ordine ad praesentem hominum conditionem ab Adamitici peccati temporibus quaestionem movemus.

Existimant severiores Thomistę reprobationem negativam in quantum est beneficii indebiti, gloriae nimirum denegatio, fieri ante cujuscumque peccati, sive originalis, sive actualis praevisionem, ex una Dei voluntate, qui omnia propter semetipsum operatus, alios ad misericordiae suae manifestationem elegerit ad gloriam, alios ab illa excluserit ad ostendendas divitias potentię suę ac sapientiae, licet reprobationem positivam in quantum est ad aeterna supplicia destinatio, non fieri velint nisi propter illorum peccata. in originale peccatum saltem, quod etiamsi in Baptismate fidelibus fuerit dimissum, radicalis tamen est ac prima & remota causa, cur Deus illos a beneficiis istis gratiae quae electis suis praeparavit, atque etiam a gloria ipsa voluerit exclusos, reprobationem refundere quampluribus placet, qui Magistrum hac in sententia sequuntur Augustinum, a quo minime recedit Doctor Subtilis. alii contendunt cum Molina reprobationem negativam adultorum non fieri ex praevisione solius peccati originalis, sed ex praevisione peccatorum actualium. & his consentire debent quicumque praedestinationem tuentur ex praevisione meritorum: si enim nemo prędestinatur nisi consequenter ad merita ex gratia, a fortiori nemo reprobatur nisi consequenter ad demerita seu peccata.

Eo blasphemię devenit Calvinus ut hominum reprobationem etiam positivam prout est ad poenam aeternam destinatio, dixerit factam a Deo ante cujuscumque pręvisionem peccati, eamque in unam Dei voluntatem atque arbitrium refundat. unde sicut ad gloriam aliquos absque meritis creavit Deus, ita alios juxta Calvinum absque demeritis & peccatis ad damnationem condidit. Hinc ut suum ostendat in omnes dominium, suumque circa utrosque decretum executioni mandet, electis gratię auxilia, per quę ad bonum necessario inclinentur, confert, reprobos autem ad peccata impellit; quapropter non minus impiorum scelera, quam justorum virtutes Deum vere habent auctorem, arbitratur. Hęc impia hujusce reformatoris Ecclesię Christi dogmata horribilia adeo Discipulis ipsius visa sunt, ut fere omnes ab illo hac in parte recesserint.

Eo se vertit tota circa reprobationem difficultas, ut exponatur ratio Deum movens ab ęterno ad excludendum a gloria coelesti majorem hominum numerum, eosque ęternis poenis mancipandos: sive sint parvuli ante Baptismi susceptionem morientes; sive sint adulti infideles, peccatis, tum originali, tum actualibus inquinati hac vita fungentes; sive fideles adulti sint, in quibus per sacrum regenerationis lavachrum culpa originalis deleta fuit, qui nihilo-

hominus in peccato finali obeunt. de triplici hominum illo genere, ex quo tota Adę posteritas coalescit quęstio movetur, cum ex illis omnibus constet miserrimus reproborum numerus.

ASSERTIO UNICA.

Prima & generalis ratio, justaque utriusque reprobationis causa fuit originale peccatum in omnes Adæ posteros diffusum: hæcque reprobationis parvulorum ratio adæquata, adultorum vero inadæquata; nec in solam Dei voluntatem, antecedenter ad cujuscumque peccati, originalis, vel actualis, prævisionem, potest reprobatio hominum absque impietate refundi.

HAnc assertionem, quę tota est Augustini ubique statuentis, cum de electione justorum, ac de reproborum damnatione agit, ex omni humano genere per protoparentis peccatum vitiato, unam conflari massam juste a Deo damnatam, ex qua per misericordiam nonnulli liberandi discernuntur, aliis in eadem puniendis ex justo judicio derelictis, tenet Scotus noster in 1. dist. 41. postquam enim dixit nullam esse prędestinationis rationem ex parte prędestinati, ex quo sequitur illam proficisci a Dei voluntate, ut sentit cum Divo Thoma: sic prosequitur, *reprobationis tamen est aliqua causa*; quod sic probat, *quia damnatio non videtur bona, nisi quia justa: videtur enim esse crudelitatis punire aliquem non præexistente in eo culpa: igitur a simili non vult Deus prius aliquem punire, quam videat aliquem esse peccatorem:* quod dicit juxta Augustinum lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 24. *non prius est Deus ultor, quam aliquis sit peccator*. ubi advertam oportet hanc sententiam, quę vere est Sancti Doctoris, male ex incuria editorum qui Scoti scripta typis mandarunt fuisse laudatam: Neque enim ut relata est, legitur apud Augustinum, neque in eo loco unde desumpta profertur. de statu Diaboli ante peccatum differens Sanctus Doctor, utrum futuri pręscius fuerit vel non, peccati sui nempe atque supplicii, sic quęrendo ait cap. 17. *Numquid ille prius ultor, quam iste peccator? absit. Neque enim Deus damnat innocentes*. auctoritate igitur Augustini, a quo vix aliquando recessit, fretus Doctor Subtilis sic prosequitur. *Non igitur primus actus divinæ voluntatis circa Judam, est velle damnare Judam, prout Judas offertur in puris naturalibus; quia tunc videretur damnare sine culpa: sed videtur quod oportet Judam offerri voluntati divinæ sub ratione peccatoris antequam velit ipsum damnare. ergo cum reprobare sit velle damnare reprobatio habebit ex parte objecti rationem aliquam, scilicet peccatum finale prævisum*. His in verbis pręceptoris, quibus nihil disertius aut magis ad rem potest excogitari, peccatum finale esse causam motivam reprobationis, sive illud sit originale, sive sit actuale, sive utrumque, plene ostenditur.

Fundatur autem assertio nostra in doctrina Apostoli epist. ad Rom. cap. 9. de Jacob & Esau loquentis, quorum unus a Deo diligitur, alter odio habetur, ut jam pluries ex ipso retulimus quęstione pręcedenti; & reprobos designantis per vasa irę, per vasa in contumeliam, quomodo autem & qua ratione fieri possent vasa irę apta in interitum, vasa in contumeliam nisi ex massa

massa damnata propter peccatum primi parentis essent formata. Neque enim Deus qui justus est in omnibus viis suis, aliquid aliud odisse potest in homine prçter peccatum. unde Augustinus epist. 194. ad Sixtum: *quid oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? . . . Neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat*. & lib. 1. ad Simplicianum quç. 2. *non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem*. quod autem in Esau, antequam quidquam mali fecisset odio habuit Deus, illud ab çterno odio habuit in omnibus reprobis antequam per actualia peccata ipsius odium sibi fuerint conciliati. quare prima & generalis causa reprobationis quorumcumque hominum merito assignatur originale peccatum in omnes Adç posteros propagatum.

Ex vitiata radice cunctis hominibus generatis neminem immeritum a Deo damnari innumeris in locis ostendit adversus Pelagianos Hipponensis, quandoque etiam contra Manichços. & contra illos ex damnatione parvulorum qui nullo proprio reatu tenentur obnoxii, colligit necessario existentiam peccati originalis: quod si non admittatur, absque justitia damnarentur illi quibus nullum aliud potest imputari peccatum. Hinc est quod dicat lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 11. *anima innocentissima, si ex Adam propagata non est, unde quomodo possit juste ire in condemnationem, si de corpore sine Baptismo exierit, quisquis istam sententiam de anima tenens potuerit demonstrare, mirandus est*. & lib. 11. cap. 21. *Verum atque manifestum est, justitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet quod in eo ipse creaverit*. lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Hinc lib. 2. contra eumdem cap. 10. dixerat: *Deus autem justus, si tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus*. & iterum lib. 3. cap. 12. *vos qui miseram falsa defensione premitis, & perniciosa laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur non admittitis ad regnum Dei? . . . qua justitia, quæso, a regno Dei, a vita Dei, alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei?* & in solum peccatum fundari posse reprobationem non electorum ita absolute docet Sanctus Doctor, ut si aliter esset, iniquitatem illud argueret in Deo: Sic enim loquitur Epist. 186. ad Paulinum. *quemquam immeritum, & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*. & exinde infinitam Dei misericordiam exaltat, quod ex illa massa primi hominis, cui mors debetur merito ex eo quod illius peccato tota sit infecta, multos non ad eorum mala merita attendens Deus ab illa communi damnatione liberaverit. ut videri potest fusius in hac prælaudata Epistola.

Istius Sancti præsulis numquam satis celebrandi doctrinæ, quæ est totius Ecclesiæ Catholicæ sententia & fides, adhærentes Patres Concilii Viennensis sub Lothario, hanc fidei professionem emittunt cap. 3. *fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem electorum ad mortem. in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in* da-

damnatione vero perituror um, meritum malum præcedere judicium Dei . estque ipsi rationi Theologicæ plane conformis sententia quam ex fidei principiis cum Valentinis Patribus post Augustinum proponimus. Enimvero ut ad mentem Doctoris Subtilis argumentemur, quæcumque erga homines determinat Deus in ordine prædestinationis aut reprobationis, in Misericordia ipsius ac justitia necessario fundantur. in misericordia quidem, cum quidquam nemini debens Deus, ex massa damnata, quæ justissimas desertionis suæ, per primi hominis inobedientiam pœnas est datura, nonnullos ad bonitatis suæ manifestationem discernit, nulla ex ipsorum parte meritorum interveniente ratione, eisque gloriam disponit æternam; utque gratuitæ istius electionis infallibilem consequantur effectum, accommodata atque efficacia gratiæ beneficia illis præparat, quibus a communi illa damnatione necessariam ab Adę peccato trahente originem, certissime liberentur. in justitia vero, cum illi omnes qui ab illa massa non sunt discreti, pro merito subjaceant huic damnationi, in qua etiamsi quotquot aliquando extitere Adæ posteri relinquerentur, non esset apud Deum iniquitas: & ab ipso in statu perditionis de peccato suo pœnas daturi deseruntur. at quod non prædestinati sic reprobentur nulla fit eis injuria, cum a peccato omnibus communi habeant quod non prædestinentur: nulli enim qui tenetur debitor non potest esse injustus, si pro æqualitate demeritorum uni dimittat debitum, illud ab altero repetens. & in eo a misericordia differt a justitia, quod in suppliciis irrogandis nullus absque præcedentibus meritis malis juste plectatur, cum in gratuitis beneficiis conferendis quisquis absque præcedentibus meritis bonis sit beneficii capax, non reclamante contra beneficum largitorem justitia. unde reprobatio tum negativa, tum positiva præsupponit necessario peccatum finale cui debeatur, cum prædestinatio ad gloriam & gratiam ex parte electi nullum supponat meritum, cui in prædestinantis intentione præparetur. *Non ponitur*, inquit Subtilis præceptor, *similis processus prædestinationis & reprobationis; quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo, mala autem nobis: & ita Deum prædestinare sine ratione congruit bonitati suæ: sed ipsum velle damnare non videtur sibi immediate posse attribui respectu objecti cogniti in suis puris naturalibus, sed tantum respectu objecti ut cogniti in peccato mortali finali*. idque ab Augustino epist. 186. acceperat Doctor: *Si hæc massa generis humani ita esset media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam*.

Unum est in presenti assertione quod nonnullos movere posset, illud nimirum juxta quod tam pro adultis baptizatis, quam pro non baptizatis, affirmamus peccatum originale esse illorum reprobationis primam generalemque rationem, quod ipsis non arridet, cum per Sanctum batisma delectum fuerit peccatum illud in omnes Adę posteros transfusum, & illud jam amplius non imputetur, dicente Apostolo renatis in Christo per regenerationis lavachrum nihil esse damnationis ex veteri illo delicto. exinde videtur ipsis a peccato originali tollenda omnimode ratio in baptizatis reprobationis. verum in asserto nihil est quo in nos moveri possint, cum omnem vim ac effi-

efficaciam baptiſmatis cum iis agnoſcentes, reatum & culpam, ipſum ſcilicet formale primęvi delicti, in quibuſcumque baptizatis deleri confiteamur, adeo ut hujuſmodi noxa jam Ipſis nequeat imputari. remanet tamen poſt baptiſma in Adę filiis concupiſcentia, vel fomes, quę, ut loquitur Sacroſancta Synodus Tridentina, licet peccatum non ſit, ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat: eſtque proinde peccatum originale materialiter ſumptum, radix omnium peccatorum actualium, quę poſitivę reprobationis adultorum juſtiſſima cauſa ſunt; ex quo non illegitime inferimus cum Doctore Subtili poſt Auguſtinum, ut teſtantur verba illius de correptione & gratia ſuperius laudata, cauſam inadęquatam reprobationis adultorum eſſe originale peccatum, cum pro parvulis atque etiam adultis nullo actuali ſeu perſonali infectis peccato, totalis & adęquata reprobationis, tum poſitivę, tum negativę, ratio ex illo proficiſcatur. etenim in concupiſcentia in quantum eſt materiale peccati, originali quoad culpam deleto per baptiſma, prævidet Deus velut in radice futura atque finalia adultorum peccata, ratione quorum æternę damnationi, id divina exigente juſtitia, mancipantur. Hinc in ſenſu vere litterali judicamus accipienda hæc Hipponenſis verba ep. ſt. 194. *quærimus cauſam prædeſtinationis & invenire non poſſumus; quærimus cauſam derelictionis, & invenimus eam cauſam eſſe peccatum originale*.

Nec quæſtionem videtur attigiſſe Tournely, dum ſententiam cui ſubſcripſimus impugnare opinatur graviſſimo momento, dicens quod peccatum dimiſſum per gratiam baptiſmalem non poteſt eſſe cauſa reprobationis negativæ. videtur enim ſupponere noſtræ ſententiæ defenſores velle peccato originis tribui negativam reprobationem, etiam dimiſſo per baptiſmatis gratiam, & veluti ſub illo reſpectu, quod cum dolo ſcripſiſſe non abſque fundamento dixerim, ut ridicule ſentire ipſius adverſarios facilius inſinuet. quomodo non advertit reprobationem negativam antecedere beneficium redemptionis per Chriſtum, proindeque originalis noxæ delectionem per Sanctum Baptiſma? omne genus humanum per primi hominis peccatum radicitus vitiatum cum Auguſtino, quem ſuum in præſenti tam de prędeſtinatione quam de reprobatione negotio facere fruſtra conatur, conſideraturus erat tamquam maſſam damnatam, cui nihil a Deo debebatur quam deſertionis ſuæ juſtiſſima pœna, a remedio quod ipſi erat in tempore ex gratuita miſericordia præparandum prorſus præſcindens, cum hujuſcemodi remedii præparationem totaliter antecedat prædeſtinatio quorumdam, & ex conſequenti aliorum negativa reprobatio. etenim merita Chriſti per paſſionem & mortem efficaciter prædeſtinatis applicanda, non prædeſtinatis vero generali quodam modo applicanda & temporaliter dumtaxat, non autem efficaciter quantum ad fructum totalem, gloriæ nimirum conſecutionem, ſunt effectus abſoluti & antecedentis illius decreti, quo certum quemdam filiorum Adam numerum a generali & juſta perditione illa ſtatuit liberare Deus. ſicque verum quæſtionis, ut eſt intelligenda ac proponenda, ſtatum attingens, momentum quod grave arbitratur, nullius eſſe adverſum nos ponderis agnoviſſet; vel magis iſtiuſmodi argumentum, ſi ſerio proponatur, merum eſſe ſophiſma intellexiſſet, pecca-

catum originale in causa reprobationis negativæ tamquam per Baptisma dimissum si consideretur.

Et nullum aliud ferendum est judicium de ratiocinio quo probare arbitratur idem auctor gratis fingi & periculose, ut loquitur, peccatum originale in Baptizatis reprobis causam esse radicalem & remotam negativæ illorum reprobationis, ex eo quod, inquit, hæc supponere debet aliquod demeritum quod sit objectum odii ex parte Dei. sed numquid demeritum non est originis peccatum? pro parvulis inbaptizatis obeuntibus reprobationis illorum negativæ causa est hujusmodi delictum: eodem decreto non prędestinati intelliguntur tam non Baptizandi, quam Baptizandi; neque enim in reprobatione negativa non Baptizandorum peccatum originale consideratur ut finale, cum sub hoc respectu sit reprobationis eorum positivæ causa: utrorumque ergo negativæ reprobationis eadem erit causa: & ex peccato originali non magis potest concludi pro parvulis non Baptizatis, aliisque hoc solo infectis decedentibus, quam pro adultis reprobis baptizatis, de quibus non prædicatur negativa reprobatio in quantum sacro tincti sunt lavachro, ut falso argumentari videtur Tournely nihil addens virium suo ratiocinio vel sophismati dum subjungit reprobationem illorum negativam necessario involvere positivam damnationem: id enim falsum est in sensu ipsius, in quantum utriusque eamdem causam esse insinuare vellet. reprobationem negativam comitatur positiva reprobatio, id verum est: sed hæc non involvitur in illa, ita ut sint unum quid & idem, eamdemque habeant formaliter causam; & quamvis rigorose loquendo in materia prædestinationis ac reprobationis non detur medium inter exclusionem a gloria & destinationem ad pœnam, utriusque tamen idem non est totale principium. exclusio a gloria, sive negativa reprobatio, id est quorumdam non electio aliis electis, fundatur in noxa originali, sive illud futurum finale, sive non: ab illo enim respectu præscinditur dum Deus in ordine ad electos ejusdem peccati labe conspersos actum exercens Misericordiæ liberantis, in ordine ad reprobos actum exercet Justitiæ punientis. destinatio ad pœnam, sive positiva reprobatio fundatur totaliter in peccato originali pro non Baptizatis pro ut est peccatum finale, si ante adultam ætatem obeant: partialiter vero pro adultis reprobis, quibus infligitur pœna ob actualia peccata finalia. uno verbo, reprobatio cum solo originali decedentium, adæquate refunditur in illud: negative, in quantum est peccatum originis, & sub hoc respectu importat exclusionem a gloria: positive, in quantum est finale delictum, & sub illo respectu dicit destinationem ad supplicium. reprobatio illorum in quibus deletum fuit per Baptismum primævum illud delictum, & peccata actualia finaliter, veteri huic delicto etiam post Baptisma remanenti quantum ad materiale, fomitem nempe & concupiscentiam, addidere, in quantum reprobatio dicit simpliciter exclusionem a gloria, & negativa vocatur, primario refunditur in peccatum originis; secundario in peccata actualia, prout dicit destinationem ad pœnam, & positiva vocatur; estque quodammodo negativæ reprobationis effectus & consequentia illius. quod absque ullo errandi periculo dictum sentiret Tour-

Lll nely-

nely, si rem altius perpendisset, & ordinem decretorum in Deo, eorumque executionem accuratius distinxisset.

Nec quidquam virium suo infirmissimo argumento addidisse sibi blandiatur, dum Bellarmino visum fuisse dicat illud solvi non posse. dum enim lib. 2. de grat. & libero arbit. cap. 16. scribit doctissimus Cardinalis, „ porro qui „ ob solum originale peccatum a Deo prævisum omnes reprobos damnatio„ ni perpetuę addictos fuisse contendunt, quęstionem plane insolubilem sibi „ ipsi faciunt: neque enim intelligi potest quomodo Deus propter originale „ peccatum damnare velit eos, quibus in Baptismo peccatum ipsum vere, „ proprieque dimisit. nam etiamsi dimissa culpa originali, non continuo tol„ lantur concupiscentia, ignorantia, mortalitas, aliæque id genus miseriæ, „ tamen propter ista non potest velle Deus hominem damnare, cum Apo„ stolus de justificatis dicat, nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Chri„ sto Jesu. „ quid aliud agit, quam ipsum legentibus significare, se de reprobatione negativa intellexisse quod de positiva intelligi debet, cum supponat nobiscum sentientes asserere Deum velle damnare propter culpam originalem hominem cui illa in Baptismate dimissa fuerit, quod nemo sensatus dixerit. Neminem ob illam Deus damnare vult, aut positive reprobat, quod idem sonat, nisi cum illa ultimo fato functum; quia iis qui renati sunt in Christo Jesu nihil est damnationis ex peccato originali in ordine ad supplicium, id est relative ad positivam reprobationem, quæ peccatum finale necessario supponit. permultos ob orginale peccatum quibuscumque Adę posteris commune, a gloria exclusos vult Deus, illos ad eam ex justo judicio non prædestinando: hos sic exclusos a gloria tamquam a beneficio indebito, & negative reprobatos, damnat ad supplicium positive reprobans ob originale peccatum, si in illis est finale, & propter actualia peccata finalia. unde in Deo voluntas excludendi a gloria debet quodammodo distingui a voluntate puniendi, licet id fiat unico divinæ actu voluntatis, cujus veluti duplex objectum considerantur exclusio a gloria, & destinatio ad pœnam. His sic intellectis, ut vere sunt intelligenda, evanescit fictitia hęc quæstionis insolubilitas a Tournely post Bellarminum, originale peccatum tamquam veram negativę reprobationis causam defendentibus, gratis opposita. falso ab utroque arguuntur quasi dicerent reprobos damnari a Deo propter originale peccatum per Sanctum Baptisma in ipsis deletum, quod ab illorum sententia longe alienum, ipsis non nisi cum dolo potest affingi.

Gravioris armaturæ non sunt alia momenta quibus sententiam nostram impugnari invicte arbitratur ille sorbonista, quam stare non posse sibi fingit cum sincera Dei voluntate circa omnium hominum salutem, quod falsum esse aliquando ostendemus; & juxta quam „ supposita reprobatione ne„ gativa antecedente actualium peccatorum prævisionem, necesse videtur, in„ quit, ut Deus in executionem (quæ certa & infallibilis esse debet) hu„ jusce reprobationis, auxilia gratiæ eo consilio reprobis subtrahat, ut non „ salventur. " sincere minus & frustra hæc proferuntur. Deum hæc suæ gratiæ excellentiora beneficia & auxilia, necessarium seu infallibilem ac effica-

ficacem ordinem dicentia ad æternæ gloriæ consecutionem, inter quæ præcipuum habet locum finalis perseverantiæ donum, quæque vocatis secundum propositum numquam subtrahuntur, sed consequenter ad efficax Dei decretum illos ad gloriam prędestinantis semper subministrantur, non prædestinatis subindeque negative reprobatis non conferre certissimum est. Si enim semel data illorum non prædestinatione, illis ex impossibili conferrentur hujusmodi excellentiora gratiæ beneficia certissime liberandis dumtaxat præparata; tunc liberandorum numero contra Dei hos non prædestinantis decretum adscriberentur, cum auxiliis necessarium ac infallibilem ordinem ad glorię ęternæ consecutionem dicentibus, ex supposito abundarent, quod defendi non potest. verum exinde non sequitur Deum subtrahere illis auxilia gratiæ, eo consilio ut non salventur: Hæcque propositio quæ calvinismum plene sapit, dolose & gratis sententiam nostram defendentibus adscribi videtur, atque etiam contumeliose; quia illam intelligit Tournely generaliter de quibuscumque efficacis gratiæ auxiliis, veluti istis perpetuo carere non prædestinatos sentiremus, cum de connexis necessario & infallibiliter cum Dei prædestinantis decreto debeat tantum intelligi; & aliunde eorum non salvationis causam ille existimet a nobis refundi in consilium Dei generalia hæc gratiæ efficacis auxilia non subministrantis ea intentione ut salvari nequeant; quod nisi indocte, vel ex pravo fine, ut sententiæ nostræ connexum excogitari potest. non prædestinatis Deus non confert hæc indebita gratiæ beneficia solis prædestinatis reservata, non eo consilio ut non salventur, ita ut illorum salutem non velit Deus, quod nemo catholicus sentiet; sed quia illi non sunt revera salvandi. quare autem non sint vere salvandi, licet velit Deus omnes homines salvos fieri: & quare ipsis non conferantur beneficia gratię salvandis præpararata? *O homo tu quis es? inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*. Desinat ergo quisquis illi Theologo nimium credit, nobis cum illo opponere ea quę sunt a nostra sententia prorsus aliena, nihilque in nos urgere argumenta quæ gravissima falso existimavit, melius consultus agnoscat. iis, quę peccatum originale causam esse reprobationis negativę cum Doctore subtili post Augustinum defendentes statuimus ab adversariis nihil addatur: & quam gravi fundamento nixi incedamus, cuilibet in doctrina Hipponensis versato brevi fiet manifestum. Hunc si diligenter perpendisset Tournely, non eo animo ut quæ sibi placent in scriptis Sancti Doctoris pro arbitrio intellectis reperiret, juxta quamplurium mentem detorta Sanctorum Patrum volumina sic legentium, ut sententię proprię magis quam veritati ipsos habeant consulentes, exitiosissimum morem, sed ut par erat, eo fine ut suam sententiam Augustini doctrinę conformaret, ipsique firmiter adhęrens tamquam Ecclesiæ in rebus prædestinationis & gratiæ oraculo, suam mentem juxta principia illius vere dirigeret, reprobationem negativam a positiva distinxisset, & exinde prædestinationem ex meritorum prævisione vix defendi posse agnoscens, in detorquendis Sancti Doctoris testimoniis in alienum sensum tamdiu & invanum non laborasset. Hunc sibi patum constantem, & ab Augustino sæpius rece-

dentem, concilient, si possunt, qui prædestinationem antecedentem impugnantes, nullam agnoscunt reprobationis aliam causam in baptizatis quam actualia peccata. verum eodem tempore exponant ad Hipponensis mentem, quænam sit illorum peccatorum prima radix, & unde sit quod a Deo illa permittantur sublata negativa reprobatione.

Deum ex solo suo beneplacito, & antecedenter ad quodcumque peccatum originale vel actuale negative reprobare, & æternis suppliciis positive destinare homines permultos, impietas calviniana asseruit, adversus quam reclamant Sacræ Scripturæ, hominum perditionem ex ipsis esse, eorumque damnationem non aliam habere causam præter illorum peccata ubique testantes, nec non Sancti Patres idem, ut inconcussum fidei dogma, voce unanimi profitentes. unde cum Arausicani secundi Concilii Patribus can. 25. pronuntiare debet omnis catholicus, *aliquos ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* idem contra calvinum pronuntiavere anathema Patres Tridentini sess. 6. can. 17. contra hujusmodi impietatem pugnat ratio, quæ Deum summe justum agnoscens, nullum posse ab ipso damnari absque præcedente demerito clamat. ipsius rationis vocem si audisset Calvinus, nusquam in Deum blasphemus dixisset, non nullos homines fuisse in damnationem ab illo creatos: illos a Deo ad peccandum impelli, omnemque gratiam, veramque fidem illis denegari: aliaque permulta quæ apud ipsum videri possunt, & de quibus hic agere nostri non est instituti.

Primariam igitur reprobationis causam cum Augustino, quem exacte sequitur Scotus, dicimus peccatum originale, quod est radix omnium peccatorum actualium, unde provenit ratio reprobationis positivæ in adultis, etiam iis quibus remissum fuit per baptismum, ob concupiscentiam & materiale peccati, quæ dum vivimus manet in nobis, inclinat ad peccatum, & fomes est illius ac illicium, juxta Concilii Tridentini doctrinam, in decreto de peccato originali. Nec ex eo arguendus est Jansenius quod non salvandorum damnationem, omniaque eorum peccata, ob quæ æternis suppliciis justissime mancipantur, radicitus refundat in culpam originalem, ex qua facta est concupiscentia, quæ quamvis per baptismi gratiam reatu præterierit, post baptismum manet actu, ut cum S. Augustino explicantes naturam peccati originalis aliquando ostendimus. Hincque erroris illum arguens idem Tournely, se quæstionem minime attigisse iterum ostendit, cum illum arguere videatur veluti dixisset Jansenius peccatum originale pro ut est per gratiam baptismatis remissum, esse causam radicalem primam, tametsi non immediatam damnationis æternę reproborum: non enim inadvertenter scripsit, in mente Jansenii peccatum originale etiam per gratiam baptismatis remissum, est causa saltem radicalis prima, &c. Hæc vox *etiam* quæ eo loci reduplicationem quamdam importat, causalitatem in sermone Tournely significare videtur, quod ab ipso gratis, fingi jam diximus; & ut fictum hunc errorem convellat, Concilio Tridentino abutitur, veluti existimassent Tridentini Patres, peccatum originale, licet dimissum per Sacri Fontis aquam, non

non esse primam & radicalem causam peccatorum actualium, & sub hoc respectu causam radicalem pœnę quæ peccatis illis ex justitia debetur; quod tamen nemo dicet, cum oppositum constet ex eorum doctrina. Nec satis a Pelagianorum placitis circa effectus peccati originalis videntur recedere, qui in illo veram & proprie dictam omnium peccatorum causam nolunt intueri, nec in illud vindictę quam de iis sumit Deus, primitivam & generalem rationem refundunt. tunc enim concupiscentiam, cunctorum peccatorum originem etiam post baptismum, inter effectus & pœnas peccati originalis videntur non annumerare. siquidem dato semel quod concupiscentia, quę ad peccatum inclinans hominem, est verus fons veraque radix cujuscumque delicti, sit ex peccato, ut docent Patres Tridentini, nonne consequens est quęcumque patitur homo ex delictis suis, quęve certe non committeret si deleto per baptismum originali culpa, ab eo pariter tolleretur concupiscentia, remote saltem & radicitus ac mediate refundi in peccatum originale? ex peccatis actualibus est positiva adultorum baptizatorum reprobatio, quę est æternis suppliciis justa & debita mancipatio: peccatorum actualium principium & causa est concupiscentia, qua sublata non est unde peccatum in homine proficiscatur: concupiscentiam pro ut ad malum inclinat peperit culpa originalis: eorum ergo omnium quæ sunt a concupiscentia efficienter vel occasionaliter, prima parens, causaque generalis, si non immediata, mediata tamen erit & radicaliter noxa originalis. post baptismi susceptionem non imputatur peccatum originale, quod vere per regenerationis Sacramentum dimittitur: remanent nihilominus quæcumque effectus & pœnæ rationem habent. concupiscentia in quantum ad malum inclinat, quæ est primarius peccati originalis effectus, non imputatur homini ad peccatum, nec est ipsa peccatum; est nihilominus peccatorum omnium vera parens: *concupiscentia* enim *cum conceperit parit peccatum*, inquit Jacobus Epist. catho. cap. 1. *peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem*. mortem animæ (de hac enim loquitur eo loci beatus Apostolus) sequitur æterna damnatio seu positiva reprobatio: est ergo istius radicalis causa saltem mediata peccatum originale; quod si non daretur, nec pariter daretur peccatum actuale ad mortem, nec consequenter daretur justa de illo, quod in hac hypotesi non esset, ex parte Dei vindicta.

Peccati igitur originalis existentiam, ejusque in omnes Adæ posteros transfusionem, omnesque ex illo fluentes effectus & pœnas, cum Pelagio negat Tournely, sententiam eamdem qui tenent; vel peccatum illud primitivam & radicalem causam reprobationis non salvandorum, nobiscum post Doctorem subtilem, si ab Augustini doctrina recedere illum non delectet, agnoscat. Iprensem ergo erroris ex illo capite arguere desinant, qui Pelagio peccatum originale impugnanti non consentiunt. Hæc autem a nobis conscripta, non in favorem Jansenii, sed pro defensione nostræ sententiæ, quæ cum ecclesię catholicæ doctrina circa peccatum originale essentialiter connectitur, illi advertant. indirecte enim scholam nostram, veluti Jansenium arguens, carpere videtur Tournely, qui ab hujusmodi censura non minus indocta quam injusta

sta melius consultus abstinuisset, si quantum ex illa se merito carpendum exhibebat iis quos immerito arguebat, advertisset. Theologos aliunde venerandos & doctrina præclaros, iniquum simul & præceps ferre judicium, dum quos impugnant eorum non intellecta sententia, erroris inconsiderate arguunt, quantum dedeceat, quis non intelligit? cum Sancto Augustino causam nobis esse communem, & a Calvini impietate omni ex parte alienam esse Schotisticæ scholæ de reprobatione sententiam, nemo, si non indoctus ignorat. primariam reprobationis causam Dei absolutam voluntatem absque ullo ordine ad peccatum ore blasphemo pronuntiat hæresiarcha. nullam nisi ex præcedenti demerito seu finali peccato a Deo reprobari cum Hipponensi tenet fidelis Scotista, dicitque de reprobis sermonem faciens ex illus Epistola 194. *si sunt vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus, justeque damnavit.* Hinc a preceptore ejusque Schola defecit Mastrius, dum reprobationem negativam absque peccati prævisione factam fuisse contendit: & nullo prorsus fundamento fretus se Augustini discipulum esse arbitratur, contra tanti Doctoris sensum minime cum illo distinguens inter rationem prædestinandi & rationem reprobandi, atque de massa puræ naturæ, non vero peccato originali infectæ accipiens in sensu perditionis massam illam de qua Apostolus, ab Augustino celebratam. ex illa Dei voluntate independenter a demerito seu peccato reprobantis, homines ad interitum impelli ac necessitate peccare, Deo in ipsis non minus mala quam bona opera operante sentit calvinus, a quo omnimode recedens Scoti discipulus, omne bonum cum Augustino Dei gratiæ tribuit, malum vero humanæ dumtaxat attribuit voluntati: unde cum Sancto Doctore Epistola eadem sic loquitur: *quamvis Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram . . . . tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est in hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. sicut enim voluntati ejus tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati tribuitur culpa, nullo recusante damnanda.* verum hæc in gratiam scholæ nostræ sufficiant ad retundendam malevolorum incogitantiam, vel ad illorum, si opus esset, audaciam manifestandam, simulque frangendam contumeliosam in Augustini discipulos intolerabilem procacitatem.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An immutabilis sit & fixa Sanctorum prædestinatio, ita ut certus adeo sit prædestinatorum numerus, qui nec minui possit nec augeri.

HUic quæstioni, quæ diversimode proponitur a nonnullis inquirentibus, utrum prædestinatio sit in potestate prædestinati, & utrum prædestinatus possit damnari, jam ex parte fecimus satis ostendentes cum de prædestina-

ſtinatione ageremus, infallibilem effectum habere electionem eorum qui ſecundum ęternum Dei propoſitum ſunt vocati. nec dubium aliquod circa eam oriri poteſt cuicumque decreta Dei abſoluta & efficacia ex ſe immutabilitatem ipſius participare confitenti. poteſt autem conſiderari prædeſtinatio, ut cum Scoto ſupra ſtatuimus, & in intentione Dei prædeſtinantis, & in executione, ſeu in homine aſſequente gloriam ad quam eſt a Deo præordinatus: unde circa utrumque, Deum ſcilicet & hominem, poteſt moveri quęſtio brevi ſolvenda, cum nulla, cujuſdam ſaltem momenti, occurrat difficultas, niſi de verbis litigare cupientibus.

ASSERTIO UNICA.

Adeo fixa eſt ac immutabilis Sanctorum prædeſtinatio, tam ex parte Dei eligentis quam ex parte hominum electorum, ut certus ac determinatus a Deo prædeſtinatorum numerus nec minui poſſit, nec augeri.

HÆc aſſertio, quę licet tamquam fidei dogma non proponatur, neceſſarium tamen ad fidem dicit ordinem, probatur ex Scripturis. habetur enim Joan. cap. 6. *Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* & cap. 10. *oves meæ .... non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* epiſt. 2. ad Timoth. cap. 2. *firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt ejus.* quæ manifeſte ſignificant non perire poſſe ullum eorum quos ſuos per gratuitam miſericordiam illos a maſſa damnata diſcernens fecit Dominus. quacumque ergo virtutis ſpecie inter mortales fulgeant nonnulli, ſi ab illa ante deceſſum deflectant, in bono finaliter non perſeverantes, inter a Deo vocatos ſecundum propoſitum numquam fuere computandi, dicente Apoſtolo Joanne Epiſt. 1. cap. 2. *ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.*

Et hęc conſtans fuit Sancti Auguſtini doctrina, ut teſtantur hęc inter alia ipſius verba, tum lib. de corrept. & grat. cap. 7. *ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt: electi ſunt autem, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* & cap. 9. *ſunt filii Dei. futuri erant per Evangelii prædicationem, & tamen antequam factum eſſet, jam filii Dei erant in memoriali Patris ſui inconcuſſa ſtabilitate conſcripti.* & infra. *ipſi ſunt illi prædeſtinati & ſecundum propoſitum vocati, quorum nullus perit. ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam: quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tum lib. de dono perſeverantiæ cap. 17. *quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illa, quam me ſæpe commemorare non piget, de qua dictum eſt, ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Namque in ſua quæ falli mutarique non poteſt præſcientia,* opera

opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Hinc est quod definiens, ut supra dictum est, prædestinationem Sanctorum, eamque dicens præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, ea dicit præparari iis qui per illa certissime liberantur; quæ immutabilem certitudinem prædestinationis tam ex parte liberandorum quam ex parte liberantis exprimunt: non esset autem fixa & immutabilis, si ita non esset a Deo præfixus prædestinatorum numerus, ut non possit minui vel augeri. & juxta hunc sensum intelligenda sunt quæ habet Sanctus Doctor in Enchiridio cap. 103. loquens de iis qui salvi fiunt ex absoluta Dei voluntate, juxta quam infallibiliter illi salvantur, *quia*, inquit, *necesse est fieri si voluerit*. necessitate scilicet consequenti illius decretum, in quo media ad infallibilem ejus effectum continentur, nec non & modus applicandi media juxta naturæ humanæ liberæ remanentis exigentiam accommodatus.

Augustino fidum ipsius discipulum addamus Fulgentium Ruspensem Episcopum lib. de fide ad Petrum cap. 35. seu Reg. 32. hæc loquentem: *firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo: neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum, quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari*.

Verum disertius adhuc immutabilitatem prędestinationis docet Hipponensis, prędestinatorum numerum certum & definitum ostendens lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Hæc de his loquor*, inquit, *qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.... certum vero esse numerum electorum, neque augendum, neque minuendum, quamvis & Joannes Baptista significet.... tamen apertius in Apocalypsi dicitur, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est numerus*. assertionem aperte adeo exprimunt cuncta hęc testimonia ut illis addere decerpsisse sit. Nec inferas ex his ultimis Augustini verbis, etsi fixus electorum sit numerus quantum est ad eligentis determinationem. mutationi tamen obnoxium fieri posse divinum decretum objective seu terminative, cum unus in electorum numero non computatus, possit accipere coronam quam perdiderit alter, ab illo numero in quo jam fuerat computatus decidendo. id enim solum eo loci dixisse videtur Hipponensis, ne de sua electione, etsi de ea ipsi constaret, aliquis præsumat, sed potius ignorans utrum odio vel amore dignus sit, an de numero prædestinatorum vel non, in divina nihilominus confidens misericordia, se Sanctorum consortio fore aggregaturum sperans unusquisque, cum timore & tremore salutem operetur, magisque satagat ut per bona opera suam vocationem faciat certam. falso inde tamen colligeretur quemdam ex electorum numero, in quo jam fuisset per divinum decretum computatus, posse decidere: quod cum immutabilitate divinorum decretorum omnimode pugnans evenire non posse, jam ostendit Sanctus Doctor per verba superius relata: *ex istis nullus perit*, &c. unde dicendum est prędestinationem Sanctorum, quę fixa est ac immutabilis tam determinative quam objective, hoc est

est tam ex certitudine decreti in intentione Dei eligentis, quam ex parte illorum ad quos terminatur illud decretum nullomodo mutandum, incertam tamen esse iis qui sunt objectum istiusmodi decreti illos utiliter latentis, ut de incomprehensibilibus Dei judiciis incerti non superbiant, sed scientes quod *omnia in futurum servantur incerta* ut habetur Eccles. cap. 9. in omni humilitate & timore Deo placere studeant.

Et revera nisi fixa & immutabilia essent ad sensum assertionis, decreta Dei, cujus est hominum salus, quænam esset spes nostra? nonne anxii & timidi perpetuo fluctuantes, ab omni vento torporis ac diffidentiæ circumferremur, si temporaria forent, & de novo pro rerum in tempore varietate mutarentur adoranda illius decreta, ut iis visum est, de quibus Sanctus Bonaventura in 1. dist. 41. art. 2. quæst. 1. inintelligibilia ergo loquuntur, qui volunt prædestinationem ita esse in hominis potestate, ut qui prædestinatus supponitur & est, simpliciter possit damnari, & ex adverso qui prædestinatus non est, simpliciter possit salvari. etenim summam Dei sapientiam, ipsique essentialem immutabilitatem ab illo videntur auferre qui talia sunt fabulati: quibus annumerandos non immerito censemus tamquam de Deo digne minus sentientes, illos omnes, qui ex immutabilitate decretorum circa numerum prædestinatorum, necessitatem quamdam cum humani libertate arbitrii incompossibilem sequi, aliaque non congrua, nullum esse reale habentia præter illud quod participare possunt ab imbecillitate humanæ mentis, de divinis decretis soli Deo notis, ejusque modo operandi juxta creaturæ exigentiam attemperato, temere judicantis, proficisci existimarunt, timore trepidantes ubi nullus est timor.

Nec Augustinum sibi patrocinantem habere glorientur qui incertum & indeterminatum electorum numerum volunt, ita ut in uniuscujusque hominis sit potestate huic adscribi vel ab illo deleri, ex eo quod habeatur lib. 6. Hypognosticon cap: 8. in fine; *Nequisquam autem putaret divino judicio fieri, non omnes homines salvari: dixit Apostolus, qui vult omnes homines salvos fieri... Hinc nemo glorietur, nemo desperet; solus enim Dominus scit qui sunt ejus. in quantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, pro invicem oremus, in conspectu Dei nos humiliemus, dicentes: fiat voluntas tua. ipsius erit potestatis, judicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare.* & aliunde vulgatum sit illud ejusdem proloquium, *si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* quibus similia sunt quæ loquitur serm. 102. de tem. *utinam tam cito homo peccator resurgat ad pænitentiam, quantum cito Deus vult definitam mutare sententiam.* Neque enim quidquam illos hæc juvant. Tum quia opus illud Hypognosticon dictum, Augustini non esse nunc omnibus notum est; & aliunde ex illo textu non habetur intentum, cum libri illius auctor ibi non loquatur de mutatione prædestinati in reprobum, vel reprobi in prædestinatum, ut transitur a statu temporario gratiæ ad statum temporarium peccati, & vice versa; sed loquitur de transitu a massa damnatorum ad statum prædestinatorum non vice versa, istorum enim fixus est numerus, & qui sunt ad illum pertinentes

scit Deus, qui solus novit qui sunt ejus. Hæc autem discretio prædestinatorum a reprobis facta ante mundi constitutionem, nulli obnoxia esse potest mutationi. & dum de futuro videtur loqui auctor ille dicens, *ipsius erit potestatis judicium mutare damnationis*, &c. futurum pro præterito usurpat, prædestinationem cum executione merita supponente connexam significans. Nec enim in Deo futurum est quoddam vel præteritum, sed præsens continuum & æternum. verum cum hominem lateat consilium Dei, & solus Dominus noverit quos voluerit prædestinatorum numero adscribi, merito additum est; *Hinc nemo glorietur, nemo desperet*, &c.

Tum quia nullibi legitur apud Augustinum illud effatum, *si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*: quod videtur desumptum ex illo ejus textu Tract. 26. in Joan. *si non traheris, ora ut traharis. ora*, inquam, & non *fac*, ut vitiose legitur a nonnullis, huic sententiæ falso addentibus hæc sequentia verba, tamquam legerentur apud illum, *si non justificaris, fac ut justificeris*: quę nusquam protulit Sanctus Doctor. præterquam quod utrumque illud vulgatum, etsi Augustini esset, quod ab illo minime prolatum fuisse nemo nisi indoctus ignorat, accipiendum esse modo exhortatorio, cuicumque Augustinum legenti fit manifestum, sicut intelligenda sunt verba ejus laudata ex sermone 102. quæ locutus est Sanctus Doctor ad ædificationem & instructionem populorum, quos ad pœnitentiam ex pio illo motivo adducere cupiebat, quemadmodum Sanctus Ambrosius, dum populum alloquens dicebat: *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum*. Hæc in sensu morali & exhortatorio, non vero Theologico & dogmatico relative ad præsens nostrum propositum, ab utroque Sancto Doctore prolata, quis non fatetur; unde nihil ex iis potest contra assertionem quam fere omnes amplectuntur inferri. nec in sensu hujus nostræ assertionis ea exponere quidquam juvat, cum non esse ad propositum satis innotescat.

Aliter ergo, inquiet aliquis, de certitudine prędestinationis coram populo disserendum erit, quam in Scholis? etiamsi illud concedamus, quid contra jam expositam doctrinam exinde concludetur, nisi juxta ordinem charitatis esse, quod de occultissimis prædestinationis & reprobationis mysteriis in publicum differens Doctor, audientium utilitati consulat, ne quasdam veritates vulgi captum excedentes attingens illis officiat, quibus proficere debuisset, cibos robustiores & nocivos dando quasi robustioribus, cum lac quasi parvulis aut infirmis fuisset dandum. multa habebat dicere Apostolis Christus: verum cum ea ante ipsius passionem portare non possent, de illis tunc temporis tacebat. ex male intellecto ordine decretorum Dei circa electorum prædestinationem, & non prædestinatorum in massa damnata derelictionem, oriri nonnumquam scandalum potest apud indoctos, quorum captum superant profunda hæc arcana, & non nisi in ruinam multorum de iis dici potest in rigore Theologico: prudenter igitur de iis taceat qui populus in Spiritualibus præest, moralitates potius quam Scholasticas quæstiones tractans; idque eo magis quod quamcumque opinionem quisquis teneat circa occultissima hæc mysteria, id semper pro certo est tenendum & populis perpetuo prædicandum,

dum, iis qui bonum operati fuerint, & in finem usque in bono perseveraverint, bene futurum esse in altera vita: & ex adverso male. post mortem esse futurum iis, qui declinantes a semita divinorum mandatorum, & post concupiscentias suas euntes, a sua impietate non cessaverint, & ad Dominum qui multus est ad ignoscendum, per veram pœnitentiam non reversi fuerint, sed secundum impœnitens cor suum thesaurizaverint sibi iram in die iræ: perditionem nostram ex nobis esse: Deum nusquam deesse illis qui tempore accepto ad illum corde sincero clamant, & ab illis inveniri qui non ficte, sed mente pura quærunt illum: & tandem nullum perire nisi volentem. Hæc, quę cum fructu audituri sunt populi, ipsis exponere & aperire summę est charitatis & prudentię, veritates illas quas portare non possunt, Scholasticis & doctioribus investigandas relinquendo: Neque enim omnia expediunt quæ licent. ob tarditatem nihilominus indocti vulgi, numquam est deserenda veritas, aut quidquam ipsi oppositum est proferendum: sed ubicumque sesę dederit occasio ex dicendi necessitate, nihil nisi sacris consonum Scripturis, Sanctorumque Patrum, veritati ubique consulentium, doctrina refertum, ore promat Christianus orator, etsi a permultis non capiatur.

Hanc methodum temporum necessitati & audientium exigentiæ accommodatam servato Charitatis ordine, habemus ab Augustino lib. de dono perseverantiæ cap. 16. his verbis. *Dicatur ergo verum, maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt; ne forte cum tacetur propter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere quo caveatur falsitas possunt. facile est enim immo & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam unde est illud Domini*, „ adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. „ *&* *illud Apostoli*, „ Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. „ *quamvis modo quodam dicendi fieri possit, ut id quod dicitur, & parvulis lac, & grandibus esca sint. sicut*, „ in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat „ verbum, *quis Christianus tacere potest? quis capere? aut quid in doctrina sana potest inveniri grandius? quod tamen & parvulis non tacetur & grandibus, nec parvulis occultatur a grandibus. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. causa verum tacendi, longum est omnes quærere vel inserere: quarum tamen est & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec pejores fiunt. cum autem res vera ita se habet, ut fiat pejor, nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit pejor? qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent*, in rebus igitur prædestinationis ea est tenenda regula. quam circa Dei præscientiam vult observari Sanctus Doctor cap. 15. hæc scri-

bens, objectioni quæ ea in causa proponi poterat occurrendo: *Numquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? ... Numquid ergo propter hujusmodi animas ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda; tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?* quod cum sic evenire compertum ille haberet, quantum ad istam de qua loquimur prædestinationis certitudinem: dicebat enim cap. 19. *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse* resumens ea quæ opponebantur concludit cap. 20. *etsi verum est quod dicitur*, ab illis videlicet ad quorum confutandos errores librum de dono perseverantię scribebat) *de prædestinatione beneficiorum Dei, non est tamen populis prædicandum? prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi, audiat ..... sicut enim prædicanda est pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi, Deus recte colatur ... ita prædicanda est & ista prædestinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino glorietur.*

Doctoris Subtilis auctoritatem, veluti a nobis circa prædestinationis certitudinem dissentientis quis frustra opponeret in 1. dist. 40. cum enim sentire videtur quod prędestinatus possit damnari, hanc quęstionem quam sibi proponit, eo loci examinat in sensu logicali, distinguens sensum compositum & divisum, & quodam modo abstrahens a divino decreto. antecedenter ad illud, evidens est quod prædestinatus poterat non prædestinari, & proinde damnari, cum fuerit contingenter prædestinatus ex actu libero ac contingenti voluntatis divinæ, quæ sicut illum a perditionis massa pro arbitrio discrevit, ita pro arbitrio in ea potuit illum relinquere. at consequenter ad decretum ex natura sua, prout divinum, immutabile, evidens est quod prædestinatus non potest damnari, in sensu videlicet compositionis, consideratus propterea sub ea ratione qua est prædestinatus, juxta quam rationem procedit quæstio, quæ de certitudine prædestinationis consequenter ad Dei decretum movetur. & juxta sensum nostræ assertionis illam solvit Scotus; & ideo ad secundum argumentum dicit, *quod voluntas creata non potest impedire voluntatis divinæ ordinationem: nam impedire esset, si staret propositum voluntatis divinæ, & oppositum eveniret per voluntatem creatam: hoc autem est impossibile.* ex quibus evidenter ac necessario colligitur juxta Doctorem infallibilitas divini decreti, quo dato falsum prorsus est prædestinatum posse damnari; quia, ut dixerat distinctione præcedente cum Sancto Augustino, Deus non potest falli: *ita*, inquit, *non potest impediri voluntas ejus, quia non potest stare ordinatio sui cum opposito ejus quod ordinavit.* unde cum rationem afferens ad oppositum dicit quod si prædestinatus non posset damnari, non esset sollicitandum alicui de observantia præceptorum, & consiliorum: quod si admittatur, frustra ponitur tota lex divina: tunc loquens in sensu adversariorum talia opponentium, prædestinationem attingit in ordine executionis, quæ legis divinæ adimpletionem, & mandatorum observantiam præexigit, ad quam minime respicit Deus, si de prædestinatione in ordine intentionis res habeatur.

&

& nulla circa mentem Scoti in tota hac distinctione oriri potest difficultas: brevis etenim & clare est exposita quæstio illa, quam qui leget, in ea intelligenda nullomodo esse laborandum statim advertet. & semel data logicali illa distinctione quam disputandi gratia statuit, breviter solvuntur quæcumque argumenta in contrarium.

Quæritur, utrum de sua prędestinatione aliquis possit certus esse?

Resp. Ex certitudine ac infallibilitate decretorum Dei quam necessario sequitur irrevocanda circa numerum prædestinatorum determinatio, se ad fortunatum illum numerum pertinere certo scire, non nisi temere quis affirmaret, nisi id ex speciali Dei revelatione didicisset. soli etenim Deo cognitum esse numerum electorum in æterna felicitate locandorum canit Ecclesia in suis orationibus. unde sess. 6. cap. 12. dixit Concilium Tridentinum: *Nemo quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit*. Hinc contra recentiores Hæreticos sic statutum est can. 16. *si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit*. quod definiere Patres Tridentini juxta Magni Augustini doctrinam lib. de corrept. & grat. cap. 13. *quis enim ex multitudine fidelium*, inquit, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* & reapse arcanum illud homines in hac vita degentes prorsus latere summæ erat Dei sapientię: ex ea enim ignorantia in qua versamur mortales circa terminum vel objecta divinorum decretorum, nescientes utrum ad felicem hunc numerum eorum qui ex misericordia Dei mere gratuita sunt certissime liberandi pertineamus, sed id per Christi merita ex Christiana fiducia sperantes, gignitur quarumcumque virtutum exercitium. Bonis ne torpeant, inest a virtute decidendi, & in bono deficiendi timor, ex quo humilitas, vigilantia, oratio, fervor spiritus, debita Deo pro gratiis ab ipso collatis gratitudo. malis ne desperent, adest spes veniæ si viam suam & iniquas cogitationes derelinquentes pœnitendo resipiscant, unde pœnitentiæ lamenta, cordis contritio, labor assiduus, perpetua divinæ clementiæ exoratio, aliaque id genus opera quæ Deum ipsis propitium reddere possunt. sicque nec nimium fidendi, nec nimium diffidendi cunctis oritur eadem ratio: nonnullis, ut in gratia stabiles fiant, perpetuo laborandum: aliis, ne in malo perseverent sed boni ex gratia reddantur, continuo orandum. ab utroque fortasse cuncti cessarent, si quisnam sit futurus quorumcumque exitus esset in hac vita cuilibet notum: unde ex latente consilio Dei, ejusque investigabili judicio non minus prędumptionis quam desperationis justis & injustis exhibetur remedium: ideoque perpetuæ sunt Deo gratiæ agendæ quod de futura nostra sorte nos reddiderit incertos; nihilque de illa curiosius investigare expedit nobis.

Quæritur, quinam sint tum prædestinationis, tum reprobationis effectus?

Resp.

Resp. Per plures a nonnullis enumerari solent prædestinationis ac reprobationis effectus, quos utriusque signa a quibusdam, præcipue Moralistis & mysticis placuit appellari. verum cum hæc sint valde æquivoca, & reprobis ac prædestinatis persæpe communia, ut quotidiana multiplicique docemur experientia, quidquam de illis asserere non minus periculosum est quam difficile. omnia Dei dona supernaturalia quæ veram rationem habent beneficiorum illorum quæ præparantur iis qui per illa certissime liberantur, hæc ego dicam veros prædestinationis effectus, inter quos alia divinæ gratiæ auxilia etiam ordinis superioris, si ad hujusmodi beneficia non pertineant, minime recensebo. ad dotes vero naturales, quæ a terrena sapientibus, & de rebus divinis ex mundano affectu judicare volentibus pro effectibus prædestinationis & signis habentur, quod spectat, has dicam creationis effectus, nullum ex se ad prædestinationem dicentes ordinem, & ad illam non minus quam ad reprobationem indifferentes. illis siquidem sæpius abundant reprobi, carent e contra prædestinati non raro. & Augustinum non habent sibi patrocinantem qui acumen ingenii, excelsam indolem, præclaras naturæ dotes, ex quibus tot, præsertim apud Romanos, prodiere virtutum moralium opera, prædestinationis tum signa, tum effectus reputant. ab his longe distat Sanctus Doctor variis in operibus contra Pelagianos aut Semipelagianos, quæ ne longius progrediamur, missa facimus, cum aliunde minoris sit momenti quæ hac de re proponi potest quæstio, quam ut in ea discutienda immoremur. pro signis vel effectibus prædestinationis moraliter & generice loquendo, ac de via ordinaria haberi possunt indefessum virtutis exercitium, rerum cœlestium amor, vera erga Deum ac proximum charitas, perseverans sui ipsius abnegatio, aliaque id generis quæ uberiorem gratiam videntur supponere, quibusque perseverantiæ finalis donum quodammodo deberi credere possumus. Nec vocationem, justificationem & glorificationem, de quibus Apostolus Epist. ad Rom. cap. 8. effectus prædestinationis rigorose loquendo dicerem, sed magis pro completa & adæquata prædestinatione haberem, quæ sine ipsis vera & efficax esse nequit. quod tamen opinative dixerim, & sententiam oppositam nullomodo arguens, aut impugnans.

Effectum reprobationis ex adverso verum negationem dicam beneficiorum illorum quæ certissime liberandis dumtaxat, seu prædestinatis, a Deo ex misericordia præparantur, quęque necessariam aut infallibilem cum prędestinatione tam in ordine intentionis, quam in ordine executionis, connexionem habent. Neque enim ullum horum beneficiorum reprobis concedi existimarem, ex eo quod efficacia sint illa beneficia, & absolutum ordinem dicant ad gloriæ consecutionem, quemadmodum absolutum est efficax Dei prædestinantis decretum, totali seu completo suo effectu nusquam fraudandum. Non tamen inde inferatur reprobis non conferri, & sæpissime efficacia supernaturalis gratiæ auxilia, ita ut culpandi non sint quod pereant, & non perire in ipsorum non sit potestate; illegitima & inepta, non minus quam impia esset hujusmodi illatio, sinceram Dei voluntatem erga omnium hominum salutem penitus tollens. efficacia ergo gratiæ auxilia, etiamque ordinis excel-

cellentioris, non prędestinatis quandoque confert Deus, ideoque verę virtutis opera plures ex illis non raro exercent, ac in bono constanter adeo ad tempus perseverant, ut pro electis ac Sanctis ab hominibus quos latent occulta Dei judicia habeantur. Hęc autem gratię auxilia ipsis concessa, non sunt ex ordine beneficiorum quę certissime liberandis prędrantur; eapropter a bono tandem deficiunt, non perseverant usque in finem & pereunt, Deo semper ob eorum damnationem omnimode inculpando. in ipsis vera justitia aliquando est, & gratiam Dei vere suscipiunt: *sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deseruntur: dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono judicio Dei justo, & occulto*; inquit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. si enim collata ipsis hæc gratiæ auxilia efficacia per quæ sunt temporaliter justi, essent in ordine prædictorum beneficiorum, usque in finem perseverarent, & certissime liberarentur per illa, ex eo quod in sententia Augustini omnimodam sive infallibilem habeant cum liberatione connexionem. unde illorum beneficiorum carentia verus est, ac necessarius quadamtenus, ex consequenti nimirum, reprobationis effectus. inter moralia ejusdem signa non immerito connumerantur voluntaria ac habitualis divinorum mandatorum transgressio, mentis excæcatio, cordis obduratio, immoderatus sui ipsius amor, carnalium voluptatum effrænis appetitus, rerum spiritualium despectus, aliaque hujusmodi, de quibus apud mysticos tractatores, cui libuerit, inquirat. Hæc autem dixi moralia signa, cum temporalia esse possint, & ab iis possint Deo miserante recedere & ad meliorem frugem reverti, qui a vita Dei alienati sunt. nec quemquam eorum, quandiu in hac vita degunt, de numero esse reproborum asserere ulli licet; potens est enim Deus etiam sceleratiores ab iniquitatis abysso reducere secundum misericordiæ suæ consilium: & nonnisi pręcipiti ac culpando judicio circa futuram cujusdam sortem ferri potest ab aliquo mortalium tam in malo, quam in bono sententia; utrum enim in finem usque perseveraturi sint boni, vel mali penitus ignoramus. Deus solus novit qui sunt ejus: ille novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam; novit in area sua triticum, novit & paleam: novit segetem, novit & Zizania, inquit Augustinus Tract. 12. in Joan. ipsi *soli reservatum est* de quibuslibet judicium.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quodnam sit ferendum de Hæresi prædestinatiana judicium.

AUgustinianę doctrinæ de Christi gratia & prædestinatione, quę a permultis sępius fuit male intellecta & in pravum sensum detorta, non paucos quovis fere sęculo extitisse, etiam magni quandoque nominis adversarios, nullus, nisi historiæ ecclesiasticæ prorsus ignarus, nescit. ab his confictam fuisse prædestinatianam hæresim, quæ, si de Lutheranis & Calvinistis de prædestinatione impie sentientibus taceamus, nihil aliud esse videtur, quam calumnię a Semipelagianis adversus defensores doctrinæ divi Augustini pri-

primitus adinventę, & contra eosdem a Semipelagianorum reliquiis ad nostra usque tempora successivé recantatę, confitetur & propugnat quisquis est, si prejudiciis liber, veritatis amicus. Hujus rei convincens testimonium habemus ex Hincmaro Rhemensi Episcopo præcipuo historiæ prędestinatianæ architecto, non alios agnoscente prædestinatianos, quam quos ab Augustino debellatos fuisse fabulatur. scribit enim opusculo vel libro de prædestinatione cap. 13. " Necessarium duximus alligare in quatuor fasciculis ad comburendum zizania, quę in Dominici tritici modio prisci seminarunt prædestinatiani, quos Augustinus & Prosper suis scriptis sufficientissime revicerunt. " Nullus ante Hincmarum suspectæ fidei virum, fictitiæ illius hæresis meminit scriptor, si non Pelagiano, aut Semipelagiano errore conspersus. Auctorem prædestinati Eutychete antiquiorem, opera & labore Jacobi Sirmondi sæculo proxime elapso e pulvere exeitatum; Tyronem Prosperum in chronico; Faustum Rhegiensem; Gennadium Massiliensem; Ennodium Ticinensem; de illa sermonem habentes, a Pelagianorum vel Semipelagianorum partibus stetisse cui non est compertum; qui eorum scripta tantillum perlustraverit? Hinc verba illorum retexere jam superfluum: a dubitantibus relegantur.

Commentitii istius erroris capita habemus ex Gennadio Massiliensi Semipelagianismi tincto fuligine. illa sic proponit in catalogo Hieronymiani de heresibus appendice. " Prædestinatiani sunt, qui dicunt, 1. quod Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus. 2. quod etsi generali prædicatione dicat, *venite ad me omnes qui laboratis, & oneratis estis, & ego reficiam vos:* non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem. 3. sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono. 4. & e contrario illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, qua & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum. 5. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat. 6. quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona opera rejiciat, & compellat in malum, quo pereant in ęternum. " Hæc varia erroris capita ab Augustini doctrinæ defensoribus propugnari adhuc contendunt, qui prædestinatianorum fabulam tamquam veram hæresim aliquando extitisse fabulantur, quæ tum in Adrumetino monasterio temporibus ipsius Augustini, tum in Galliis sub Cœlestino I. exorta fuerit, & iterum per Gottescalcum nono ecclesiæ sæculo in gallia renovata. quid de illa sentire debeat veritati studens, breviter, ut fieri poterit, aperiemus, cum jam eruditissime a non paucis, inter quos Contenson eminentissimus Norris, Berti, quibus adhærere nos compellit idem cui studuerunt veritatis amor, pertractata fuerit præsens quęstio; & ab iisdem fuerit invicte proba-

probatum, invidioso prędestinatorum nomine Augustinianæ doctrinę defensores fuisse oneratos a minus recte sentientibus de divina gratia, a quibus non satis recedere videntur qui partes amplectuntur oppositas: de quibus tamen quoddam ferre judicium non intelligimus, quos catholice in omnibus sentire nullomodo dubitamus.

ASSERTIO PRIMA.

Nec inter Adrumetinos Monachos vivente Sancto Augustino, nec in Galliis sub Cœlestino I. fuere hæretici prędestinatiani: sed eo nomine a Semipelagianis calumniose traducti sunt non semel doctrinæ Augustinianæ defensores.

AD Monachos Adrumeti monasterii quod spectat, nullos fuisse inter eos erroris hujuscemodi fuligine tinctos, idque de ipsis non nisi ex calumnia prędicari, invictum argumentum est altum de illa hæresi silentium Augustini, quem hæc non potuit latere, cum de dissensionibus quæ in monasterio exortę fuerant ex mala a quisbusdam fratribus intellectis iis quæ de divina gratia & prædestinatione ipse scripserat, a Cresconio & Felice monitus fuerat. de illo autem errore nec unum verbum habet Sanctus Doctor in suo libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, jam sedatis memoratis inter Adrumetinos scripto, aut in alio quovis opere suo ex iis, quæ ultimo vitæ suæ tempore pro divinæ gratiæ defensione edidit. Neque enim prædestinatianos, si tunc temporis extitissent, indebellatos reliquisset, aut de eis tacuisset Hipponensis, qui Hæreticos, quicumque fuerint fortissime insectatus est. vel saltem de eis ex fere impossibili tacente Sancto pręsule, in ipsos scripsissent illius Discipuli SS. Prosper, Hilarius, Fulgentius Petrus Diaconus, & alii qui nec illorum meminere, sed contra Pelagianos & illorum reliquias totis viribus certavere. insuper, quomodo de hæresibus scribens Augustinus dicere potuisset Pelagianam hęresim esse omnium recentissimam, si alteram Pelagiana quam jugulaverat recentiorem ipse, ut volunt, debellasset?

Et frustra de prædestinatianis volunt, quibus arridet illud commentum, intelligi ea quæ leguntur apud Augustinum epist. 214. ad Valentinum Abbatem Adrumetinum & fratres qui cum ipso sunt, de illis qui monasterium turbaverant sic gratiam Dei prædicantes, ut liberum hominis esse arbitrium negarent. cui commento plus roboris addere conantur, dum asserunt contra prędestinatianorum emergentes errores. Hipponensis antistitis opem implorasse Prosperum & Hilarium. Neque enim advertunt qui talia fabulantur Monachos Adrumetinos ad quorum compescenda dissidia, pacemque inter eos firmandam, librum de gratia & libero arbitrio ipsis sui interpres transmisit, in suspicionem venisse Semipelagianismi potius quam prædestinatianismi; & ideo scripsisse Sanctum Doctorem librum de correptione & gratia, adversus eos qui Pelagiana inflati elatione inutilem esse correptionem, officereque libero arbitrio divinæ gratiæ confessionem fallaci consequentia ex recte minus acceptis ipsius Augustini verbis inferebant, ut ex libro 2. retractationum ul-

timis duobus capitibus aperte colligitur. quibus attente perspectis, simulque lectis apud Augustinum epistolis 214. 215. 216. rem fere omnem continentibus, manifestum est nihil apud Monachos Adrumetinos fuisse quod prædestinatianismum saperet, nec quidquam de eo aliquando audivisse Augustinum. & aliunde apud omnes constat præter Semipelagianos in monasterio Adrumetino alios non fuisse, qui a fide catholica in aliquo deficerent.

Quod autem Prosper & Hilarius ad Sanctum Augustinum scripserint eum adducturi ut emergentes predestinatianos confutaret, merum est Sirmondi effœta ætate, ut inquit Noris, octogenario majoris, dum hæc scriberet commentum: unde hanc quam ex prædestinato texuit historiam, multis scatentem a veritate distantibus mendis, fabulam nuncupavit Gilbertus Maguinus vir summæ eruditionis. & satis est ut innotescat quantum hac in parte deceptus fuerit senio confectus Jesuita Sirmondus, doctrina aliunde celebratus, si epistolæ legantur Prosperi & Hilarii apud Augustinum, in quibus de Semipelagianis ut ab Hipponensis refellantur, expositis illorum querimoniis & erroribus tota res est: nec in ipsis ullum reperitur fictitiæ prædestinatianæ hæresis vestigium, nisi ab illis qui, oculis præ senectute caligantibus, Augustinum, Prosperum & Hilarium legerent.

Neque in Galliis sub Cælestino I. fuisse Prædestinatianos invicte colligitur ex eorundem Sanctorum Patrum circa illos silentio. Hi enim adversus hæreses quæ suis temporibus vigebant animo indefesso pro veritate decertavere: nihil ergo cum de prædestinatianismo illi habeant, manet a nobis assertum. verum adhuc magis insistamus. qui nobis hac de re contradicunt, ex Prospero & Hilario colligendum putant apud Massilienses extitisse qui hæresim prædestinatianam disseminarent. sed pace illorum dixerim, vel quid sit prædestinatianum dogma ipsis non esse notum, vel ipsos epistolas Sanctorum Prosperi & Hilarii ad Augustinum, & Augustini ad Prosperum & Hilarium non legisse. Massilienses quorum emergentes errores extinguere capiebant Prosper & Hilarius, gratuitam prædestinationem, cum Dei alios præ aliis pro arbitrio, & inconsultis futuris eorum meritis, ante mundi constitutionem eligentis efficaci absolutoque decreto admittere nolebant, & ea de causa ex Sancti Augustini doctrina non intellecta scandalum sumpserant, existimantes per illam tolli liberum hominis arbitrium, & in Deum refundendam esse pereuntium damnationem, cum necessario sint perituri illi omnes quos Deus non prædestinavit, putantes insuper removeri omnem industriam, tollique virtutes, Deo per suam constitutionem humanas voluntates prævenienie; & tandem sub prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem pro certo tenentes. Hæc omnia ex epistolis Prosperi ac Hilarii constant. verum si errore prædestinatiano, ut adversariis placet, laborassent Massilienses, tantum abest ut ipsis displicuisset sic intellecta Augustini doctrina, quin potius illam læti fuissent amplexi, sibi tanti Doctoris patrocinium gratulantes. etenim supponuntur Prædestinatiani gratuitæ defensores prædestinationis, aliorum quæ dogmatum quæ ex illa Massilienses fluere arbitrabantur conquerentes, & ideo ab Augustino recedebant. manifestum igitur testimonium sunt illorum querimoniæ

Mas-

Massilienses ab errore prędestinatiano longe fuisse, sed a Pelagiano errore circa divinæ gratię necessitatem & naturam, ipsos satis non recessisse & ab ipsis Semipelagianismum majores vires accepisse. unde malo obstare volens Augustinus, quod habebat compertum ex epistolis Prosperi & Hilarii, quibus Massiliensium, nondum damnato Semipelagianismo, minime pro hæreticis habendorum, cura erat, libros scripsit de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, adversus inimicos gratiæ Christi, & Augustinianæ doctrinæ improbatores, ut ex prioris libri initio intelligitur. falso igitur ex prælaudatis Prosperi & Hilarii epistolis argumentantur, qui hæresis prædestinatianæ seminarium in Galliis apud Massilienses invenisse arbitrantur.

Nec veritatia magis consulunt, dum prædestinatianos a Cælestino Summo Pontifice per suam ad Episcopos Galliæ epistolam damnatos prædicant. siquidem alios non damnare intendit Papa, quam eos de quibus ad sedem Apostolicam conquerentes scripserat Prosper & Hilarius, quos ad reprimendas Pelagianorum reliquias ad Summum Pontificem litteras direxisse nemo bona ductus fide negare potest. qui sunt illi de quibus ii conquesti sunt, nisi qui Sancti Augustini ultimo fato vix functi, famæ & doctrinæ malevole detrahebant, de quibus loquens Cœlestinus dicebat, eos conari etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare, Augustinum potissimum intelligens. quis autem diceret prædestinatianos, si extitissent, lacerasse memoriam tanti Doctoris, aut ipsius scriptis invidisse, quos auctorem sibi Augustinum vulgo jactasse, & confictis libris fuisse mentitos supponit ipse Sirmondus? si ergo eos dumtaxat repressit Cælestinus, ut ex Prospero est indubitatum, qui Augustini scripta reprehendebant, & contra ipsius doctrinam temere insurgebant, & quę scripserat de gratia Dei & prædestinatione inscite calumniabantur, quod de Semipelagianis & non aliis omnes docti semper intellexere, quomodo prædestinatiani, quos nullus horum temporum scriptor commemoravit, a Cœlestino I. damnati confinguntur, de quibus nec unum verbum habet Summus Pontifex? Hac de re legatur Sanctus Prosper lib. contra collatorem: quem illos de quibus conqueritur, reliquias Pelagianorum, Juliani imitatores, Pelagiani seminis germina, sæpius appellasse ipsius scripta testantur: & pro nobis hunc aperte pugnare facile cuilibet legenti innotescet.

Quam ergo fidem mereatur Prosper Tyro, qui primus prædestinatianæ hæreseos texuit historiam vel potius commentum, deceptus hauddubie vocibus quorumdam Semipelagianorum, qui livoris zelo ducti prædestinatianos vocitabant quotquot erant qui ipsorum erroribus contrarii doctrinæ Sancti Augustini adhærebant, præter ea quæ mox diximus, ostendunt innumeri, quibus scatet ejus chronicon, errores, quique ipsius circa historiam & temporum rationes imperitiam manifestant. unde merito sunt culpandi Sygebertus, aliique a quibus hac in parte non sat recedit Cardinalis Baronius, qui prædestinatianam sectam aliquando extitisse arbitrantur, Tyronis historiæ facilius credentes, cum rem altius rimari debuissent, & de veritate aut falsitate eorum quæ publicis annalibus erant crediturí certiores fieri, ne ipsi falsa pro veris nuntiantes in errorem, ut accidit, incautos inducerent. majorem

non merentur fidem Faustus, Gennadius, Arnobius junior, qui Semipelagianismi errore laborantes, sibi infensos calumniari non erubuerunt, veluti opposito errore Prædestinatianismi reapse illi laborassent. quis non miratur tot videns recentis ævi scriptores veterem illam fabulam ebibisse, illamque, re parum exagitata ac librata, ut quid indubitatum, scriptis suis indocte consignare?

Verum inquiunt non pauci, hæresim prædestinatianam proscripsere Concilium Arelatense triginta Episcoporum, & Concilium Lugdunense: quod sufficit ad firmandam incunctanter existentiam illius, ne chimæram debellasse censeantur utriusque Concilii Patres? quibus ne in longum sermo protrahatur, breviter judicamus respondendum cum Contensonio quod sicut a Semipelagianis primitus conficta est hæresis prædestinatiana, ita ab illorum reliquiis ficta hæc duo concilia quorum apud catholicos scriptores subsequentium temporum nullum extat vestigium, fuere deinceps commemorata. Faustum Semipelagianorum veluti principem, & Hincmarum de quo in causa Gotheschalci iterum dicturi sumus, si demamus, nullum alicujus nominis Theologum aut scriptorem reperiemus qui illorum meminerit conciliorum, quæ ab Ecclesia nusquam fuere inter vera concilia recensita, nec illorum acta, si quædam proferantur, quod non conceditur, sunt ab illa recepta: unde nulla ex illis est adversariorum oppositio. sed de illa consulantur laudatus Contensonius, Norris, aliique posterioris ævi auctores, qui præsentem quæstionem copiose non minus quam erudite, ut jam observavimus, & ex professo pertractarunt.

ASSERTIO SECUNDA.

Nec Gotheschalcus hæresim prædestinatianorum aliquando renovavit.

GOtheschalkum natione Germanum, professione Monachum in Orbacensi cœnobio ordinis Sancti Benedicti apud Suessiones, hæresis prædestinatianæ falso fuisse insimulatum, illamque nusquam ab ipso fuisse renovatam, non pauca comprobant momenta, quæ si bona fide perpendantur, collatis inter se iis quæ Gotheschalco favent aut adversantur, brevi evanescet tota, quam hac de re texuit Sirmondus, fabula, minus fortasse ex senectute, ut quibusdam placet, quam pro genio domestico adversus Augustinianæ doctrinæ defensores; huncque Monachum, in rebus de prædestinatione ab Hipponensis præsulis sententia ne latum quidem unguem discedentem, sed fortasse inconsultius aut intempestive de iis aliquando locutum, ab infensissimis simul & potentissimis hostibus inique non minus quam inhumane ad mortem usque fuisse exagitatum, fiet omnibus uni parti plus æquo non studentibus manifestum.

Roma, quam Apostolorum limina visitaturus petierat, rediens Gotheschalcus a Rigbaldo Rhemorum chorepiscopo pro more temporum, non dissentiente Rotaldo Suessionensi præsule, & cœnobitæ illius Pastore legitimo, facer-

cerdotio, maturus ætate, jam initiatus, apud Everardum comitem in finibus Venetorum non parum temporis commorans, ut comitis studio faceret satis ac religioni, de duplici prædestinatione ad vitam & ad interitum cum illo, & iterum cum Nothingo Episcopo Brixiensi juxta Sancti Doctoris Augustini mentem disseruit. in Hipponensis Antistitis lectione vel doctrina insufficienter versatus præsul Brixiensis, ex Gothescalchi, quem vincere scientia & sermone non poterat, sententia ac colloquio scandalum sumpsit, eumque ut catholice minus sentientem, apud Rabanum Archiepiscopum Moguntinum accusavit, qui Nothingo rescribens, Gothescalchi sententiam confutare tentat, illumque comitis Eberardi domo, datis ad ipsum litteris, expelli curat.

Hoc sinistræ suspicionis rumore se longius aspersum impatienter ferens Gotheschalcus, tali tamen non cedens injuriæ, Germaniam repetiit, & apud Moguntiam in placito regio cui præsidebat Rabanus, simulque aderant quidam alii Episcopi, fidem suam expositurus libellum apologeticum obtulit. His in comitiis, quæ apud nonnullos Moguntini Concilii, cujus acta periere, nomen acceperunt, erroris a Rabano accusatus Gothescalcus, ut heretice sentiens damnatus est, atque exilio mulctatus, Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo custodiendus fuit traditus. ab eodem Hincmaro in cujus erat potestate, sæpius privatim cum auditus fuisset Gotteschalcus, ad Carisiacum conventum pro rebus politicis a Carolo Calvo Galliarum rege convocatum, agente Hincmaro cætus illius præside, venire compulsus est; in hocque conventu duodecim episcoporum, ex quibus Concilii nomen habuit, erroris iterum ab Archiepiscopo accusatus, quasi de prædestinatione prave sentiret, & ex ejus doctrina peccatores ad malum impelli sequeretur, ut in errore pertinax, & ob alia crimina ipsi objecta, proscriptus fuit; exindeque cum ignominia exauctoratus, in carcerem post durissima verbera jubente Hincmaro traditus est; ac in prima sua sententia moriens, Sacramentis privatus, ecclesiastica caruit sepultura, monachis contra mandatum Hincmari, in cujus, diæcesi erat cænobium, in quo Gothescalcus jacebat incarceratus, nihil tentare, ut ei ex charitate succurrerent, præsumentibus.

Miserrimum hunc cænobitam duobus in Conciliis tamquam prædestinatianorum errore pertinaciter laborantem damnatum, ac durissimo carceri propterea ad mortem usque mancipatum, ab hujusmodi hæresi absolvere quis non formidaret, præsertim ad numerum eruditorum clarissimorumque virorum, qui actis Moguntini Concilii, Carisiacisque canonibus in causa Gothescalchi standum esse existimant, si attendatur? verum salva reverentia, quæ debetur tot tantisque magistris, qui rem alte satis non rimantes, nimiumque Rabano & Hincmaro inclytarum Ecclesiarum Archiepiscopis non ignobilibus, sed Gothescalco ultra modum, ex opinionibus circa prædestinationem & gratiam ab Augustini doctrina valde dissonis quas ebiberant adversantibus, credentes, ac totius negotii seriem diligenter minus exponentes, Rabani, Hincmarique famæ magis quam veritati videntur consuluisse, Gothescalcum a prædestinatiana hæresi immunem validiora ostendunt argumen-

menta, ex visceribus causæ desumpta, non minus quam ex permultis circumstantiis rem omnem a principio ad finem usque comitantibus, quæque ab ipsa, nisi præceps circa eam feratur judicium, nullomodo possunt aut debent sejungi. & mirum certe quod de his non paucis siluerit doctissimus ac sapientissimus magister Natalis Alexander, qui etsi longius de Gothescalco disseruerit, de eo nihilominus plura dicenda reliquit, cum ea omnia quæ ipsi adversantur, & cum erroris reum faciunt referens, quæcumque ipsi possunt favere, illumve ab errore vindicandum comprobant, alto prætereat silentio.

Argumentis ex visceribus causę desumptis Gothescalcum ab errore prædestinatiano immunem ostendi jam diximus, & non immerito, sive ad doctrinam ipsam quam propugnavit, sive ad modum quo in ipsum actum est, sive ad primos causæ illius actores attendamus, de variis circumstantiis, quę judicium quod in ipsum latum est comitantur, deinceps dicturi. ad doctrinam quod spectat, nisi pro arbitrio iis quæ locutus fuerat, aut in libello apologetico quem in sui defensionem scripserat Gothescalcus, addat unusquisque ab Augustini sententia recedere studens, quid habet erroris Gothescalchi sermo? *impios ob sua certissime præscita merita mala ad pœnam & supplicium esse a Deo prædestinato* docuit Gothescalcus, ut constat ex fragmento ipsius confessionis pro ut ab Hincmaro ipsi infensissimo refertur: ac in sua perseverans sententia de impiis loquens asserit, quod Deus *præscivit eos pessimum habituros ortum, pejorem obitum: prædestinavit autem eos ad luendum perenne tormentum, & sempiternum interitum.* verum in illo loquendi modo in quo de duplici prædestinatione, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem in operum malorum præscientia fundata, movetur quæstio, quisnam reperitùr error? Nonne de gemina prædestinatione, sicuti de libero arbitrio, de voluntate Dei, de morte Christi, de quibus prave sentire perhibetur ab Hincmaro Gothescalcus, eadem loquitur quæ Sanctus Prudentius Trecensis Episcopus Epistola ad Hincmarum & Pardulum Episcopos, Ratramnus duobus in libris de prædestinatione, Lupus Servatus qui & Ferrariensis Abbas libro de tribus quæstionibus, Sanctus Remigius Lugdunensis archipræsul cum celebratissima sua ecclesia in libro de tribus epistolis, aliique nonnulli virtute ac scientiam clarissimi tenuere? sed Gothescalcus, inquiunt adversarii, licet eadem loquatur quæ dixere prælaudati scriptores, alienum habuit ille intentum, & illorum verba etsi aliunde dura, nihil nisi catholicum sonant, cum e contra in confessione & doctrina Gothescalchi sensum hæreticum necessario importent. etenim ex gemina prædestinatione quam defendit, sequitur, reprobos ad interitum prædestinatos compelli ad peccatum, & nullo modo posse vitare mala ob quæ prædestinantur ad pœnam. Deumque sua prędestinatione efficere mala merita in reprobis, sicut sua prædestinatione efficit merita bona in electis. juxta ipsum per Adæ peccatum in homine liberum extinctum est arbitrium: Deus non vult cunctorum hominum salutem; Christusque pro omnibus & singulis hominibus suum non effudit sanguinem.

Ve-

Verum talia in mente habuisse Gothefchalcum, ipso de iis tacente, immo potius oppositum insinuante, unde illi habent? ex libello apologetico, fortasse dicent, quem coactus vi tormentorum flammis tradidit, & in quo Scripturarum ac Patrum sententias in pravum sensum detorserat; nec non ex duplici ipsius confessione. At libellum hunc nullus hominum legisse commemoratur: nec illius nemo meminit præter Hincmarum, cui hac in causa parce credendum esse, ut mox dicemus, vel etiam nullomodo, permulta ostendunt. quantum autem ad Gothescalchi confessionem, illam minus erroneam significant ipsa verba Hincmari lib. de prædestinatione cap. 15. hæc scribentis. *Dicunt Gothescalcus & ejus affines, prædestinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum.* ipseque Gothefchalcus in suæ professionis chartula ad Rabanum, eodem referente Hincmaro, de gemina prædestinatione loquens ait: *sicut Deus incommutabilis ante mundi constitutionem omnes electos suos incommutabiliter per gratuitam gratiam suam prædestinavit ad vitam æternam, similiter omnes omnino reprobos, qui in die judicii damnabuntur propter ipsorum mala merita, idem ipse incommutabilis Deus per justum judicium suum incommutabiliter prædestinavit ad mortem merito sempiternam.* quid aliud significant, nisi immutabilitatem æterni Dei decretorum circa prędestinationem bonorum ad gloriam, fundatam in summa ipsius Misericordia; prædestinationem vero malorum ad pœnam, fundatam in summa Dei justitia, illos propter ipsorum mala merita damnantis, justeque ac merito ob illa demerita æternis suppliciis in sua infallibili præscientia eos mancipantis, verba relata Gothescalchi? Numquid hæc non est una & eadem vox catholicorum omnium qui Augustino adhęrent de bonorum prędestinatione aut malorum reprobatione loquentes, ut in præcedentibus ex illo Sancto Doctore ostendimus? ut quid ergo hac de causa hæreseos insimulandus Gothescalcus, aliis eadem cum eo loquentibus absolutis?

Desinat igitur Hincmarus quamplura Gothescalchi confessioni pro arbitrio addens, falsam & erroneam ex gemina illa prædestinatione in bonam & in malam partem, inferre consequentiam, veluti ex illa oriatur in impiis peccandi necessitas, liberumque eorum opprimatur arbitrium, cum nec unum, ex quo illa fluat, Gothescalcus habeat verbum. quod a Christi ecclesia creditur & tenetur de libero arbitrio, *de quo*, inquit, *cum a cæteris catholicis Patribus evidenter sit Deo gratias, disputatum, tum præcipue contra Pelagianos & Cælestianos a Beato Augustino plenius & uberius diversis in opusculis*, illud idem se tenere profitetur vir ille in lectione Hipponensis versatissimus. Ergo ne prave de libero arbitrio sentiens prædicabitur, quia de eodem Rabanum juxta Semipelagianorum placita sentientem existimaverit arguendum, ut ea indicant quæ in eodem fragmento apud Hincmarum sequuntur verba ad ipsum Rabanum directa? *unde te potius ejusdem catholicissimi Doctoris fructuosissimis assertionibus incomparabiliter inde quoque malueram niti, quam erroneis opinionibus Massiliensis Gennadii, qui plerisque præsumpsit in locis tam fidei catholicæ, quam Beatorum etiam Patrum invictissimis auctoritatibus, infelicis Cassiani perniciosum nimis dogma sequens, reniti:* erroris ergo insimulentur omnes qui in rebus gratię

&

& prædestinationis, salvo semper, & in tuto remanente, iis fortiter defendentibus, libero arbitrio, ab Augustino nullomodo existimant discedendum; ut non minus aperte quam falso pluribus ab hinc annis, imperite simul & contumeliose garriunt apud imperitum & profanum vulgus, male feriati homines non pauci, eadem quæ in primos Augustini discipulos ex contumelia dixere veteres Semipelagiani, in ejusdem doctrinæ modernos defensores, eodem ducti principio oblatrantes: una ipsis cum Gothescalco, religiosissimisque ac doctissimis viris, qui pro isto, partem oppositam floccifacientes, palam dicere non formidarunt, communis est causa. aut si, ab omnibus in rebus fidei ac sanæ Theologiæ opinionibus versatissimis, nedum ab errore liberi, sed etiam ut sanioris doctrinæ defensores, tamquam veri Augustini discipuli isti merito jureque habentur, ab hæresi prædestinatiana non absolvi non potest Gothescalcus, de voluntate Dei circa hominum cunctorum salutem, ac de morte Christi pro omnibus & singulis sentiens, æque ac de libero hominis arbitrio in præsenti naturæ lapsæ ac per Christum reparatæ statu, prout a cunctis catholicis sentiendum vult Sacrosancta Dei ecclesia, nihil de quæstionibus Theologicis in utramque partem tuto agitatis deffiniens. Nec mirum quod Rabanum Semipelagianorum erroribus imbutum judicaverit Gothescalcus, qui iisdem ab ipso impugnabatur argumentis, per quæ simili in causa doctrinæ Augustinianę primi defensores frustra fuerant a Semipelagianorum principibus & antesignanis impugnati. & insufficiens omnino est quod in Gothescalcum ex illa in Rabanum accusatione ab ipso intenta infert Hincmarus argumentum, veluti inde sequatur, hunc prædestinatianum necessario fuisse, qui Archipręsulem Moguntinum, Regii potius quam sacerdotalis conventus præsidem, Semipelagiani erroris existimaverit jure insimulandum.

Nec difficilius ab hæresi prædestinatiana vindicabitur Gothescalcus, cujus doctrina, si animo non torvo perpendatur, nec minimum hujusmodi hęresis præsefert indicium, primi istius in ipsum causæ actores si inspiciantur. a Nothingo Brixiensi præsule insufficientis in rebus prædestinationis armaturæ, qui Gothescalcum posset vincere vel etiam diligens de illius doctrina ferre judicium, ut ut poterat per epistolam edoctus Rabanus Maurus, vita spectabili, & doctrina clarus, quę apud Eberardum, & cum ipso Nothingo dixisse narrabatur Gothescalcus, hunc veluti viru prædestinatiano infectum juxta ejusdem delatoris accusationem, nullo tamen authentico instrumento firmatam, Gothescalcum inauditum, opusculo de prædestinatione edito ut Nothingi precibus annueret, confutandam suscepit, prædestinatianorum errores merito quidem recteque debellans, sed huic Monacho ex falso exposito adscriptos, de errore facti tamen nihil suspicatus, ut satis constat ex Rabani præfatione ad Nothingum, nec non ex ipsius epistola ad comitem Eberardum. ex Brixiensis episcopi accusatione prave erga Gothescalum affectus jam præsul Moguntinus, illum ad placitum regium apud Moguntiam accedentem, ut de sua doctrina dicturus audiretur, sicque in omnibus catholice sentiens probaretur, dure satis excepit; & veluti jam ipsum a recta fide cir-

ca

ea prædestinationem, aliaque relata capita, defecisse, uno accusante Nothingo, fuisset prorsus indubitatum, vix apologeticum libellum Scripturę & Patrum, Augustini potissimum sententiis refertum, quem in suę fidei defensionem obtulerat Gothescalcus, admisit vel oculis perlustravit Rabanus.

Hoc monachi apologetico perstringebatur pręses Moguntini consessus, cujus nulla extant acta alia pręter unam Rabani epistolam, quę synodica non est. verum, ut non raro magnatibus evenit, sive Ecclesiastica, sive civili, aut politica dignitate fulgentibus, quibus adeo certa sunt consilia cum aliquid fuit ab ipsis constitutum, ut sibi sępius dedecori vertant, si pedem revocantes, se, vel ex pręcipiti judicio, vel ex humana infirmitate, in pronuntiando aliquando errasse fateantur, apologetico illo frustra perstrictus Rabanus, a præconcepta semel opinione ex Nothingi minus ęqua delatione non recessit; sed omnia in consessu pro libito tractans, Gothescalcum erroris accusat, proscriptionem subripit, exilio multat, & tamquam hęreticum Hincmaro tradit in custodia asservandum. Rabanum summi ingenii virum & inter doctiores merito fuisse annumeratum non diffitemur: sed illum properato nimis in causa Gothescalchi se gessisse, cujus mentem non bene initio istius controversiæ fuisse assecutum testantur quæcumque a piissimis clarissimisque ejusdem ætatis hominibus pro proscripti hujus monachi defensione cum adhuc sub judice lis esset, scripta sunt non leviter existimamus, exacerbatus in Gothescalcum, quem jam a recta fide aberrantem ex Nothingo habebat, re minus perpensa, Rabanus, quod erroris Semipelagiani in libello sibi a Gothescalco in sui defensionem oblato argueretur, hac violatus injuria, sed intentam hujus erroris notam de se removere parum sollicitus, maxima quæ pollebat authoritate in Moguntino Concilio confirmatus, illum voluit tamquam de hæresi convictum & pertinacem, (nulla nihilominus rei judiciariæ in rebus fidei servata formula) damnari, & a consedentibus in dicto consessu de illo magnifice sentientibus, voti compos effectus est. rem ita fuisse non leve indicium videtur actorum consessus Moguntini omnimoda amissio, vel potius subfuratio, una excepta epistola Rabani quam synodicam gratis vocat Natalis Alexander, utpote quæ subscripta non reperiatur ab episcopis qui hoc in concilio una cum Rabano Gothescalchi judices assidebant. & in qua pro genio suo multa scribere ad Hincmarum temporum circumstantiis accommodata potuit Rabanus, nisi forte plura etiam e suo Rabani scriptis addere præsumpserit Hincmarus, a quo prælaudatam habemus epistolam.

Nec temeritatis nos existimamus insimulandos, de Hincmaro, etsi a pluribus ejusdem ævi Scriptoribus, tum ex animo, tum ex adulatione summis laudibus exaltato, ac præcipuo in causa Gothescalchi actore, sinistrum adeo ferentes judicium. is enim magna vitia eximiis virtutibus obvolvebat. in dicendo facundus, in agendo prudens, in vindicandis episcopatus & imperii juribus roboris erat invicti. sed ausis promptus, propriisque commodis invigilans, quoscumque suis consiliis non suffragantes impatienter imperiosus ferebat. quid plura dicam? illum virum suspectissimæ fidei permultis pronun-

tiam, cui falli & fallere proclive fuit, ipso non diffitente Sirmondo. Hunc tandem Nicolaus I. versati cavillatoris, falsarii, impostoris, uno verbo Cameleontis titulis insignivit. Hujusce generis erat Hincmarus Carisiacæ Synodi præses, cui Gothescalchi causa credita est, & a quo privatim sæpius auditus, ut ipse ad Rabanum rescripsit Hincmarus, conventum Carisiacum adire compulsus est. Damnato tamquam hæretico ab Episcopis pro civilibus regni negotiis hoc in conventu coactis, Gothescalco, & post sententiæ in eum latæ executionem, quam inauditum irreligiositatis & crudelitatis exemplum appellat Ecclesia Lugdunensis, in sua doctrina firmiter perseverante, alium sibi & Pardulo Laudunensium episcopo, Hincmarus hac in causa adjunxit auctorem, Joannem Scotum Erigenam, cui ignominiose cecidit quod fictitios infelicis illius Monachi in carcere retrusi errores susceperit confutandos: nihil enim ex suscepto consilio habuit emolumenti, quam Pelagii, Cœlestii, & Juliani erroribus imbutum se omnibus exhibere, ob prava sensa quibus scatet male conceptus ejus liber de unica prædestinatione; atque posteris non leve suppeditare argumentum, ab hujusmodi opinionibus non satis distare Hincmarum & Pardulum, qui talem pro tuenda veritate sibi adscripserant adjutorem.

Oppresso Gothescalco, ac in conventibus Moguntino & Carisiaco, præter hæresis prædestinatianæ labem, damnato ob pravitatem morum, ministerii sacerdotalis ab ipso, inquiebant, irregulariter usurpati, abusum, negotiis civilibus contra propositum datam operam, aliaque id genus, quorum a suis legitimis superioribus nusquam fuerat accusatus, immo ipsius ordinationem per chorepiscopum factam Rotaldo Suessionum Episcopo ratam habente, ut primum gesta in ipsum fama vulgavit, accurrerunt quamplures viri docti & religiosi pro ipso dicentes, qui eadem cum illo circa prædestinationem, aliaque capita de quibus supra, sentientes, scriptis suis Gothescalcum ab errore liberum ostenderunt. quæ si attento animo perpendantur, simulque pensentur non pauca ad Carisiacum judicium ordinem dicentia, veluti tot circumstantiæ in causa Gothescalchi non disjungendæ, in ipsum ex injuria & immerito fuisse ab utroque conventu, Rabano & Hincmaro agentibus, animadversum brevi probabitur.

Primus omnium Gothescalchi partes prudentius tuitus est, eumque non obscure ab errore vindicavit. is enim de actis Carisiacensis concilii certior factus ab Hincamro, & ab eodem interrogatus, an Gothescalcus ex præscripto concilii in carcere detentus, in cena Domini aut paschate ad sacrum audiendum officium & communionem esset admittendus, nec ne, nedum hunc sacris non prohibendum esse rescripsit, sed etiam libello ad Hincmarum dato pro illo locutus est; intelligensque vir sanctus veram Augustini doctrinam impugnari in Gothescalchi proscriptione, proindeque in illum, livoris zelo potius quam veritatis amore, insurrexisse ipsius accusatores, Hincmarum & Pardulum in libelli præfatione adhortatur his verbis. *Hoc primum vestram sinceritatem monens & postulans, ut doctrinam Beatissimi Patris Augustini absque ulla dubitatione, undequaque doctissimi sanctarum Scripturarum authoritati in omnibus*

nibus concordissimam .... vestri pontificatus tempore commento quolibet impugnari non permittatis. idemque Scoti Eriginæ confutans errores, geminamque prędestinationem, ob quam carpebatur Gothescalcus, defendens, eumdem loquendi modum usurpat, quem ille in duplici confessione, (non abnuente Natali Alexandro) sicuti dum loquitur de voluntate Dei de omnium salute, ac de morte Christi; licet, inquit, Prudentii assertio toto Cælo distet ab errore Gothescalchi; quod ipsi probandum incumberet, simulque pręcise ostendendum quod erraret Gothescalcus. Nec eo sistit Prudentii studium, cum capitula quatuor Carisiaca, quæ deinceps edita fuere in altero consessu jubente Carolo Calvo, quibusve impetitur Gothescalchi doctrina, oppugnaverit, & refellenda, ut a Pelagiano dogmate non satis aliena, judicaverit, ut constat ex ipsius Epistola ad VVenilonem Senonensem Archiepiscopum, pro ordinatione Æneæ Episcopi Parisiensis. & in hoc ab eodem Natali arguitur, quod subscripsisse feratur antea his Carisiacis capitulis. sed cum aliud suppositiitię hujus subscriptionis argumentum non suppeditet Magister Sapientissimus, quam Hincmari id falso narrantis testimonium, quo videntur niti Annales Bertiniani, hanc levitatis notam Prudentio gratis inurentes, id tamquam omnimode improbabile, salva ipsi debita reverentia, nos feret respuentes.

Sancto Prudentio in causa Gothescalchi se comitem dedit Lupus Ferrariensis, qui tam in libro de tribus quæstionibus quam in collatione quam habuit circa illas cum Carolo Calvo Galliarum Rege cui acceptissimus erat, eamdem tenet doctrinam quam propugnabat S. Prudentius, a Doctrina Gothescalchi parum dissimilem, sed ab illius mente alienus, inquit Natalis Alexander; qui illam diversitatem repetit ex falso supposito, ita ut Gothescalcum errore Prædestinatiano laborasse jam invicte statuisset. quæstionem de gemina prædestinatione, eodem jubente Galliarum Rege, attingens Ratramnus Corbejensis Monachus, doctrina insignis, de prędestinatione impiorum ad pœnam eodem modo ex Augustino loquitur, quo de illa locutus fuerat Gothescalcus, nullam ex illa fluere in pereuntibus peccandi aut pereundi necessitatem ostendens, cum ex culpa sit delinquentis quod perveniat ad pœnam, non vero ex necessitate prædestinantis, qui ad supplicia prędestinavit æterna eos, quos ex propria voluntate peccantes in sua præscivit impietate mansuros. & sic mentem suam diligentius aperiens Ratramnus, castigatior in loquendo fuit Gothescalco a cujus sententia non recedebat. Hinc fuit quod ut primum opusculum adversus Gothescalcum ad reclusos scripsit Hincmarus, in ipsum epistola ad Amicum insurrexit Ratramnus Gothescalco patrocinaturus.

Sanctum Remigium Lugdunensem Archiepiscopum, ipsiusque celebratissimam ecclesiam, Gothescalco patrocinari ita evidens est, ut non contradicat in suis dissertationibus jam sæpe laudatus Theologus Parisiensis Accademię nominatissimus. nulla notandam esse censura illius monachis doctrinam ostenditur libro de tribus epistolis, licet ipsius improbari possit levitas, vel temeritas, ac culpari importuna loquacitas. crassum errorem de prędestinatione malos ad peccatum necessitante, & in mortem ex impietate a qua re-

cedere non possint ire cogente, quem Gothescalco affingunt permulti, ne il lum inique in præfatis conventibus damnatum fateantur, ab ipso removet ecclesia Lugdunensis, hoc genus erroris dicens, *nec apud Hæreticos, nec apud quemquam catholicorum se cognovisse, vel audivisse; ita ut etiam de isto nobis incredibile videatur*. illam juxta Augustini mentem verba dixisse, & in Gothescalchi damnatione ipsum impugnari Hipponensem, hæc indubitanter tenuit, libro de veritate Scripturę asserente Remigio, *in omnibus Gothescalchi sensibus & veram omnino & salubrem intelligentiam esse: cum B. Augustini ab omni semper ecclesia venerabiliter recepti, & usque in finem sæculi recipiendi sensum fuisse sequutum. Cujus veridicum sensum non oportuit sub persona alicujus hominis a catholicis Dei Sacerdotibus condemnari; ne jam non iste, qui errare putatur, sed ille potius, cujus authoritatem sequitur, Hæreticus esse judicetur*. Hinc quæcumque erga Gothescalcum apud Carisiacum conventum, & exinde in illum acta fuerunt, apprime edoctus, hunc que flagris & cædibus trucidatum ac pene morientem lacrymatus, hæc in eodem libro ipsius defendens doctrinam loquebatur Remigius: *videtur nobis sine dubio, quod illa quæ de divina prædestinatione dixit, juxta regulam catholicæ fidei vera sint, & a veridicis Patribus manifestissime confirmata, nec ab ullo penitus nostrum, qui catholicus haberi vult, respuenda sive damnanda. & ideo in hac re dolemus, non hunc miserabilem* (Gotheschalcum) *sed ecclesiasticam veritatem esse damnatam*.

Nec est quod pluribus, quos sequitur Natalis Alexander, placeat asserere nullo ducti sufficienti argumento, Sanctum Remigium, & ipso cum Lugdunensem ecclesiam, hosque quos jam retulimus religiosissimos doctissimosque viros, plus æquo favisse Gothescalco, & errore facti fuisse deceptos: verba sunt ista, quæ nullius sunt ponderis dum nullo efficaci roborantur testimonio. eodem ergo ductus errore Rotaldus Svessionum Episcopus, quem Gothescalchi doctrina latere non potuit, utpote qui, inter eos, qui in Carisiacum palatium ad Synodum placitumque Regium convenere, a Natali aliisque recenseatur, illis comitiis in causa Gothescalchi, cujus naturalis erat judex, interesse noluit, quod illum, & in illo, (narrante in historia Rhemensi Flodoardo S. Remigii Rhemensis Abbate) opprimi veritatem ferre non posset. errore ergo facti decepti Patres Concilii Valentini III. quique trium provinciarum, Lugdunensis, Viennensis, Arelatensis, Episcopi, capitula Carisiaca contra Gothescalcum anno 853. edita; reprobavere anno 855. aliaque quatuor illis opposita edidere; quę cum Carisiacis non pugnare, utrisque sensura minime nativum tribuens, nititur ostendere Natalis, immensam, ut ita dicam in causa Gothescalchi, & adversus illum differens; quibus attente & ęqua lance perpensis, inacta prorsus remanet res, cum dubium semper supersit, an Gothescalcus sibi ascriptos tenuerit errores, anve aliter ab ipso senserint qui ipsi sunt patrocinati, ut supponit, sed non probat Alexander, contradicentibus eruditis non paucis quibus assentimur, validioribus ac indubitatis ducti momentis.

Errore ergo facti pariter decepti Patres Concilii Lingonensis anno 859. Patrum Valentinorum quatuor capitula Carisiaca damnantium confirmavere decre-

decreta. Errore ergo facti una cum illis deceptus Nicolaus I. Romanus Pontifex, utrumque illud Concilium probavit, Canones pro tuenda Gothescalchi editos firmans, ut ex Sancto Prudentio apud Hincmarum, & Bertinianis Annalibus Rhemensi Archipræsuli faventibus habemus. & illo etiam ex errore facti idem summus Pontifex Hincmarum, ad se de Gothescalco & actis circa illum, scribentem contempsit, ipsique minime rescribens Nicolaus, ut ex Hincmaro apud Flodoardum constat, Gothescalchi causam a suis legatis voluit judicari. Hujusmodi commento quis credet? totque sanctitate & doctrina percelebres viros, causa Gothescalchi pluribus annis agitata, ac diligentius & accuratius perpensa illius doctrina, a variis synodis defendenda aut damnanda, ipsi jam adversantibus duorum conventuum definitionibus, præceps de hac re judicium tulisse, aut circa doctrinam parum sibi cognitam, contra præcedens Episcopale duplex statutum pronuntiasse quis asserere tot reclamantibus testimoniis, non formidabit, ut uni parcatur Hincmaro? frustra ut ipsi hac in causa succurratur, epistolam Amolonis Archiepiscopi Lugdunensis ad Gothescalcum, illum confutandi gratia, nonnulli proferrent, unaque simul epistolam Gothescalchi ad Amolonem antea directam: commentitia hac utraque epistola sinistrum quod de Gothescalco tulit judicium fulciat Natalis: tantam præ se fert Gothescalchi incultum & horridum scriptum novitatis notam: totque momenta Amolonis rescriptum, octo seculis ignotum, suppositītium significant, ut mirum sit, quod eruditissimus Alexander ipsi vel minimum credere potuerit. Nonne id esse recens inventum illi in mentem venit, quod primum a Sirmondo etsi doctissimo, & inter eruditiores Societatis eruditissimo, ultimis temporibus editum fuerit? illudque eo magis, quod ea quę supersunt Gothescalchi & Amolonis scripta, in prędestinationis & reprobationis doctrina sibi nullo modo adversantur; nihilque de duabus illis epistolis habet Sanctus Remigius Amolonis successor, cui in causa Gothescalchi illę auxilio non levi fuissent. spuria hęc suppositītia quę scripta tamquam genuina laudaverit novissimis diebus Franciscus Morenas in sua epitome Historiæ Fleurianę, innumeris in locis, ac in rebus majoris momenti ab ipso ex industria adulteratæ, non est quod miremur; audacem venalemque scriptorem de veritate parum sollicitum, dolus ille juvabat. verum sic hallucinentur authores quos delectat veritas, id dedecori ipsis non potest non verti, cum incautos in errorem ipsi culpabiliter decepti inducant.
Nec Natali parcendum quod Carisiaca capitula conciliare tentans cum Canonibus Valentinis, putaverit hęc verba quæ canone quarto leguntur: *porro capitula quatuor, quæ a Concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati*: ab Ebbone Gratianopolitano, utpote qui Valentinis canonibus condendis pręcipuam naverit operam, fuisse huic Canoni inserta. Siquidem omni caret probabilitate quod Ebbo, quantæcumque fuerit authoritatis inter Patres Valentinos, hujusmodi censura capitula Carisiaca Synodo inconsulta notaverit, audacię ac fraudis ab aliis Episcopis jure arguendus, qui de expungenda hac censura hoc in casu non siluissent. quod si in Synodo Lingoniensi, & quin-

decim

decim post dies in Concilio Tullensi relecti sunt Canones Valentini & probati, expuncta hac censura, id iisdem Episcopis, qui Concilio Valentino interfuerant, consentientibus actum est; Hi enim paci ex charitate studentes, & propter Episcopatus honorem Hincmari famæ consulere cupientes, assensi sunt quod Carisiacorum capitulorum censura, quæ in omnibus Concilii Valentini exemplaribus legitur, in iisdem Canonibus relectis & probatis a Synodis Lingonensi & Tullensi, in gratiam Hincmari omitteretur. sed exinde non minus certum est ad Carisiaca capitula prosternenda editos fuisse Canonens Valentinos.

Sed nec ipse Hincmarus putavit Valentinos Patres, aliosque quos diximus Gothescalco patrocinatos de ipsius doctrina parum dubios, errore facti deceptos ejus partes suscepisse: quin potius illos doctrinæ, quam in Gothescalco damnatam voluerat, ex animo adhęrere optime intellexit; eosdemque inclementi ac contumeliosa Gothescalchi excruciatione, a judicibus Moguntinis & Carisiacis inique & inconsulta decreta, graviter offensos, ac illius erga infelicissimum hunc Monachum cunctam agendi rationem penitus improbantes, hunc, & cum ipso Sancti Augustini doctrinam fuisse tuitos recte cognovit. Hinc ut vidit Hincmarus sibi hac in causa tot magni nominis viros non favere, suaque Carisiaca capitula a valentina Synodo fuisse reprobata, ut inutilia, noxia, erronea, ac veritati contraria, atque suum Scotum Erigenam ut Hęreticum anathemate perculsum, zeli & invidiæ diaboli accensus, inquit cum Nicolao I. eminentissimus Norris, in Valentinos Patres intolentissime pro sua indole, & calumniose debachari cępit, ecclesię Lugdunensis scripta, præsertim de tenenda Scripturæ veritate, acriori proscidit stylo, dolens quod omnimode in causa Gothescalchi a sua spe decidisset, nullo summi pontificis hac in re patrocinio potiturus, quem sibi propitium, favente Carolo Calvo, facile reddidisset, Gothescalchi Patronos errore facti deceptos ostendere potuisset.

Gothescalcus ergo prædestinatiani erroris immerito fuit insimulatus, qui, licet imprudenter fortasse & inconsiderate, Augustini venerandam propugnans de gratia & prędestinatione doctrinam, se gesserit, pro veritate certabat. certum enim est cuilibet rem altius rimanti, tria erroris capita quæ a Nothingo, Rabano, & Hincmaro, opponebantur Gothescalco, eadem esse prorsus ac ea quæ primis Augustini Discipulis per calumniam falsasve illationes veteres Semipelagiani objiciebant, ut quolibet tempore Augustinianæ doctrinæ defensoribus Semipelagianorum reliquię opponere non cessarunt. conferatur doctrina Gothescalchi in se ipsa, & pro ut insuper illam intelligi voluere adversarii ejus, cum Augustini doctrina pro ut illam exponunt objecta Gallorum, ut videre est apud Prosperum adversus Collatorem, & in responsione ad objectiones Vincentianas, & statim ab errore prędestinatianorum plane liber pronuntiabitur Gothescalcus.

Quid ergo causę fuit quod Hincmarus Gothescalcum, quem in lectione, ac doctrina Augustini versatissimum fuisse nemo nisi ex invidia negabit, quemque memorię tenacem, facilem & expeditum ad dicendum, etiam inimici illius fatentur, acriter adeo fuerit insectatus tantumque odium erga ipsum

ipsum ostenderit, ut ad mortem usque & ultra illum infestissime vexaverit, vix dignosci potest, & non nisi temere pronuntiaretur. de hoc judicium ferre, silente Historia, nostri non est instituti. sat est, quod investigandum susceperamus circa fictitium veterum prædestinatianorum errorem, nos diligenti liberoque animo perpendisse. Hic ergo sistemus pedem, iis, quæ de Deo ejusque attributis fuerant dicenda finem facturi.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Voluntas Dei hæc est Sanctificatio nostra, inquit Apostolus. eo se vertunt respectu hominum, quos ex motu proprio creavit, ac pretioso filii sui sanguine a peccati servitute liberavit, æterna omnia ipsius consilia. ideo cunctis sapienter providet, ut gloriam quam nobis ponit in præmium, ipsius adimplentes voluntatem consequamur. Nec est, quod in æternum consilii sui quosdam præ aliis eligentis decretum, eorum qui pereunt damnationem refundamus: ex gratuita enim & omnino libera salvandorum prædestinatione, nulla in aliis nascitur pereundi necessitas; & semper verum erit quod dictum est, perditio tua ex te, Israel. occulta sapientiæ & scientiæ Dei mysteria, ut solent Theologi, perscrutati sumus: altiora aut profundiora non quæramus; sed sapientes ad sobrietatem, ex iis quæ Deus revelavit nobis quid ipsius misericordiæ debeamus utiliter intelligamus, ne quid ipse suæ debeat justitiæ infeliciter experiamur. inscrutabilia ejus judicia de cætero adorantes, ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus, magis satagamus; sicque repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, ad Deum securi perveniamus, *qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua Sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia: cui est gloria & Imperium in sæcula sæculorum.*

FINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *F. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Manoscritto Exercitationes Theologicæ in universam Theologiam Auctore A. R. P. Jacobo Aymar* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza *ad Antonio Zatta* Stampator *di Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Genaro 1763. M. V.

(*Sebastian Zustinian Reff.*

(*Alvise Valaresso Reff.*

(*Francesco Morosini 2°. Cav. Proc. Reff.*

Registrato in Libro a Carte 190. al Num. 1070.

Davidde Marchesini Seg.

